EMUNDI RICHERII ... DE POTESTATE ECCLESIAE IN REBUS TEMPORALIBUS, ET DEFENSIO ARTICULI...

Edmond Richer

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
21 C
14

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
III 14. a

13.21.d 20

III III
20 20
B B

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

EMVNDI RICHERII

Doctoris Pariſienſis,

DE
POTESTATE
ECCLESIÆ
IN
REBVS TEMPORALIBVS,

Et Defenſio articuli quem tertius Ordo Comitiorum Regni Franciæ pro lege ſundamentali ejuſdem Regni, deſigi poſtulavit anno Domini 1614. & 1615.

COLONIÆ,

Apud BERNARDUM HETSINGH.

CIƆ IƆ CLXXXXII.

Digitized by Google

Pſal. 116. & Joannis 8.

Veritas Domini manet in æternum, & liberabit nos.

Pſal. 52.

Deus diſſipabit oſſa eorum qui hominibus placent.

Pſal. 36.

Revela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet: & educet quaſi lumen juſtitiam tuam, & judicium tuum tanquam meridiem.

Eccleſiaſtici 4.

Pro juſtitia agonizare pro anima tua, & uſque ad mortem ..., & Deus expugnabit pro te inimicos

EMVNDVS RICHERIVS
Doctor Pariſienſis,

Omnibus qui fines utriuſque poteſtatis comiter ad gloriam Dei regi, & quæ ſunt, Cæſaris Cæſari, & Dei Deo ſincerè ac verè reddi cupiunt, ſalutem & felicitatem æternam.

LECTOR BENEVOLE, communis eſt Theologorum ſententia, quamprimùm Adamus generis humani parens ſibi atque univerſæ Poſteritati gratiam Juſtitiæ originalis decoxit: Deum Optimum Maximum, *cujus deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum;* ut geminæ peſti quæ ex primi Parentis lapſu in cunctos homines redundabat, mederetur, utramque poteſtatem inſtituiſſe, atque politicum imperium ad effrænatam hominum audaciam vimque externam cohibendam ac publicum ordinem in vita civili ſanciendum unà cum hominum procreatione evexiſſe: Deinde Eccleſiaſticam poteſtatem cum filii Incarnatione futuram eſſe voluiſſe in peccati medicinam ac remedium: utramque verò ſic à ſeſe invicem naturâ ſecreviſſe, ut quamquam propter cauſarum eſſentialium diverſitatem ab uno & eodem homine ambæ nullo modo geri & exerceri poſſent, nihilominus tamen in mutuum & ſalutare auxilium conſpirare & contendere tenerentur. Hercle quidem abſque divino politicæ majeſtatis munere, homines in vitæ civilis communione degentes, haud fermè aliter quàm in aquis minores piſces majoribus, aut in ſylvis imbelles & exarmati viatores armatis prædonibus lanienæ ac pabulo certiſſimo forent, & in confuſione pluſquàm Babylonicâ verſarentur. Quod cæleſte beneficium veteres Ethnici cùm apud ſe reputarent, non abs re *Philoſophiam*, id eſt politicam vivendi rationem, magiſtram ac ducem vitæ urbes peperiſſe, diſſipatos homines in vitæ ſocietatem con-

vocaſſe, eoſque primùm inter ſeſe domiciliis, deinde conjugiis, tum litterarum & vocum communione junxiſſe, Leges inveniſſe, atque magiſtram morum & *politioris diſciplinæ extitiſſe*, finxerunt:

Sylveſtres homines ſacer interpreſque Deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus:
Dictus ob id lenire tygres, rabidoſque Leones,
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis,
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blandâ
Ducere quà vellet: fuit hæc ſapientia quondam
Publica privatis ſecernere, ſacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
Oppida moliri, Leges incidere ligno.

Inquit Horatius in arte.

Procul dubio vera optimaque philoſophandi, id eſt mores hominum informandi ratio, quam Socratem cœlo evocaſſe memorant, tota quidem occupatur in juſta & neceſſaria hominum moderatione: unde Platonem dicere conſueviſſe ferunt, tum beatas fore Reſpublicas, cùm aut Philoſophi imperarent, aut qui civitates regerent, philoſopharentur. Quocirca apud Ammianum Marcellinum libro vigeſimo octavo legimus barbaras gentes adverſos aut proſperos fortunæ caſus, vilitatem & caritatem annonæ, cæteraque mundi bona aut mala ſuis adſcripſiſſe Principibus. At nos, *quibus meliore luto finxit præcordia Chriſtus;* Sacræ Litteræ docent ſtatim poſt diluvium legem vitæ & mortis, in qua majeſtas politica conſiſtit, à Deo Optimo Maximo conſtitutam, cùm liberis Noæ facultatem Reſpublicas ubique terrarum conſtituendi impartiretur. *Quicumque*, inquit Dominus, *effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus eſt homo.* Geneſis 9. Et Proverb. 8. *Meum eſt conſilium. & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo: per me Reges regnant, & Legum Conditores*

Digitized by Google

tores juſta decernunt: per me Principes imperant, & Potentes decernunt juſtitiam. Item Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas niſi à Deo: quæ autem exiſtunt poteſtates, à Deo ordinatæ ſunt. Itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit Princeps Dei miniſter eſt tibi in bonum: ſi autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat: Dei enim miniſter eſt: vindex in iram ei qui malum agit, &c.* Certè quando tota ratio & leges ipſas, & ſtatum atque ordinem politicum melius conſtituendi, à virtute & prudentia Regum dependet; certum eſt hominibus in civili vita degentibus nullum majus aut illuſtrius beneficium à Deo largiri poſſe, optimo & ſapientiſſimo Principe. Quandoquidem ex arte nativoque Regum officio eis incumbit, Populorum ſaluti & incolumitati totos dies ac noctes conſulere: atque inſtar montis portum in mari efficientis, qui omnes fluctus & procellas longè à navibus propulſat, homines ſibi ſubditos, tutos atque incolumes ab omnibus injuriis, viquc externa præſtare. Quid ergo hîc innumera vitæ humanæ ſubſidia commemorem, quibus optimè conſtituti Principatus & Imperia humanum genus abundè cumularunt? An non gentes univerſæ hoc genere beneficii primis illis quatuor Monarchiis devinctæ ſunt, quòd earum opibus barbariem, ferinoſque mores exuerint, & in civiliorem ac humaniorem vitæ cultum transformarint? Quotuſquiſque tam rudis Litterarum eſt, qui Chriſtianam Religionem ex anguſtiſſimis Meſopotamiæ faucibus in orbis terrarum amplitudinem, Imperii Romani potentia velut aptiſſimo atque opportuniſſimo vehiculo effuſam & propagatam eſſe ignoret? Enimverò univerſis gentibus ſub potentiſſimo hujus Imperii commeatu & adminiculo commercia inter ſeſe agitare maximè providum atque expeditum erat, quæ aliâ ratione penitùs interciſa fuiſſent, ut hodierna docet experientia: quam in rem legendus Proſper Aquitanicus libro 2. de vocatione gentium. Omitto inſuper virtute & pie-

tate Conſtantini Magni, utriuſque Theodoſii, Martiani, Juſtiniani, atque aliorum optimorum Principum Chriſtianorum ſalutares conditas Leges, & Diſciplinam Eccleſiaſticam primis generalibus Conciliis divinitùs ita conſtitutam, ut vitia noſtra & mores corruptiſſimi utcumque adhuc hodie illis ſanctiſſimis regulis Majorum, quaſi fræno coërceantur, & quodammodo tolerabiles reddantur.

Verùm ſicut florente ſtatu politico Imperii Romani optimus ordo & ſanctiſſimæ leges, quibus beati ac felices populi redderentur, moreſque & Religio meliùs haberent, conditæ ſunt: Ita ſub impotentibus Dynaſtiis & Principatibus ſemper uſu evenit, ut homines maximis miſeriis & calamitatibus opprimantur, atque ipſa Religio in anguſtum conſtricta langueat, vitiaque & ſuperſtitio mirum in modum bacchentur, & quaſi de virtute verâque pietate triumphum reportent. Quæ procul dubio certiſſimæ ſunt peſtes & monimenta eorum quæ poſtremis temporibus à Chriſto ventura pronuntiantur, cùm Apoſtoli reſcire geſtirent quando dies Domini futura eſſet. Matthæi 24. Audituri eſtis prælia & opiniones præliorum: videte ne turbemini, oportet enim hæc fieri, ſed nondum finis. Conſurget enim gens in gentem, & regnum in regnum, etiam ait Dominus. Item cap. 2. poſterioris ad Theſſalonicenſes. Qui in magno erant metu, quaſi dies Domini impenderet; eos Paulus ſic erudit: Nequis vos ſeducat ullomodò: num retinetis quod cùm adhuc eſſem apud vos hæc dicebam vobis? nam myſterium jam operatur iniquitatis: Tantùm ut qui tenet, nunc teneat donec de medio fiat, &c. Quem ad locum omnes Patres Græci, Latini, & gloſſæ perhibent Apoſtolum rectè innuere Romani Imperii, id eſt majeſtatis politicæ ruinam, & quamdiu ſtabit: velut quædam manus auxiliaris Eccleſiam propugans, & jus divinum naturale & canonicum ab omnibus ſervari procurans, tamdiu Eccleſiam duraturam. Quamobrem Patres Eccleſiæ primitivæ conſiderantes Eccleſiam ſponſam Domini in Imperio

Digitized by Google

perio & ſtatu politico, velut in quodam luculento domicilio & thalamo habitare, de Imperii tutela & incolumitate adeò erant anxii, ut pro Imperii atque Imperatorum quamquam Ethnicorum, hæreticorum, & apoſtatarum majeſtate noctu atque interdiu vota funderent: nec ſe umquam ſæcularibus negotiis immiſcerent: contrà quàm his ſequioribus ſæculis poſt Gregorii VII. Dictatus factum eſt. A quo tempore tota Romani Imperii atque omnium ſæcularium Poteſtatum majeſtas, teſte Othone Frinſingenſi, ſic dilapidata eſt, ut nomine potiùs quàm re ipſa hodie Imperium, Imperatores & Reges habeamus, ſi modò cuncti Principes politici à Romano Pontifice precarium Imperium habere debent, ut autores harum propoſitionum operosè docent.

Prima eſt, Eccleſiaſticos Jure divino à legibus politicis coactivis planè immunes eſſe, & de facto tantùm non jure ſubdi politicis poteſtatibus: atque inſuper jus habere materialis gladii & pœnæ capitalis in ipſos Reges, ut docet Bellarminus cap. 3. 21. & 36. in Barclaium.

Secunda, Principes Politicos debere ad nutum Romani Pontificis ſtringere aut recondere gladium; alioqui eſſe abdicabiles; & ſi abdicari nequeant, jus eſſe cuicumque illos occidendi poſt ſententiam Papæ. Bellarminus capite decimo nono & trigeſimo ſexto contra Barclaium, & Franciſcus Suares lib. 6. defenſionis fidei Catholicæ, ut vocat cap. 4. numero 18.

Tertiò ut horum Placitorum executio eſſet expeditior ſecretus quidam modus procedendi contra Reges & Regales perſonas his verbis concipitur tertia pàrte Directorii Inquiſitorum, quæſtione 31. Commentario octuageſimo. Conſulerem tamen ut contra Reges & Regales perſonas publicè non procederent Inquiſitores; ſed ut cautiùs & tutiùs negotium fidei poſſit agi, informaretur primitùs Dominus noſter Papa, ut procederetur ejus conſilio & mandato, & ſecundùm modum quem ipſe decreverit obſervandum.

Quartò

Quartò ad hujuſmodi & proceſſus arcani executionem adverſùs Reges & regales perſonas; quidam homines viles, quos Cruceſignatos vocant, inſtituuntur, qui nutibus Inquiſitorum obedientes, ea exequuntur quæ ad promotionem Sacri Officii Inquiſitionis, & ad fidei propagationem, & ad hæreticæ pravitatis extirpationem ſpectant. 3. parte Directorii quæſtione 129. Commentario 178.

Quintò ad illudendum politicis Magiſtratibus tanquam non juridicè adverſùs Eccleſiaſticos & iſtos Cruceſignatos aut aſſaſſinos procedentibus, forma & ratio æquivocandi nuper in artem redacta eſt. Ut inſuper omittam juventutem hodie in magnum ſtatus politici contemptum inſtitui, ac ſi nullus in ſæculo ſalvari poſſet, atque Magiſtratus eſſent contemptibiles ex Apoſtoli ſententia. Quibus ex principiis, & primùm, dato quòd Eccleſiaſtici non jure, ſed de facto tantùm ſubjiciantur politicis poteſtatibus, & jus habeant gladii materialis in Reges & Principes, ſequitur Eccleſiaſticos non eſſe cives & membra politici ſtatus, ſed alterum ſtatum in Republica conſtituere, ac Regibus viâ tantùm facti velut prædonibus armatis ſubjici, & quamdam Anarchiæ formam in Chriſtianam Rempublicam invehere: Ita ut, ſiquis illorum in caput Principis conſpiret, crimen læſæ majeſtatis minimè contrahat, ut nominatim docet Bellarminus, Emmanuel Saa cum omnibus qui bullam Cœnæ Domini propugnant. Unde quotquot in aliquo regno vel principatu Religioſorum ſodalitia, aut Sacerdotum collegia; totidem quoque arces & munimenta in Regum perniciem inſtructa exiſtent. Qua ratione Reſpublica tanquam intrinſecè diviſa ſibi ipſi planè inſufficiens eſt: eritque ſitum in poteſtate Eccleſiaſticorum, impedire quominùs Reges atque politici Magiſtratus finem lege divinâ & naturali ſibi præſtitutum conſequantur; quoniam plerique cives Pontifici, alii autem Principi politico in rebus temporalibus obedire volent, & de facto obedient: ſicque jugis & continua diſſentio pugnaque

Digitized by Google

que inter cives exardeſcet, quæ tum demum civitatem ſicut Romanum Imperium ſub Gregorio VII. & Innocentio IV. peſſumdabit: quia ſchiſma inter Sacerdotium & Regnum ſubortum à nullo ſarciri aut ſedari poterit; Et ſi Rex cedat, à majeſtate politica decedet, quæ juris eſt divini.

Secundò inſurgit Chriſtum veniſſe in mundum, ut omnes politicas poteſtates pridem ante Euangelium lege divinâ & naturali conſtitutas, ſaltem indirectè & clanculùm abrogaret, & conſequenter contra commune Theologorum effatum, *Gratiam naturæ & Gentium jura deſtruere, non perficere.*

Tertiò: quotuſquisque Ethnicorum Principum eâ lege in Eccleſiæ caſtris militare volet, ut ſi forſan contingat ſe dicto Pontificis minùs eſſe obſequentem, aut in aliquam neglectæ Religionis Catholicæ ſuſpicionem apud Curiæ Romanæ Principes, propter aliquod fœdus ad ſui ſtatus conſervationem cum hæreticis aut infidelibus initum, continuò à Romano Pontifice exauctoretur? Deus immortalis, quantas hodie tragœdias Princeps Turcarum, qui maximâ Dei providentiâ Chriſtianos in ſuo Imperio liberè vivere patitur, contra Eccleſiaſticos, & potiſſimùm in Jeſuitas ederet, ſi illos eam de poteſtate Papæ & Eccleſiaſticorum immunitatibus imbibiſſe ac diſſeminaſſe ſententiam reſciret, quam pro fidei Catholicæ dogmatibus ipſe Bellarminus, Becanus, Suares atque alii Jeſuitæ nobis venditant? Ecquiſnam Princeps Ethnicus de hinc Chriſtianos talia docentes in ſuis Dynaſtiis ferre voluerit?

Quartò, totâ Europâ ſchiſmatibus & peſtilentiſſimis factionibus diſſipatâ, certè nullus Princeps Chriſtianus inter ejuſmodi partium ſtudia de ſuo ſtatu, aut etiam de proprio capite inter naturales ſubditos & corporis cuſtodes ſecurus eſſe poteſt: quoniam ſi ſit Catholicus, atque Hugonotas ad orthodoxam Religionem amplectendam adigere velit, ſtatim

tim Hugonotæ illum pro tyranno habebunt, deque illo tollendo conſilia inibunt, ut Scripta Hotomani, Bucanani, Althuſii, & aliorum ejuſdem farinæ declarant. Contrà, ſi ſit hæreticus, atque libero Religionis Catholicæ exercitio Catholicos interdicat, confeſtim velut tyrannus mactationi deputabitur; idque conjuratio nitrati & ſulphurei pulveris adversùs magnæ Britanniæ Regem, atque aliæ conjurationes in Elizabetham plus ſatis comprobant. Scitum inſuper quidnam ex hujuſmodi peſtilentis doctrinæ principiis Henrico III. & IV. Galliarum Regibus maximè Catholicis acciderit: quia hoc ſolo colore, quod hæreticis favere putarentur, aſſaſſinorum inſidiis occubuerunt. Profectò hæc Bellarmini placita Judæis & Turcis contra Chriſtianos, & Hugonotis adversùs Catholicos, quàm Catholicis contra Hugonotas & hæreticos fautoreſque hæreticorum æquè patrocinantur: quoniam illa quæ unis ſancta, aliis impia ſunt: ac proinde juxta hanc doctrinam Bellarmini, univerſum mundum ſanguine, cædibus, incendiis & populationibus vaſtant ac deformant: conſequenterque ad manſuetiſſima & ſaluberrima Apoſtolorum & Patrum antiquorum dogmata nobis certò digitum intendunt, ut ea his relictis amplectamur. Sanè, primis quadringentis annis Euangelii, quibus Eccleſia partim Ethnicorum, partim hæreticorum & Apoſtatarum Principum feralibus Edictis excarnificata eſt; cùm Romani Imperatores obſervaſſent omnes Chriſtianos, & præſertim Eccleſiaſticos politicis Magiſtratibus, cujuſcumque eſſent Religionis, ſemper humillimè paruiſſe, nec ſe unquam negotiis ſæcularibus immiſcuiſſe, potiuſque mortem crudeliſſimam perpeti, quàm ſeditionibus, bellis, aut cladibus directè vel indirectè, palàm aut clanculum ullam maluiſſe præbere cauſam: ſicut tum demum Chriſtianam Religionem amplexi ſunt, atque innumeris opibus, privilegiis, & immunitatibus, quibus hodie Clerici ſplendent ac nobilitantur, Eccleſiam certatim locupletarunt: Ita valde metuendum, ne Principes

cipes

Digitized by Google

cipes politici, ubi compertum habuerint autoribus atque executoribus indirectæ poteſtatis Papæ in rebus temporalibus hoc eſſe propoſitum, ut politicas poteſtates quaſi ſeudatarias Curiæ Romanæ addicant, viamque inſuper ad Reges Pontifici immorigeros, ferro, veneno, aut aliis inſidiis mactandos inſtruant; valdè, inquam, metuendum eſt ne hinc occaſionem captent Chriſtianam Religionem & Eccleſiam Romanam deſerendi, atque Eccleſiaſticos velut rerum novarum ſtudioſos, ac politicis poteſtatibus planè infeſtos acerbiùs tractandi, ut jam jam in Anglia propter crebras conſpirationes Catholicorum contigit.

Quæ ſeditioſiſſima dogmata nobis certiſſimam acceſſionem præbent ad hujus divini oraculi notitiam: *Tantùm qui tenet, nunc teneat, donec de medio fiat, &c.* quâ clauſulâ veri ſimile eſt Apoſtolum non de ſolo Romano imperio, quod pridem exciſum eſt, loqui; ſed metonymicôs, ſubjectum pro re ſubjectâ, id eſt cunctas politicas poteſtates legitimè conſtitutas deſignare, eaſque aut in Chriſtianæ Religionis excidium omninò armatas, ut Turcicum Imperium, aut etiam ſic impotentes ac internè diviſas & diſſipatas oſtendere, ut nec ſibi, nec ſuis, nedum aliis ullo modo prodeſſe queant: tumque futurum quod Chriſtus prædixit Mathæi 24. *Audituri eſtis prælia & opiniones præliorum; conſurget gens in gentem, & regnum in regnum, &c.* Procul dubio mihi apprimè conſcius Vaſtitatis provinciarum, Excidii urbium florentiſſimarum, Internecionis hominum atque aliarum calamitatum, quæ ex tam peſtilenti doctrina & interna diviſione politicæ majeſtatis emergunt: Et quia poſt duorum Regum Chriſtianiſſimorum nefanda parricidia, harum tragœdiarum ſpecimen propriis oculis hauſimus, ut pro mei ingenii atque officii modulo tantis, tamque horrendis vaſtitatibus irem obviam, unitati, paci, & concordiæ Chriſtianæ Reipublicæ, quantùm in me ſitum eſſet, conſulerem, atque Romanam Curiam ad negotia ſæcularia

 laria

laria ſæcularibus Principibus relinquenda, ſuamque gubernationem ad Legis gratiæ normam mitigandam invitarem, varios libros de juſta Eccleſiæ authoritate, atque omnium ultimò hoc opus de utriuſque poteſtatis finibus regendis & componendis, ad gloriam Dei lucubravi. Cujus operis præcipua capita, ne te diutiùs ſuſpenſum detineam, Lector benevole, hîc in limine ſigillatim exſcribenda cenſui; ut ea decurſu oculorum breviter perluſtrare, & quid rerum hîc agatur cognoſcere poſſis. Vale.

LI·

Digitized by Google

LIBRI PRIMI ARGUMENTUM.

Caput I.

I. *PArtitio totius operis in ſex Libros.* 1

II. *Quæ fuerit cauſa tertio Ordini Comitiorum Regni Franciæ, ut articulum de ſuprema Regum auctoritate in Temporalibus conderet, & quinam ille ſit articulus?* 2

III. *Quando & à quibus memoratus articulus primùm conceptus & conſcriptus fuerit in ædibus urbis Pariſienſis.* 4

IV. *Hiſtoria brevis motuum Ordinis Eccleſiaſtici contra articulum tertii Ordinis: Et de querelis ac jurgiis inde ſubortis.* 5

V. *Breve Apoſtolicum Pauli V. ad Eccleſiaſticum Ordinem pro congratulatione eorum quæ in articulum geſſerat: Et Reſponſio Ordinis Eccleſiaſtici ad Breve Pontificium, ac de iis quæ tum adversùs hæc reſcripta dicebantur.* 14

Caput II.

De praxi Eccleſiæ Catholicæ, quâ titulus & poſſeſſio tertii Ordinis conformiter ad ſuum articulum fulcitur. 25

Caput III.

I. *De praxi Eccleſiæ Gallicanæ congruenter ad prædictum articulum; & de Hincmari Rhemenſis Epiſtola ad Adrianum II. pro Regiæ autoritatis defenſione.* 27

II. *Galli parere Gregorio VII. recuſant, volenti Franciæ Regnum ſub interdicto anathematis ponere.* 30

III. *Hiſtoria eorum quæ occaſionem præbuerunt Innocentio III. condendi Decretalem, Novit de judiciis.* 30

IV. *Studium B. Ludovici & Nobilitatis Franciæ in vindicanda politica poteſtate contra uſurpationes Clericorum.* 35

V. *De Actis trium Ordinum Regni Franciæ adversùs Bonifacium VIII. & de Revocatione Extravagantis. Unam Sanctam per Decretalem Clementis V. Meruit.* 38

VI. *Arreſta Parlamenti contra Joannem Tanquarellum & Bernardinum Caſtorium qui bullam Cœnæ Domini vulgavit in Regno Franciæ anno 1580. Et de iis quæ tempore bellorum civilium Ligæ geſta ſunt pro Regiæ auctoritatis defenſione uſque ad mortem Henrici IV.* 40

VII. *Hiſtoria rerum quæ pro, & contra Arreſtum Curiæ Parlamenti adversùs librum Cardinalis Bellarmini in Barclaium acta ſunt in privato Regis Conſiſtorio.* 46

VIII. *Cenſura Pauli V. contra librum Becani cum brevi narratiuncula eorum quæ ſuper ea re geſta ſunt in facultate Theologica Pariſienſi, & ſacro Regis Conſiſtorio.* 54

IX. *Sententia Prætoris Pariſienſis adversùs librum Schulckerii, & Arreſtum Parlamenti contra librum Franciſci Suaris inſcriptum: defenſio fidei Catholicæ, &c.* 62

LIBRI SECUNDI ARGUMENTUM.

Caput I.

I. *DE methodo ſervandâ in hoc opere; & quatuor eſſe neceſſaria ad veritatem Orthodoxam alicujus doctrinæ eliciendam & conſtituendam.* 65

II. *Cauſas eſſentiales politicæ poteſtatis immediatè à Deo cum Legis naturalis inſtitutione conſtitutas fuiſſe.* 68

III. *Cauſa formalis eſt quædam Legis æternæ participatio, conſiſtens in ſuprema facultate dirigendi & cogendi temporaliter, ac Regni & Imperii Majeſtatem*

Digitized by Google

tem efficiens, à qua nemo ambitu Reipublica contentus liber & ſolutus eſſe poteſt. 71

IV. *Analytica explicatio textus Apoſtoli: omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Rom. 13. 73

V. *Regnum Francia immediatè habere à Deo poteſtatem dirigendi & cogendi cives ſibi ſubditos: Et continuò, fide Catholicâ credendum Regem Gallia non habere ſuperiorem in Temporalibus, ſicut articulo tertii Ordinis definitur.* 80

VI. *Cur Apoſtolus non de ſimplici obedientia, ſed de ſubjectione politicis poteſtatibus debitâ loquatur: Et quonam diſcrimine ſubjectio ſuper obedientiam emineat.* 81

VII. *Dogmatica Expoſitio textus B. Petri: ſubjecti eſtote omni humana creatura, &c.* 82

C A P U T II.

Patrum Explicationes conformes Analyſi textus Apoſtoli: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, &c. *Nimirùm:*

Tertuliani.
Origenis.
Baſilii.
Gregorii Nazianzeni.
Chryſoſtomi.
Optati Milevitani.
Ambroſii.
Auguſtini.
Theodoreti.
Theophylacti.
Oecumenii.
Beda.
Anſelmi.
Petri Lombardi.
S. Bernardi.
Gloſſa.
Thoma Aquinatis.
Cajetani.
Eſpenſai.
Adami Saibouth.
Guilliardi.
Toleti.
Perrerii.
Guillelmi Eſtii.
Cornelii à Lapide. 84

C A P U T III.

I. *Catholicus Patrum conſenſus hunc verſum Pſalmi* 50. Tibi ſoli peccavi, *ita exponit, ut inde liqueat Principem ſupremum nemini quoad directionem & coactionem in Civilibus & Temporalibus ſubeſſe.* 109

II. *S. Gregorius jure Reipublica ſe ſervum eſſe dicit Mauritii Imperatoris: & de ejuſdem cade quam Deus ſeveriſſimè ultus eſt.* 111

III. *Quidnam ſit, regnum Legis Moſaïca eſſe Sacerdotale: Et Sacerdotium Legis Euangelica regale, contra violentam Innocentii* III. *& Baronii interpretationem: & de Regum Judaorum Poteſtate in Principes Sacerdotum.* 114

IV. *Principes ſuperiores nullum habere ſuperiorem in Temporalibus, quamvis in ſpiritualibus ſubjiciantur Sacerdotibus, ut ait Hector Pintus.* 119

C A P U T IV.

I. *Variorum Conciliorùm decreta; de ſupremâ Regum auctoritate in Temporalibus.* 120

II. *De Gallorum fidelitate in ſuos Principes, antequam Jeſuita Scholas ſuas aperuiſſent.* 123

III. *Nefas eſſe de Principis ſalute aliquid perſcrutari.* 126

IV. *De duplici clave, nimirum juriſdictionis & diſcretionis, quarum hac etiam Laicis competit: Et nihil ineſſe articulo tertii Ordinis quod juri divino, naturali, & Catholico conſenſui Patrum ac praxi Eccleſia non conſentiat.* 129

C A P U T V.

I. *An jus ſit populo Reges abdicare, ſicut & creare, ut quidam volunt perſuadere, quorum argumenta examinantur & depellantur.* 131

II. *Pacem & tranquillitatem publicam eſſe juris divini naturalis, quam proinde nemini fas eſt violare; cùm etiam bellum alia lege gerere non liceat, quàm ut pax habeatur.* 133

III. *Propter ſola Temporalia licitum bella facere.* ib.

IV. *In Moralibus & Politicis quacumque magno cum periculo & difficultate fiunt, accenſeri impoſſibilibus: ac longè ſatius eſſe tyrannum perferre, quàm pacem & tranquillitatem publicam violare, ut ille tollatur de medio.* ib.

V. *Reipublica ſufficientiam non in eo verſari ut pacem publicam concutiat, ſed accuratè ſervet: Et de hareditariis atque*

Digitized by Google

que electivi principatus diſcrimine. 134

VI. *In publicis contractibus cum Rege initis cur hac formula Becani & Cardinalis Perronii: Frangenti fidem fides frangatur eidem, locum habere non poſſit, ſicut in pactis conventis privatorum.* ib.

VII. *Principis officium eſſe primò & directè bellum gerere aut pro conſequenda aut pro aſſerenda pace, & impedienda diviſione ſtatus politici.* 135

VIII. *Machabæos tanquam Principes politicos arma ſumpſiſſe in Antiochum potius ratione ſtatus politici Judaici, quàm Religionis: Et de intima utriusque conjunctione in lege Moſaica.* 136

IX. *Gentes, cum ſolo jure humano Reges conſtitui ducerent, pari quoque ratione illos abrogari poſſe opinabantur: Contrà autem Chriſtiani cùm didicerint à Deo propitio vel irato bonos aut malos Principes tribui, ideo illos qualescumque ſint tolerare, non interimere debent.* ib.

X. *Utrum Davidi Saulem occidere licuerit: Et de S. Auguſtini atque Joannis Marianæ ſententia in eam rem.* 139

XI. *Captivitatem populi Judaici,* Jer. 27. *fuiſſe velut figuram eorum quæ Chriſtianis contingere debebant ſub Ethnicis, Apoſtatis, & hæreticis Principibus.* 140

XII. *In Lege Euangelica quoties de obedientia politicis poteſtatibus debita agitur, clarius oraculum aut reſponſum, quàm quod Lege divinâ & naturali, atque praxi Eccleſiæ primitivæ clariſſimè demonſtratur, non eſſe quærendum.* 143

XIII. *Gerſonium aliquando ſenſiſſe cum Ethnicis Philoſophis: nimirum jus eſſe interimendi Tyrannos: ſed dehinc re accuratius examinatâ, & uſu factum prudentiorem mutaſſe ſententiam.* 144

XIV. *Becani opinionem de Roboami abdicatione, & decem Tribuum ſeceſſione ſacris Scripturis adverſari.* 146

XV. *Nullo modo è re Chriſtianæ Religionis eſſe, ut Romano Pontifici contra cauſas eſſentiales poteſtatis Eccleſiaſticæ, poteſtas Regum abdicandorum tribuatur.* 146

XVI. *Epilogus & ſumma totius libri ſecundi.* 147

XVII. *Argumenta Antonii de Dominis Spalatenſis Epiſcopi examinantur, quibus probat omnes Reges & Principes ab ipſomet Deo immediatè conſtitui.* 148

LIBRI TERTII ARGUMENTUM.

Caput I.

I. *Chriſtum quatuor de cauſis ſolam poteſtatem miniſterialem ſpiritualem Paſtoribus Eccleſiæ reliquiſſe: Quarum prima eſt ut ſapientiam mundi confunderet, & procul ab Eccleſia arceret.* 160

II. *Secunda cauſa eſt, ut Eccleſia omnem ſuam ſufficientiam in ſeipſa, hoc eſt in ſola obſervatione mandatorum Dei & opibus ſpiritualibus collocaret, nec foris eam quæreret.* 162

III. *Tertia ut Eccleſiaſticos humilitatem edoceret, & à cura rerum ſæcularium tanquam à peſte ſpiritualis vitæ avocaret.* ibid.

IV. *Clericos negotiis ſæculi deditos, eſſe Martyres mundi, qui per multas tribulationes promerentur infernum, teſte Petro Bleſenſi.* 165

V. *Curam & Juriſdictionem rerum temporalium reddidiſſe Eccleſiam totam brutalem, autore Gerſonio.* 167

VI. *Ethopaia primùm à Thoma Cantipratano, deinde à neſcio quo alio confictæ de Lucifero Principe tenebrarum Clericis gratulante, quòd ſeſe negotiis ſæcularibus contra Chriſti præceptum dedant, & hac ratione infernum animabus Chriſti ſanguine redemptis refereiant.* 171

VII. *Quarta cauſa, ut pacem, charitatem & unionem eſſe Legis gratiæ finem demonſtraret; atque Ethnicos & quoſcum-*

Digitized by Google

cumque homines ad Euangelium allice-ret. 176

VIII. *Nihil tantoperè infeſtum & contrarium eſſe charitati quàm dominandi ſtudium & poteſtatem abſolutam Papæ.* 178

IX. *Doctrinam Bellarmini ruinam & excidium parare Euangelio.* 178

CAPUT II.

I. *De Cauſis Eſſentialibus Poteſtatis Eccleſiaſticæ.* 182

II. *Ex triplici poteſtate quam Chriſtus habuit auctoritatis, excellentiæ, & puri miniſterii, ultimam dumtaxat Eccleſiæ reliquit: Et quidnam ſit ejuſmodi poteſtas miniſterialis?* ibid.

III. *Excommunicationem dogmaticè loquendo non poſſe dici coactionem aut coercitionem.* 187

IV. *Diſputatio Bellarmini de Regno Chriſti examinatur, ſuoque genuino ſenſui ſecundùm poteſtatem miniſterialem relictam Eccleſiæ aſſeritur.* 189

CAPUT III.

Conſenſus Catholicus Patrum & Doctorum Eccleſiæ, de Poteſtate miniſteriali ſpirituali Eccleſiæ vacua omni poteſtate cogendi extrinſecè per pœnas temporales. *Nimirùm:*

Tertulliani.
Origenis.
Lactantii.
S. Athanaſii.
Hilarii.
B. Martini.
Greg. Nazianzeni.
Ambroſii.
Hieronymi.
Chryſoſtomi.
Auguſtini.
Cyrilli Alexandrini.
Gelaſii Papæ.
S. Gregorii.
Gregorii II. Papæ.
Hincmari Rhemenſis.
Nicolai I. PP.
Joannis Octavi. PP.
Oecumenii.
Theophylacti.
Petri Damiani Cardinalis.
Anſelmi.
Hildeberti Cœnomanenſis.
S. Bernardi.
Gratiani.
Ivonis Carnotenſis.
Cæleſtini III. PP.
Gloſſæ & Lyrani.
Ruperti Abbatis.
Ægidii Romani.
Anonymi, ſub Philippo Pulchro Franciæ Rege Dialogi inter Clericum & Militem.
Joannis Pariſienſis.
Cardinalis Alliaceni.
Gerſonii.
Almaini.
Joannis Majoris.
Cardinalis Cuſani.
Toſtati Abul. Epiſcopi.
Guagini.
Claudii Guillardi.
Joannis Arborei.
Claudii Eſpenſæi.
Joannis Feri.
Cardinalis Toleti.
Maldonati. 193

CAPUT IV.

I. *De natura Excommunicationis quæ pœna eſt coactiva, & nativus gladius ſpiritualis Eccleſiæ.* 282

II. *Excommunicationem non poſſe privare homines ſubſidiis & adjumentis, quæ jure divino naturali hominibus competunt, ſed tantùm communione Eccleſiaſticâ.* 283

III. *Solo Jure humano non divino communionem in civilibus prohiberi cum excommunicatis.* 284

IV. *Argumenta Gregorii de Valentia, & Franciſci Suaris in contrarium examinantur & confutantur.* 287

V. *Gregorii VII. Conſtitutiones in eam rem.* 290

VI. *Excommunicationem debere Legis naturam & conditiones æmulari; ideoque juſtam, neceſſariam, poſſibilem, utilem, loco temporique convenientem eſſe, nec pacem publicam debere ſollicitare.* 293

VII. *Ex Gloſſa & Auguſtino; neque multitudinem neque Principem populi excommunicandum eſſe.* 294

VIII. *Analyſis Epiſtolæ Auguſtini contra Parmenianum, quâ de natura & fine cenſurarum diſputat.* 294

IX. *Rationem ſervandæ unitatis petendam ex promiſſis Dei ſacrâ Scripturâ declaratis Eccleſiæ, non autem ab humanis adinventionibus, autore Auguſtino.* 305

X. *Ivonis Carnotenſis Epiſcopi, & Jacobi Almaini de cenſuris ferendis ſententia ſalutaris; contra Bellarmini & Recentiorum placita.* 306

XI. *Quando & quatenus uti liceat cenſuris in Reges, & de Arreſtis Parlamenti, quibus declaratur Regem Franciæ excommunicari non poſſe: Et quonam ſenſu id capi debeat.* 309

XII. *Actum ſecundum, hoc eſt actualem obligationem cenſurarum pendere à con-*

ſenſu

Digitized by Google

ſenſu totius Eccleſiæ, eamque ob cauſam Apoſtolum inceſtuoſum Corinthienſem dumtaxat in actu primo excommunicaſſe. 310

XIII. *Auxilius juvenis Epiſcopus ab Auguſtino reprehenditur, quod integram familiam ob unius culpam excommunicaſſet.* 315

XIV. *Interdictum loci quo tempore inventum, quàm ſit periculoſum, contraque charitatem & pacem, quæ eſt finis omnium legum; eamque ob cauſam Parlamenta Franciæ ſemper obſtitiſſe, ne ejuſmodi interdicta mitterentur in rem judicatam.* 316

XV. *Quando & quatenus Princeps aut Magiſtratus politicus poſſit judicium ferre de cenſuris Eccleſiaſticis.* 317

XVI. *Quo ſenſu Joannes Pariſienſis dixerit Papam ultra cenſuram nihil poſſe conferre ad Regum depoſitionem niſi per accidens: Et pro certiſſimo tenendum Leges Eccleſiaſticas numquam obligare cum magno vitæ rerumque temporalium, & pacis publicæ diſpendio.* 319

CAPUT V.

Confutatio errorum Marſilii Paduani atque Janduni, de poteſtate Clavium: quorum hæreſis totam poteſtatem Eccleſiaſticam in politicam autoritatem confundit: ſicut recentiores Politicam in Eccleſiaſticam poteſtatem reſolvunt, atque Orthodoxam doctrinam inter hos duos errores mediam tutò incedere. 320

CAPUT VI.

I. *De Eccleſiaſticorum immunitatibus, quæ ſunt in duplici genere, nempe juris divini & naturalis, deinde juris purè humani.* 328

II. *Franciſci Suaris argumenta Scholaſtica pro immunitatibus Eccleſiaſticorum depelluntur.* 331

III. *Ejus error intolerandus, quòd Pontifex Romanus habeat à Chriſto poteſtatem irrogandi pœnam capitalem: Et quòd Papa abſque conſenſu Imperatoris, potuerit Clericos eximere ab juriſdictione politica.* 333

IV. *Implicare contradictionem Regem aut Rempublicam ſeſe in alicujus gratiam & favorem ſupremâ majeſtate dirigendi & cogendi quam jure divino & naturali habet, exuere.* 336

V. *De Charactere Sacerdotali, & quam immunitatem ſecum includat.* 339

VI. *Octo argumenta Bellarmini pro libertatibus Eccleſiaſticorum examinantur & dilapidantur: ac primùm de hujus loci interpretatione: Simon, Reges terræ à quibus accipiunt tributum? Matthæi 17.* 341

VII. *Præceptum de parendo politicis poteſtatibus eſſe æternum atque invariabile de omni & per ſe, ſive Monarchicè, ſive Ariſtocraticè, aut Democraticè exerceatur.* 344

VIII. *Quomodo Eccleſiaſtici & Principes politici ſibi invicem ſubeſſe & præeſſe poſſint.* 348

IX. *Quidnam ſit tenendum de controverſiis quas Epiſcopi ad Conſtantinum detulerunt: Et de hac voce Conſtantini: Vos Dii eſtis.* 355

X. *Argumenta ducta à Conciliis Conſtantienſi, Tridentino, & Decretis Pontificum evolvuntur.* 356

LIBRI QUARTI
ARGUMENTUM.

CAPUT I.

I. **DE Inveſtituris, & quidnam ſint?** 361

II. ***Totam Juriſdictionem Eccleſiaſticam manare à Sacerdotio Chriſti tanquam à cauſa efficiente: Et poſſe conſiderari formaliter aut materialiter, ac priori modo conferri per ſacros Ordines: poſteriori***

Digitized by Google

riori per ſacras electiones aut tituli collationem. 361

III. *De activa & paſſiva electione Prælatorum, & quibuſnam hæc competat?* 362

IV. *Cùm Paſtores ſint tanquam Lex animata Eccleſiæ, illos quidem officium ſuum abſque conſenſu populi exercere repugnat, idque plurium graviſſimorum autorum teſtimonio, & praxi Eccleſiæ probatur.* 363

V. *Quare jus quod Populus habebat in electionibus, tandem lege regiâ translatum ſit in Reges atque Principes ſupremos: Et de praxi Eccleſiæ in eam rem.* 366

VI. *Olim Pontifices Romani abſque Imperatorum conſenſu minimè legebantur.* 367

VII. *S. Gregorius de arrogantia Panormitani Epiſcopi conqueritur, quòd contra canones Epiſcopatus ſortitus eſſet.* 368

VIII. *De Cathedratico, quod Pontifices ſtatim poſt ſuam electionem Imperatoribus dependere ſolebant.* 370

IX. *Sub prima ſtirpe Regum Franciæ Epiſcopi abſque regio conſenſu cooptabantur.* ibid.

X. *De jure eligendi Romanum Pontificem Galliæ Regibus conceſſo ab Adriano I. quòd non ſit aliquod jus novum, ſed potius continuatio & declaratio juris antiqui.* 372

XI. *Reges quadruplici titulo poſſe ad Prælatorum electionem intervenire.* 376

XII. *Nominationes atque inveſtituras Principum quando ortum habuerant ab Eccleſiæ conſenſu & inſtitutione, nullomodò dici poſſe hæreſim redolere.* 377

XIII. *Ivo Carnotenſis primus laudavit Canonem Adrianus, & Canonem, in Synodo diſtinct. 63. Unde Gratianus illos ab Ivonis Pannonia, non à Sigeberto mutuatus eſt.* 378

XIV. *Ejuſdem Ivonis ſententia de inveſtituris. Epiſtola ad Hugonem Archiepiſcopum Lugdunenſem Gregorii VII. Fiduciarium, atque Urbani II. Legatum.* 380

XV. *Quidnam ſit inveſtitura corporalis Ivoni Carnotenſi?* 385

XVI. *Goffridii Abbatis Vindocinenſis, Cardinalis R. E. ſententia de inveſtituris enucleatur.* 386

XVII. *De Sigeberti narratione ſuper inveſtituris, quam Aubertus Miræus, ut Curiæ Romanæ gratiam aucuparetur, ex ſua Editione nupera malâ ſide expunxit.* 387

XVIII. *Onuphrii ſententia de inveſtituris, & privilegio Galliarum Regibus indulto ab Adriano I. Et undenam tantæ opes Eccleſiis accreverint.* 389

XIX. *Imperatorem jus inveſtiturarum ejurare voluiſſe, modò Eccleſia Imperio Regalia quæ ab illo habuerat, reſtitueret.* 394

XX. *Othonis Friſingenſis & Cardinalis Cuſani lugubres querelæ de Clericorum ingratitudine adversùs Imperatores.* ibid.

XXI. *Formam eligendorum Prælatorum Canonibus Nicænis introductam, à Gregorio VII. immutatam fuiſſe.* 395

XXII. *De Bonifacii VIII. & Philippi Pulchri diſſidio ſuper beneficiorum & Regaliorum collatione: Et quonam jure Laici beneficia conferre poſſint?* 396

XXIII. *Summa totius capitis, atque jus conferendi & concedendi beneficia & Regalia multis titulis Galliæ Regibus competere, ſecluſis etiam Concordatis Bononienſibus.* 398

CAPUT II.

I. *Argumenta Bellarmini contra populi & Regum Electiones ſoluta.* 400

II. *Baronii argumenta contra Inveſtituras expenduntur.* 405

III. *Utrum Ivo Carnotenſis abſolutè Acta Gregorii VII. & ſucceſſorum ejuſdem contra Inveſtituras approbarit, ut narrat Baronius?* 414

IV. *Paſchalem II. Henrico V. Imperatori pollicitum fuiſſe ſe effecturum, ut Regalia, aut ditio atque opes tempora-*

les

Digitized by Google

les reſtituerentur Imperio, ſimodò Henricus Inveſtituras ejuraret: Et quantùm odii ſibi Paſchalis ex hac ſuâ pollicitatione conciliaverit apud Ordinem Eccleſiaſticum. 416

V. *Ivo docet Inveſtituras non poſſe dici hæreſim.* 419

VI. *Ipſemet etiam Baronius, ubi multa tergiverſatus eſt, fatetur Inveſtituras non eſſe hæreſim contra expreſſum Guidonis Viennenſis Archiepiſcopi decretum, qui poſtea Pontifex tanquam magnus Zelotes Actorum Gregorii VII. creatus eſt.* 422

CAPUT III.

I. *Geſta Gregorii VII. qui primus autor doctrinæ Regum deponendorum extitit: deprompta ex ejuſdem Epiſtolis analyticè examinantur.* 426

II. *Quæ & quanta molitus ſit adversùs Henricum IV. Imperatorem, etiam antequam conſecratus eſt Pontifex.* ib.

III. *De ejus confidentia & formulis loquendi ac decernendi ſæculis anteactis inaudita.* 435

IV. *Quantùm curæ poſuerit ut ſibi Reges & regna feudataria efficeret.* 439

V. *De juramenti formulis quas Epiſcopis, Principibus, Regibus, atque Imperatoribus tanquam Dominus & Monarcha abſolutus in temporalibus & ſpiritualibus præſcribit.* 442

VI. *Imperatorem militem S. Petri & Papæ efficit.* 446

VII. *Quantis horrendis malis & calamitatibus vehemens Gregorii VII. ingenium & vincendi ſtudium cauſam præbuerit: Quæ mala ut aliqua ſua decreta revocaret, illum impulerunt* 447

VIII. *Niſi Galliæ Epiſcopi ejus imperatis obſtitiſſent, totum Franciæ Regnum ſub Interdicto poſuiſſet.* 452

IX. *Quâ viâ & ratione ſibi viam fecerit ad Henrici IV. abdicationem.* 454

X. *Viginti & ſeptem illius Dictatus dogmaticè examinantur.* 455

XI. *Analyſis Epiſtolæ Gregorii VII. ad Herimanum Metenſem Epiſcopum, in qua ſeptemdecim argumentis efficere vult Papam autoritate abdicandi Reges præditum.* 477

XII. *Octavo argumento perſuadere nititur regiam poteſtatem eſſe à Diabolo.* 482

XIII. *Nova judicii forma ante inaudita ad Henricum exauctorandum utitur, eamque iterat.* 489

XIV. *Imperator quamquam victor ex bello Saxonico rediret, tamen humillimè Gregorio paruit: & de Gregorii feritate in Cæſarem, cui cauſam obdureſcendi atque arma capiendi præbuit, ut ſeſe & majeſtatem Imperii tueretur. Unde ſchiſma atque incredibilis ſtrages, & laniena Chriſtianorum ſequuta eſt.* 492

XV. *Gregorius excommunicationem ad pœnas temporales & corporales, atque etiam ad felices & infelices vitæ humanæ ſucceſſus contra Chriſti inſtitutum refert.* 498

XVI. *Tertia forma excommunicationis in Cæſarem duabus prioribus longè terribilior, quâ Gregorius Prophetam agit, pollicetur que Henricum IV. falſum Regem intra annum moriturum; ſed eum de falſo Rege vaticinium fefellit, quoniam Rodolphus Suevia Dux, Cæſari inimiciſſimus, quem Gregorius deligi in Regem Romanorum curaverat, in bello adversùs Henricum Dominum ſuum occubuit.* 501

XVII. *Objectio Bellarmini ab Epiſtola Stephani Alberſtatenſis petita, enucleatur ac diluitur.* 505

XVIII. *Fruſtrà Baronium & Gretſerum niti, ut Gregorii VII. falſam prophetiam excuſent.* 508

XIX. *Rodolphi falſi Regis reſipiſcentia in articulo mortis, quòd arma in Dominum ſuum Henricum ſumpſiſſet, ejuſque exhortatio ad Epiſcopos qui eum ad hoc facinus exciverant; Et Gregorii VII. in eam rem teſtimonium.* 509

XX. *De Gregorii VII. morte: Et utrum geſtorum à ſe in Henricum Imperatorem pœnituerit.* 511

XXI. *Sigebertum æquiorem eſſe erga Gregorium, dum illum ait pœnituiſſe, quam alios qui contrarium aſſerunt.* 512

XXII. *Ratio ab Curia Romana Principibus inita, ut odium & bellum adverſus Imperatorem continuaretur: Et de Victoris III. Urbani, & Paſchalis II. ex Ordine ſancti Benedicti electione ad Papatum.* 514

XXIII. *Hæc verba Sigeberti de Actis Gregorii: Novitas ne dicam hæreſis dogmaticè perpenduntur.* 516

XXIV. *De Gregorii VII. miraculis à Baronio & Bellarmino relatis: quodque de hominum vita ex convenientia aut diſconvenientia quam habet cum legè divina & naturali judicandum ſit.* 518

XXV. *Fructus Actorum Gregorii VII.* 519

EMUN-

EMUNDI RICHERII DE POTESTATE ECCLESIÆ IN REBUS TEMPORALIBUS

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

I. *Partitio totius operis in ſex libros.*

II. *Quæ fuerit cauſa tertio Ordini Comitiorum regni Franciæ, ut articulum de Suprema Regum autoritate in Temporalibus conderet: Et quinam ille ſit articulus?*

III. *Quando, & à quibus memoratus articulus primùm conceptus & conſcriptus fuerit in æde urbis Pariſienſis?*

IV. *Hiſtoria brevis motuum Ordinis Eccleſiaſtici contra articulum tertii Ordinis: Et de querelis ac jurgiis inde ſubortis.*

V. *Breve Apoſtolicum Pauli V. ad Eccleſiaſticum Ordinem, pro congratulatione eorum quæ in articulum geſſerat: Et Reſponſio Ordinis Eccleſiaſtici ad Breve Pontificium: Et de his quæ tum dicebantur adversùs hæc Reſcripta.*

I. QUamquam defenſio capitis XI. Libelli mei de Eccleſiaſtica, & politica poteſtate, fideſque in eam rem non ſemel data, nequaquam me ad lucubrandum opus de poteſtate Eccleſiæ in rebus temporalibus obſtringerent; attamen hiſtoria rerum geſtarum in generalibus Comitiis trium Ordinum regni Franciæ anno 1614. & 1615. meaque ſumma in veritatis ſtudium propenſio ad id peragendum, mihi ardentiſſimas faces accenderent: maximè verò quod ut ait S. Leo diſt. 83. Canone Error: *Cui non reſiſtitur, approbatur: Et veritas cum minimè defenſatur, opprimitur.* Cæterùm hoc opus partiar in ſex libros, quorum primus brevem complectetur hiſtoriam rerum pro, & contra articulum tertii Ordinis Comitiorum regni Franciæ geſtarum, cum rationibus & argumentis quibus Ordo tertius ſuam poſſeſſionem fulciebat. Secundus Liber naturam atque principia politicæ poteſtatis conformiter ad articulum tertii Ordinis. Tertius cauſas eſſentiales Eccleſiaſticæ autoritatis etiam congruenter ad eumdem articulum analyticè reſerabit. Quartus acta Gregorii VII. à quo dogmata Regum abdicandorum primùm originem ſumpſerunt ex ejuſdem Gregorii

gorii epiſtolis, atque aliis autoribus indubitatis; nec non etiam jus Inveſtiturarum; Placita directorii Inquiſitorum; Bullæ Cœnæ Domini; atque alia ejuſmodi explicabit. Quintus univerſa argumenta Bellarmini, Becani, Suaris, & aliorum pro quæſtione juris, à qua Cardinalis Perronius abſtinuit, expendet atque confutabit. Sextus denique ſuaſionem ejuſdem Cardinalis Perronii dogmaticè examinabit, omneſque ejus rationes fucatas diluet.

II. Ut ergo à principiis ordiamur, Anno 1614. Comitia generalia regni Franciæ Lutetiæ Pariſiorum, regiis litteris indicta ſunt Ludovico XIII. annum quatuordecimum ætatis ineunte. Cum autem totum regnum à viginti circiter annis duos Galliæ Reges inſidiis & cultris aſſaſſinorum occubuiſſe, atque poſt Henrici Magni cædem ſub infirma Ludovici XIII. ætate, peſtilentem doctrinam de deponendis atque occidendis Regibus prætextu tyrannidis, aut neglectæ Religionis Catholicæ, frequenti librorum editione familiarem atque uſitatam effici videret: Idque adeò ut ex incerto & controverſo jure deponendi, jus certiſſimum occidendi Reges, eorumque regna prædæ exponendi adſtrueretur, & quotidiè numerus aſſaſſinorum excreſceret: Inſuper compertum eſſet hoc ipſo anno Franciſcum Suarem Jeſuitam Hiſpanum librum juris & uſus publici feciſſe, quo nominatim ſtatuit Pontificem Romanum vitæ & necis poteſtatem habere in Reges. Tandem permultæ regni provinciæ juſto dolore præteritorum, & maximo impendentium malorum metu perculſæ atque ſollicitæ, articulos de tam nefaria doctrina, atque ejuſdem doctrinæ autoribus & propugnatoribus coërcendis ſcripſerunt; ſuisque partim ſecundi, partim tertii Ordinis deputatis, ad Comitia generalia regni perferendos dederunt; quo adversùm Regicidas, eorumque fautores legem defigi poſtularent: quandoquidem ex malis moribus bonas enaſci leges pervulgatum eſt. Sed Pariſienſis provincia aliarum Dux; & in cujus ſinu duo nuper patrata Regicidia, multaque alia intentata fuerant, librique de tam nefaria doctrina certatim effundebantur: Cùm etiam exploratiſſimum hàberet quoſdam nefarios, qui Ludovicum XIII. innocentiſſimum principem trucidare voluerant, adhuc in vinculis detineri, ſequentem articulum velut perſpicuam declarationem tituli atque poſſeſſionis immemorabilis, quâ Franciæ Reges à primis regni incunabulis utuntur, fruuntur, conſcripſit: qui articulus octo membris coaleſcit.

1. *Ut reprimatur curſus peſtilentis doctrinæ, quam homines ſeditioſi Regum*

Regum & Principum Status conturbare & ſubvertere molientes hodiè contrà Reges & politicas poteſtates à Deo inſtitutas introducunt; Regi ſupplicabitur, velit, jubeatque in conventu trium Ordinum regni ſui, pro lege fundamentali primùm decerni, quòd ſicut in ſuo regno eſt ſupremus, neque ab alio, quàm à Deo ſolo coronam aut poteſtatem ſuam Regiam poſſidet: ita nullam in terris poteſtatem exiſtere, quæcumque illa ſit temporalis aut ſpiritualis, quæ aliquid juris vel autoritatis in Franciæ regnum ſibi vendicare queat, ad ſacras Regum perſonas exauctorandas, vel eorundem ſubditos quocumque quæſito prætextu ab fidelitatis ſacramento, quo Regibus ſuis naturaliter obligantur, abſolvendos.

2. *Ut imperet hanc legem tanquam verbo Dei conformem, veram, ſanctam atque inviolabilem ab omnibus regni ſubditis cujuſcumque ſint Ordinis aut qualitatis, nullâ quidem adhibitâ diſtinctione, æquivocatione, aut quacumque aliâ limitatione teneri atque ſervari.*

3. *Cunctis trium Ordinum Deputatis præcipiat, ut in illam jurent, eique nomen ſuum inſcribant, ſicut ex univerſis regni incolis qui ad aliqua beneficia Eccleſiaſtica, vel officia Regia capeſcenda deſignabuntur & nominabuntur: Idque priuſquàm in prædictorum beneficiorum atque officiorum poſſeſſionem mittantur.*

4. *Omnes Præceptores & Regentes juventutis; Item Doctores atque Prædicatores veritatem hujus legis docere & publicare, nec non etiam contrariam opinionem velut impiam & deteſtabilem, ac ſtatus regni Franciæ fundamentum, qui à ſolo Deo immediatè dependet, evertentem, oppugnare adſtringantur: (quæ contraria opinio eſt: Liceret Reges deponere atque occidere, & in eos perduellionatim inſurgere, ac jugum debitæ & naturalis obedientiæ excutere.)*

5. *Libri omnes qui ejuſmodi falſam atque perverſam opinionem docebunt aut evulgabunt, tanquam ſeditioſi atque damnabiles prohibeantur.*

6. *Omnes peregrini & extranei homines, qui iſtam doctrinam promulgabunt, aut in lucem emittent, pro infeſtiſſimis regni & coronæ Franciæ hoſtibus habeantur.*

7. *Regis ſubditi, qui eidem adhærebunt doctrinæ, cujuſcumque ſint qualitatis & conditionis, perduelles ac violatores legum fundamentalium regni, & in crimen læſæ majeſtatis in primo gradu incurriſſe cenſeantur.*

8. *Quod ſi fortè Eccleſiaſticus vel aliquis extraneus librum aut tractatum aliquem lucubret, qui ullam contineat propoſitionem huic legi directè aut indirectè contrariam, cæteri Eccleſiaſtici ejuſdem Ordinis aut Sodalitii, qui in Franciæ regno habitabunt, confeſtim illam propoſitionem &*

 librum

Digitized by Google

librum memoratum abſque ullius hominis reſpectu, abſque ulla ambiguitate aut æquivocatione impugnare teneantur; alioqui tanquam fautores hoſtium regni pœnis ſuprà memoratis plectantur.

III. Hunc verò articulum magiſter Claudius Præſtreus vir antiquæ fidei & probitatis, urbiſque Pariſienſis & Parlamenti Conſiliarius conſcripſit, & ſemel atque iterum examinandum probandumque frequentiſſimo conventu Comitiorum urbis Pariſienſis coram Præfecto Mercatorum, Scabinis, Conſiliariis deputatis, atque innumerabilibus civibus tum Clericis cùm Laicis expoſuit: quorum virorum nomina initio anni 1615. cum actis tertii Ordinis vulgata ſunt: neque ullus umquam in dubium vertit, quin omnes eximiâ pietate, ſingularique propenſione in Religionem Catholicam, Apoſtolicam, & Romanam nobilitarentur. Verùm idem Præſtreus mihi narravit, quamprimùm ex his Comitiis urbis, quibus præfatum articulum explorandum propoſuit, domum ſuam reverſus eſt, Alexandrum Georgium cum alio Sodali Jeſuita illum conveniſſe, & ſecum graviter conqueſtos, quòd autor eſſet articuli in caput Sodalitii Jeſuitarum conſcripti, ſeque mirabundum bonis Patribus reſpondiſſe; vehementer mirari unde tam citò, quæ in conventu urbis actitata erant, reſcire potuiſſent; idque confirmare; quod de illorum Sodalitio circumferebatur: Scilicet per ſuos fiduciarios in omnium familiarum & collegiorum arcana irrepere, ſe quidem primo lacte eruditionis in eorum collegio paſtum; ſed ab eorum placitis de deponendis & occidendis Regibus vehementer abhorrere; tempuſque eſſe poſt tantum malorum acervum ex Regum noſtrorum cœdibus prominentem, ut huic morbo aliqua ſalutaris medicina pro Regum noſtrorum & regni ſalute condiretur. His autem cùm Alexander Georgius opponeret eam eſſe Jeſuitarum externorum, non Gallorum doctrinam. Continuò excepit Præſtreus: quid ni ergo vos Galli aliquo ſcripto publico patriæ veſtræ laboranti ſuccurritis, & tam peſtilentem doctrinam damnatis? Rependit Georgius abſque generalis ſui mandato id fieri nullo modo poſſe; atque alia ejuſmodi bella effugia Patribus ſolennia. Porrò menſe Octobri 1614. cum eidem articulo in conventu prædictorum virorum & deputatorum urbis Pariſienſis extrema linea poneretur; iterum eſt perlectus, & ab omnibus etiam Deputatis Eccleſiſtici Ordinis approbatus; nimirum à Priore S^ti. Germani à Pratis, S^ti. Victoris, Cœleſtinorum, Archidiacono Pariſienſi, & magiſtro Sylvio, à Petra Viva, Doctore Sor-

Sorbonico, Eccleſiæ Pariſienſis Canonico, Univerſitatis Cancellario, & magno Vicario D. Epiſcopi Pariſienſis, cui etiam affinitate ſanguinis eſt conjunctus; ſi quidem nullus illorum de prædicto articulo tum conqueſtus eſt, vel minimum emiſit verbum. Quocircà ab eo tempore exempla articuli in omnium ore & manibus verſabantur, cujus etiam copia facta eſt, D. Brulartio Cancellario Franciæ, qui, ut ego ab ipſo Præſtreo accepi, tunc articulum valdè laudavit tanquam perneceſſarium, atque ipſi Reginæ matri, & villæ Regi Secretario communicavit. Certè tum nullus degebat Pariſiis, qui non exploratiſſimum haberet præfatum articulum in Comitiis trium Ordinum regni propoſitum iri propter librum Franciſci Suaris, qui hoc ipſo anno 26 Junii arreſto Curiæ Parlamenti uſtulatus fuerat, ut ſtatim capite III. dicetur. Itaque & hic articulus, & Propoſitum Deputatorum urbis Pariſienſis nullo modo D.D. Cardinales Perronium, Rupefucaudium, Epiſcopum Pariſienſem, atque alios Duces Ordinis Eccleſiaſtici, qui habitabant Pariſiis, latere potuit.

Verùm ut ad Comitia generalia trium Ordinum Regni ſenſim dilabamur, quæ menſe Novembri 1614. reſervata ſunt: Primùm Deputati tertii Ordinis Provinciæ Franciæ, quam Inſulam Franciæ vocant, uno conſenſu memoratum articulum in Codicem generalem articulorum ſuorum conjecerunt die decimâ quartâ Novembris. Deinde aliquantò pòſt magiſter Carolus Fayus Speſſeus à S$^{to.}$ Fuſciano, Conſiliarius Parlamenti, & Pariſienſis Eccleſiæ Canonicus, à Capitulo Pariſienſi Deputatus, in Conventu Ordinis Eccleſiaſtici Inſulæ Franciæ memoratum articulum Codici Ordinis Eccleſiaſtici Inſulæ Franciæ inſcribi flagitavit. Sed Cardinalis Rupefucaudius Epiſcopus Sylvanectenſis, qui huic Ordini præerat, Speſſeo moderatè reſpondit, articulum intempeſtivè proponi, neque eſſe hujus temporis: quod ego ingenuè fateor: non enim iſtis turbulentis temporibus tamque factioſis ac prenſatis Comitiis, ſub Rege pupillo & imbecillæ ætatis debuerat proponi: quod ego, Deus mihi teſtis, ante proſpexeram, atque viro primario Regis Conſiliario, & Præſidi in Camera Computorum, qui me multoties ſuper eodem articulo conſuluerat, prædixeram: eamque ob cauſam numquam potui animum inducere, ut quicquam opis vel Commentariorum conferrem ad hunc conglutinandum articulum, vel ad alias res peragendas, quæ in publicis Conventibus geri ſolent. Et tamen Cardinalis Perronius in Camera tertii Ordinis me articuli concinnatorem eſſe au-

Digitized by Google

dacter pronuntiavit: quod ſi verum eſſet, non negarem, quando ejuſdem articuli veritatem propugnare numquam erubui; etiam illo ipſo tempore quo Cardinalis Perronius in me ſæviebat: multis enim viris primariis tum ad me concurrentibus, & quidnam hoc rerum eſſet poſtulantibus, ſemper reſpondi quæ nunc ſcriptis profiteor. Sed ut ad propoſitum regrediar, die 15 Decembris 1614. cùm Deputati omnium Provinciarum, ex quibus tertius Ordo conflabatur, unà coiviſſent, ut ſuum codicem generalem, ſicut moris eſt, texerent, ſibíque Commentarios à Comprovincialibus pro Regum ſalute & autoritate tutanda datos mutuò communicarent, tandem in eam omnes deſcenderunt ſententiam; ut Pariſienſis Provinciæ articulus tanquam Regum ſaluti & tranquillitati regni Franciæ maximè neceſſarius in fronte & capite omnium aliorum articulorum tertii Ordinis conſcriberetur: ampliusque pro ejuſdem articuli appendice ſtatuerunt, *ut idem articulus tum in omnibus Parlamentis, cùm in aliis inferioribus Tribunalibus regni annuatim legeretur, quando actiones publicæ Audientiarum aperirentur: idque ut ſtrictè accuratèque cum omni ſeveritate obſervaretur.* Quibus ita conſtitutis, tertius Ordo ſtatim duos reliquos Ordines Clericorum & Nobilium hujus ſui decreti certiores, eiſque copiam memorati articuli facit. Cæterùm ut Ordo Eccleſiaſticus gratiâ & ſtudiis eſſet potentior, duces ejuſdem Ordinis egregiam navarant operam: quoniam ſibi extra Ordinem & contra conſuetudinem retroactis temporibus uſitatam, magno ambitu Reginâ matre approbante, quoſdam Epiſcopos & præſules, qui tum erant Pariſiis, neque à Provincialibus ſuis delecti aut nominati fuerant, cooptari curaverunt; atque inter alios Mironium Andegavenſem Epiſcopum, quem Clerus Andegavenſis legere noluerat. Hic ergo, ut ſuæ extraordinariæ adoptionis principibus Ordinis Eccleſiaſtici gratiam rependeret, toto tempore quo Conventus continuarunt, Claſſicum perſonuit. Hercle quidem ſi geſta Ordinis Eccleſiaſtici in hoc turbando negotio tandem aliquando abſque ulla involutione, aut extenuatione, vel amplificatione fideliter ſcriptis mandentur, quæ præſertim à Cardinalibus Surdio, Perronio, Andino Epiſcopo, atque aliis Ducibus partium patrata ſunt, numquam poſteri illa in Regis Conſiſtorio aut facta, aut ſaltem tanto cum tumultu, opprobrio atque oppreſſione Regis & Regiæ majeſtatis tolerata fuiſſe; Imò illi ipſi qui ea patrarunt, ubi æſtus atque ardor factionum deferverit, vix ſe ea geſſiſſe credent, aut fateri volent. Cum nos ipſi qui in

Digitized by Google

in Ductoribus partium Ordinis Eccleſiaſtici tantos animorum atque verborum motus ſpectabamus, & fideliter audiebamus, vix quidem auribus & oculis noſtris fideremus: *Tantæne animis cœleſtibus iræ.* Profectò ſolem cœlo delapſum, hocque regnum afflictiſſimum numquam pace atque unione potiturum credebamus! Sed poſtquam ſacer Ordo propoſitum tertii Ordinis exploratum habuit, die ultimâ Decembris Cardinalis Perronius ſeſe in Cameram Ordinis Nobilium contulit, & mirificè laudibus, ne dicam adulationibus, hunc pellexit Ordinem, atque in articuli propugnatione eò faciliùs à tertio Ordine diſſociavit, quòd Ordo Nobilium magna ex parte litteras neſciret; permultoſque Prælatos ſibi ſanguinis neceſſitudine devinctos haberet. Certè Baro Seneceus præſes Ordinis nobilium neptem Cardinalis Rupefucaudii, qui ſacro præerat Ordini, in conjugem duxerat. Die 2 Januarii 1615. Cardinalis Perronius in eumdem finem Cameram tertii Ordinis fruſtrà adiit: quoniam tertius Ordo totus ex doctiſſimis viris Juriſconſultis, & Magiſtratibus Galliarum coaluerat; qui quidem tam accuratè praxim atque uſum Regiminis Eccleſiæ, cæteraque ad Eccleſiaſticam & politicam poteſtatem ſpectantia, quàm ipſemet Perronius, callebant; quare non his, pronum fuit Perronio, verba dare, ſicuti Ordini Nobilium: quodque mirabile eſt, nonnulli in tertio Ordine reperti ſunt, qui verbum de verbo Cardinalis Perronii ſuaſionem ex ore dicentis fideliter exciperent & exſcriberent.

Currant verba licet, manus eſt velocior illis.
Nondum lingua ſuum, dextra peregit opus.

Hocque magnam admirationem attulit Perronio, quoniam ſtatim ſuam orationem emiſſam in vulgus cum Mironii præſidis tertii Ordinis & præfecti Mercatorum urbis Pariſienſis reſponſione vidit: Idque ei poſtea anſam præbuit illam ſuaſionem repaſtinandi, recognoſcendi, & permulta quæ dixerat immutandi. Summa ejus orationis, quam tum in Camera tertii Ordinis habuit, erat; *Propoſitionem articulo contentam, eſſe dumtaxat problematicam in fide.* Ad hæc autem Præſes tertii Ordinis ex tempore Perronio reſpondit; Tertium Ordinem non ducere controverſiam hanc ad materiam fidei ſpectare: & dato quod ſpectaret, contendere ratam & concluſam juxta articulum tertii Ordinis: adeò quidem ut nemini fas ſit in contrarium hiſcere: quando Eccleſia Catholica in perſona Chriſti, cujus Papæ ſunt Vicarii,

carii, ſingulis annis in gratiam & favorem Regum, ut eos ab vano Herodis metu liberet, canit:

Non eripit mortalia,
Qui regna dat cœleſtia.

Adjunxit: ſi gratuitò detur ejuſmodi propoſitionem eſſe problematicam in fide, ſicut Cardinali Perronio videbatur, tamen ſemper expeditum & liberum eſſe Tertio Ordini quamcumque partem vellet, amplecti: quemadmodum cuique propter bullam Sixti IV. de immaculata conceptione B. Virginis, liberum eſt alteram partem amplecti: unde ſi magna parvis conferre licet; quando tota Eccleſia Gallicana B. Virginem gratiâ Dei præventam, & ab omni macula originali liberam perpetuò credidit; eamque ob rem Theologi Pariſienſes id pro fidei articulo tenent, ſuoſque alumnos ad id jurandum adigunt; quid ni etiam tertius Ordo fide Catholicâ credet Reges de Regio throno nullam ob cauſam poſſe dejici? Dic, illuſtriſſime Cardinalis, qui tot tantaque fateris à Rege accepiſſe beneficia, an tantum ingratitudinis hauries & propinabis, ut ex Papæ arbitrio Regis coronam incertam & fluctuantem efficias, cum ejus ſit Vicarius, qui regnum ſuum non eſſe de hoc mundo apertè pronunciavit, & de fratrum diſſidio ſuper hæreditate paterna contendentium cognoſcere recuſavit? Quibus poſitis, Cardinalis illuſtriſſime, nolo ferre judicium, ſed te etiam atque etiam rogo ut ingenuè dicas ecquidnam de hac quæſtione problematica credere, noſque tanquam Paſtor edocere velis? Cætera videbit Lector in Actis ipſis quæ ad calcem ejus operis excudentur. Eodem tempore Ribierus Proprætor Bleſenſis pro articulo tertii Ordinis adversùs Perronii ſuaſionem ſcripſit, & alluſione factâ ad ejus nomen atque aſſertionem problematicam, illum abſurdiſſimas Pyrronicorum imaginationes & commenta rediviva excitare dicebat: quaſi omnia incerta atque indifferentia nutarent.

Sed Regii triumviri Parlamenti, his perſpectis motibus, atque Ordinis Eccleſiaſtici prenſationibus, eodem die 2 Januarii apud ampliſſimum Ordinem hanc ſuaſionem per Servinum habuerunt. Quamquam Curia Parlamenti, multis antea Senatusconſultis maturrimo judicio latis, regni placita & leges ab omni hominum memoria in Franciæ Regno ſervatas, & cum ipſamet corona enatas confirmaret; ſcilicet Regem nullum ſupra ſe ſuperiorem in temporalibus regni ſui, ſolo Deo excepto, agnoſcere nullamque in terris exiſtere

Digitized by Google

ſtere poteſtatem, quæ ſubditos Regis à ſacramento fidelitatis naturaliter debitæ abſolvere, aut Regem exauctorare, vel alicui poteſtatem facere valeat, illum privatim aut publicè occidendi; nihilominus quoſdam homines extare, qui & privatim & publicè ejuſmodi placita & leges certiſſimas in dubium revocare, & contra diſputare, eaque duntaxat pro problematicis habere audeant: Idcircò ſe etiam atque etiam ampliſſimum Ordinem obſecrare, ut cæteris omnibus negotiis poſthabitis, velit, jubeatque cuncta Senatuſconſulta memorata innovari, atque in omnibus tribunalibus Regiis Parlamento ſubditis publicari: quatenus omnes ſubditi Regis, cujuſcumque ſint qualitatis & conditionis, prædicta placita & leges ad ſecuritatem vitæ principis, & publicam tranquillitatem ſpectantes, pro certiſſimis atque indubitatis habeant ac teneant; & ne eiſdem placitis ac legibus ullo modo contradicant, ſub pœnis quæ eiſdem arreſtis irrogantur. Qua audita ſuaſione, Ordo ampliſſimus, cunctis Parlamenti Decuriis congregatis, decrevit ut arreſta ſecundi Decembris 1561. vigeſimi noni Decembris 1594. ſeptimi Januarii & decimi noni Julii 1595. vigeſimi ſeptimi Maii, octavi Junii, & vigeſimi ſexti Novembris 1610. vigeſimi ſexti Junii 1614. integrè ſerventur, utque ſunt concepta cuſtodiantur; omnibuſque hominibus, cujuſcumque ſint qualitatis & conditionis prohibet, ne illis arreſtis ulla in re contradicant: alioqui pœnis quæ iiſdem ſciſcuntur, ſubjaceant. Præterea jubet eadem arreſta in omnibus tribunalibus ſubditis Parlamento promulgari &c. Datum in Parlamento die 2 Januarii 1615. hoc lato Senatuſconſulto quamprimùm per omnia urbis compita enuntiatur & proclamatur, atque ab *Colliportitoribus*, ut appellant, paſſim vænum exponitur. Quadam autem die Cardinalis Surdius ſuâ carruca deaurata vectus, cum proximè pontem S^ti^ Michaëlis pertranſiret, accerſitis ad ſe *Colliportitoribus*, qui arreſtum Parlamenti vendebant, ab illis primùm omnia exempla quæ haberent, quaſi illa empturus petiit: deindè poſtquam habuit, coram omnibus magno cum ſtomacho, gravibuſque interminationibus in *Colliportitores*, exempla illa arreſti laceravit, atque permultis ridendi, aliis verò ingèmiſcendi occaſione relicta propter regiminis imbecillitatem, ſic abiit.

Intereadum Duces partim Ordinis Eccleſiaſtici Mironium Andinum Epiſcopum vehementis hominem ingenii valdeque diſertum deligunt, ut die 8 Januarii poſt meridiem ſeſe ad Regiam Luparam

Digitized by Google

in comitatu Cardinalium Surdii, Perronii, & permultorum aliorum Prælatorum, cum nonnullis ex Ordine nobilium conferret; atque in articulum tertii Ordinis, & arreſtum Parlamenti detonaret. Quocircà Mironius Andinus in ſacro Regis Conſiſtorio, Rege & Regina matre præſentibus, cum Principe Condæo, Cancellario, Villæregè Secretario, innumeriſque aliis nobilibus, & ſacri Conſiſtorii Conſiliariis: *Primùm dixit in quæſtione quæ inter tertium & Eccleſiaſticum Ordinem controvertebatur, decretum à Parlamento in re omninò ſpectante ad Religionem, manaſſe.*

2. *Ad ſolos Catholicos, & inter Catholicos ad ſolos Eccleſiaſticos definitionem rerum ad Religionem pertinentium ſpectare: Eamque ob cauſam Ordinem Eccleſiaſticum in hac cauſa omnes Hugonotas repudiare.*

3. *Cum Bullonius Tribunus Equitum Regni, qui mandato Regis ſe in ſacrum Conſilium contulerat, obſervaſſet Mironium quæ de Hugononotis dixerat, ſua de cauſa privatim odiosè aggeraviſſe, excepit ſe quidem in ſacro Regis Conſiſtorio ſententiam dixiſſe in re ad ſupremam Regis & Regni autoritatem & temporalitatem, & non ad Religionem ſpectante. Quòd ſi de doctrina & Religione ageretur, ſe quidem propter ſuam profeſſionem, ab ea ſponte abſtenturum.*

4. *Cardinalis Surdius ad hæc rependit, prudenter quidem dictum à Bullonio, quòd de rebus ad Religionem & doctrinam ſpectantibus nollet cognoſcere: Sed Ordinem Eccleſiaſticum contendere caput de quo agitur ad Religionem pertinere: neque ſatis erat Surdio innatâ animi mobilitate armari, niſi eam ipſam zelo impudenti exacerbaret; multaque intemperanter in Regis & Conſilii privati conſpectu effutiret.*

5. *Cardinalis Perronius tanquam Vicarius ſibi poſtremum locum dicendi reſervarat; obtenditque articulum tertii Ordinis pertinere ad doctrinam: Se paucis ante diebus in Conventu tertii Ordinis dixiſſe quæſtionem eſſe problematicam: Jam vero palinodiam canere, & contendere, ac ſemper contenſurum poteſtatem Papæ in ſpiritualibus eſſe plenam, pleniſſimam atque directam: In temporalibus verò indirectam: & quotquot vellent tenere contrarium, eſſe ſchismaticos & hæreticos, etiam ipſummet Parlamentum quod Lac Turonicum ſuxerat.*

6. *Niſi Rex arreſtum Parlamenti in præſentiarum abrogaret, & concluſiones Triumvirorum Regiorum ex Curia Regeſtis excerpi imperaret, ſibi Provinciam ab Ordine Eccleſiaſtico datam enuntiandi, quòd omnes è veſtigio à Comitiis diſcederent.*

7. *Cumque illuc tanquam in Synodum Provincialem coiviſſent, ſe cum*

illis

illis omnibus interdicto & excommunicatione acturos, qui negativam opinionem tenerent; Id eſt negarent Papam poſſe Reges deponere.

8. *Et ſi autem Rex pati atque perferre nollet, ut cenſuras in repugnantes diſtringerent; tamen id illo invito facturos, quamquam Martyrio exponi deberent.*

9. *Quia Princeps Condæus, ut naturaliter obligabatur, Regiam autoritatem, & Coronæ Franciæ jura acerrimè propugnabat; eamque ob cauſam Rex illum ſemel atque iterum amplexus eſt: Surdius Cardinalis palam dixit ſe Principem Condæum recuſare: quam ad vocem Rex: heu tandem ergo & memetipſum recuſabitis, inquit!*

10. *D. Princeps Condæus perſpectâ Cardinalis Surdii inſolentiâ, cum ei nativam & exaſperatam levitatem dediſſet opprobrio; hic contumelioſè reſpondit ſe in capite Principis Condæi plumbum non quæſiturum.*

11. *Quam ad vocem quidam ex Ordine Nobilium, qui Eccleſiaſticis tum aderant, Surdio Cardinali opprobrio dederunt, quòd omnes modeſtiæ fines longè latèque excederet, & quæ ageret, præſertim recuſationem D. Principis Condæi, numquam ab Ordine Nobilium probatum iri.*

12. *Ut Eccleſiaſtici univerſum populum magis ac magis ſollicitum efficerent, atque in tertium Ordinem inflammarent, conſultò rumores ſpargebant hæreticos eſſe autores articuli, illoque effici ne poteſtas ſpiritualis Papæ deinceps in Galliis agnoſceretur, ſicut fit hodie in Anglia.*

13. *Andinus Epiſcopus ex Regis Conſiſtorio ad Cameram Ordinis Eccleſiaſtici reverſus, quaſi zelo Religionis inflammatus, in morem Enthei, exclamabat. Mi Patres & Domini ad ſupplicationes, ad Orationes diurnas & nocturnas, ad ſacrificia &c. autorque erat ſuo Ordini, ut publicæ ſupplicationes Lutetiæ ab Epiſcopo Pariſienſi indicerentur, atque conciones haberentur, quibus conclamaretur viam patentiſſimam ad hæreſim & ſchiſma apertam eſſe in Franciæ regno. Quam ad vocem permulti boni Prælati & Eccleſiaſtici piiſſimi non modò exhorruerunt; verùm etiam ipſemet Pariſienſis Epiſcopus quamquam ex partium Ducibus & maximis Curiæ Romanæ zelotibus, Andino publicè obſtitit, in eoque moderationem deſideravit:* Hocque dumtaxat eſt concluſum, *ut, omnibus reformatis, noviſque Ordinibus preces & ſupplicationes indicerentur.*

Porrò obſervatum in Regis Conſiſtorio, quamdiu D. Princeps Condæus & Eccleſiaſtici verba inter ſeſe edebant, Cancellarium, qui os eſt Regis, obmutuiſſe; neque vel pro Regiæ autoritatis defenſione, vel pro compeſcenda inſolentia ullum feciſſe verbum: quod boni viri capitale ducebant, quoniam ſuo ſilentio cauſam Regis pro-

 deret,

Digitized by Google

deret, ne penſio fortè quam à Clero habebat, interverteretur. Hercle nulli tum erant Lutetiæ & in tribus Ordinibus viri pietate atque moderatione animi celebres, ac patriæ ſeriò amantes, qui non vehementer iſtos motus deflerent, atque in Ordinis Eccleſiaſtici principibus charitatem, quæ finis eſt omnium præceptorum & actionum Chriſtianarum, non magnoperè deſiderarent. Nam inquiebant; cum à tribus ſolidis menſibus exempla articuli omnium manibus terantur, pervagatumque fuerit illum debuiſſe in Comitiis trium Ordinum regni proponi; cur moderatiores Ordinis Eccleſiaſtici maturè Reginam matrem & D. Cancellarium non monuerunt, ut amicâ collatione cum tertio Ordine efficerent, quâ ille articulus vel planè ſupprimeretur, vel quæ in illo dura eſſe ducebant, mitigarentur, antequam tertius Ordo de illo articulo in ſuum Codicem generalem inferendo ſtatuiſſet: Si modò ex illo articulo tanta mala impendere cernebant, quanta nunc comminiſcuntur? Verùm jam plus ſatis liquere Principes Ordinis Eccleſiaſtici, alio quam cœli Gallicani ſpiritu perflari; & Cardinales cum aliis qui ad Cardinalatum anhelant, hoc egregio facinore occaſionem captare ſub infirma Regis ætate & regni gubernatione Curiæ Romanæ benevolentiam emerendi, ac Imperium ſuum in Franciam ad normam Dynaſtiarum & parvorum Principatuum Italiæ defigendi: adeò ut in regno Galliarum deinceps bulla Cœnæ Domini in rem judicatam mittatur; & Eccleſiaſtici Regis atque Magiſtratuum politicorum imperio minimè ſubjiciantur: ſicque omnes politicæ poteſtates ope indirectæ poteſtatis Romano Pontifici tanquam feudatariæ mancipentur. Neminem tam bardum aut vecordem eſſe, qui prima animi inductione non videat ex facultate deponendorum Regum, quam Curiæ Romanæ ſcriptores Pontifici addicunt, neceſſariò induci Papam quotieſcumque animo ſuo lubitum fuerit, poſſe de bello & pace in tota Chriſtianitate decernere, atque Principes Chriſtianos in mutuam perniciem armare ac incendere; & cuicumque privato palam aut clanculum poſſe facere poteſtatem Reges occidendi, quos facilè deponere non poterit: Neque ad comprobandum aliis argumentis aut teſtimoniis opus eſſe, quàm quibus Bellarminus adversùs Berclaium, & Becanus cum Suare in controverſia Anglicana utantur: maximè verò quod Urbanus II. Gregorii VII. ſucceſſor Decretalem ſciverit, quâ edicit *illos homicidas non eſſe, qui zelo Catholicæ matris excommunicatos trucidarint* 23. quæſt. 5. can. excommunicatorum. Certè nullam aliam

Digitized by Google

aliam eſſe gentem aut nationem, quæ, ſi viginti annorum lapſu duos optimos & fortiſſimos Reges ferro aſſaſſinorum amiſiſſet, tantum ſuo juſto & neceſſario dolori modum atque Galliæ populis poneret: his temporibus malum eò uſque accreviſſe, tamque periculoſum evaſiſſe, ut niſi exſcindatur, neceſſariò totum Franciæ Regnum cum ſtirpe Regia funditus exſtirpaturum ſit: pervagatum eſſe imbecillam atque innocentiſſimam Ludovici XIII. ætatem ab Sicariorum inſidiis minimè tutam eſſe. Hæc igitur à permultis lugebantur: Alii verò præſertim Regis Officiarii vicem Principum dolebant, quòd Gallorum Cardinalitium tam operosè in gratiam nonnullorum hominum ſibi ſubditorum à Pontifice redimerent; qui eodem puncto temporis quo hac purpurâ donarentur, omnem affectum atque obſequium erga principem ſuum naturalem exuerent, ut creaturæ Pontificis, & Curiæ Romanæ homines liges efficerentur; hocque unum iſtis agi tumultibus prædicabant, ut colore Religionis ſub Rege pupillo ejuſdem autoritati & ſaluti inſultaretur ac illuderetur. Quòd ſi ad nutum Papæ Rex ſtringere aut recondere gladium teneretur, & alioqui eſſet abdicabilis, ut Cardinali Bellarmino lubet cap. 19. in Barclaium, certum eſſe cunctos Regni Magiſtratus atque Officiarios Pontifici tanquam ſupremo Principi, minimè verò Regi Chriſtianiſſimo ſubditos eſſe; idque ſe numquam paſſuros, quicquid Curiæ Romanæ Principes in contrarium anniterentur. Verè quidem uſurpatum à Durando ſpeculatore, Mimatenſi Epiſcopo lib. de modo Generalis Concilii celebrandi, Rubricâ de exceſſu Cardinalium & Curialium, juxta Editionem Lugdunenſem Joannis Criſpini 1530. *qui totum vult, totum perdit.* Nam ſicut Salomon ait Prov. 30. *qui multum emungit, ſanguinem elicit*, 4. diſt. can. denique. Sicut habetur exemplum de Eccleſia Græcorum, quæ ex hoc ab Eccleſiæ Romanæ obedientia dicitur receſſiſſe. Proculdubio hoc ſcandalum tantum tamque grave fuit, ut duo Conſiliarii Parlamenti inde occaſionem ſumpſiſſe deſciſcendi ab Eccleſia Romana, & dixiſſe perhibeantur *ſe nolle Epiſcopi Romani eſſe ſubditos*, quod eſt magnoperè dolendum. Hîc omitto Epiſcopum Luſſionenſem, quamquam aliis moderatior videretur, Præſtreo, qui articulum conſcripſerat, confidenter dixiſſe, *quòd pro Eccleſia bono expediret, ut quotquot in Galliis articulum tuerentur, ad partes hæreticorum transmigrarent.* Quam ad vocem Præſtreus vitæ ſanctimoniâ nulli Prælato ſecundus obſtupuit; reſponditque *hæc factioſa Ordinis Eccleſiaſtici molimina immane quan-*

tum à manſuetudine Chriſti & legis gratiæ peregrinari; certiſſimumque veræ & genuinæ pietati, atque Religioni Catholicæ parare exitium; ac viam ad nova ſchiſmata inſtruere; quod tam notum quàm quod notiſſimum eſt. At verò Eccleſiaſtici qui ſuaſore Perronio Ordinem Nobilium à tertio Ordine divellerent quantùm poterant, cauſæ & redintegrationi Jeſuitarum in Academia Pariſienſi opitulabantur; eamque ob rem unà cum Ordine Nobilium à Rege flagitarunt Jeſuitas in integrum Pariſiis ad docendum reſtitui. Tertius autem Ordo ſupplex Regem obſecravit, quatenus Academiæ Pariſienſis rationem habere, eamque tanquam ſuo regno & Regiæ autoritati tuendæ perneceſſariam inſtaurari vellet: Intereadum Ordo Eccleſiaſticus ob res adversùs articulum tertii Ordinis confectas, ſequentes litteras congratulatorias à Romana Curia accepit, quæ in Camera Ordinis Eccleſiaſtici die lunæ 15 Februarii 1615. perlectæ ſunt.

PAULUS Papa V.

VEnerabilis Frater, dilectique Filii noſtri, ac pariter venerabiles Fratres, dilectique Filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Perturbavit adeò animum noſtrum exceſſus audaciæ, quia ſicut accepimus, nonnulli publico Conventu iſtic 4. nonas Januarii habito, violare ſacroſanctam auctoritatem Apoſtolicæ Sedis conati ſunt, ut niſi nos conſolaretur fiducia quam habemus firmam in noſtrorum Chariſſimorum filiorum Ludovici Regis & Mariæ Reginæ ejus matris eximia pietate atque prudentia: quos curaviſſe hactenus reprimere conatus tàm imprudentes intelleximus, & in zelo admirabili quo vos incenſos non minùs conſtanter ac generosè quàm ſapienter & piè tantæ imprudentiæ reſtitiſtis, planè dolor intolerabilis nos occupaviſſet. Et quidem fuiſſet nimis horrendum judicium: Cum non immeritò timere poſſemus, evolaritne in Galliam flamma ex miſerabili Anglicano incendio, ad conflagrationem atque deſtructionem in iſto Chriſtianiſſimo Regno totius veræ pietatis & Religionis; quam divino auxilio freti confidimus ſemper auctum iri patrocinio tam pii Regis à religioſiſſima matre verèque Chriſtianiſſima ad hoc potiſſimum ſummâ vigilantiâ educati: ac vobis præterea ſedulò adnitentibus, ut laudabiliter ſemper feciſtis. Cæterùm quamvis recreet nos non mediocriter ejuſmodi ſpes, non ob id tamen immunes ac vacui ſumus afflictione atque moleſtia: imo vehementer angimur recogitantes nobiſcum, quàm adverſa tempeſtate & quàm procelloſa B. Petri naviculam occulta Dei diſpenſatione regendam ſuſceperimus, ancipites ac dubii, ne noſtra fortè negligentiâ augeatur ſentina vitiorum,

Digitized by Google

tiorum, & ob id periculoſa magis atque difficilior ſemper evadat præſens navigatio: propterea ad implorandum auxilium illius jugiter confugimus, qui ut nullis noſtris meritis; ita quoque nobis nihil minus cogitantibus in puppi ſedere nos, atque clavum tenere voluit: quem oramus ne dum ex adverſo fluctus irruunt, & ex latere cumuli ſpumoſi maris intumeſcunt, & à tergo tempeſtas inſequitur, permittat ullam fieri jacturam ex tam valida navis concuſſione. Interea ejus immenſæ bonitati ſummas gratias agimus, quòd in graviori diſcrimine, quo fortaſſe hactenus umquam verſati fuerimus, ſubſidio opportuniſſimo, veſtra ſcilicet præſtantiſſima virtute nobis ſubvenit, ac ſaluti regni Galliæ nobis dilectiſſimi conſilio, opera, religioſaque fortitudine Eccleſiaſtici Ordinis ejuſdem regni proſpexit; & ex altera parte valde vobis gratulamur, ac pariter vos maximè laudamus, quod in vobis modò veſtra Gallia reſloreſcentem videat zelum, pietatem, doctrinam, animique magnitudinem, Sanctorum Patrum ſuorum, Dionyſii, Hilarii, Martini, Bernardi, cæterorumque quorum memoria in benedictione eſt, ob ſtudium divini honoris & Eccleſiaſticæ dignitatis: Sed & Eccleſia Sancta Dei univerſa agnoſcere poſſit Cardinales ex cœtu veſtro ea præſtantia quam decet tam digna membra hujus ſanctæ Apoſtolicæ ſedis, & Antiſtites ac Prælatos, Rectoreſque animarum, qui ſervi boni & fideles, ac domino ſuo digni verè ſint: cum amare magis ejus gloriam quàm ſeipſos reipſa oſtenderint; verè Paſtores oviculaarum Chriſti, qui pro ſalute gregis propriam animam ponere non dubitaverint, dum effuſione proprii ſanguinis, ut accepimus, paratos tueri ovilis Dominici ſepta Eccleſiaſtica, nempe jura tanto animi ardore ſe exhibuerint. Summopere igitur vos laudamus, atque iterum vobis gratulamur: Etenim quid laudabilius? quid glorioſius quàm omnis humani commodi ratione poſthabita, ſacerdotes Dei dignitatem Eccleſiæ ſanctæ conſtanter defendiſſe, ac veritatis Catholicæ tuendæ zelo propriam vitam neglexiſſe: Sicuti felicitate quoque maximè adſcribendum eſt contigiſſe fieri hoc præclariſſimum ſacerdotalis veſtræ virtutis periculum, regnante in Rege veſtro non minùs pietate ac religione S^ti. Ludovici Regis progenitoris ſui, quàm refloreſcat in ipſo ejus glorioſi nominis memoria? Propterea eo magis hortamur vos ut in cœpto veſtro laudabiliſſimo acrius ſemper inſiſtatis: perficiet utique Dominus opus quod in vobis incœpit. Manum ejus jam agnoſcite corda Regum quæ continet mirabiliter moventem. Interim unanimes adnitimini adversùs impetum feri maris concitati æſtu humanæ ſuperbiæ atque ſæcularis prudentiæ à timore Dei disjunctæ turbine. Planè exortas tempeſtates ipſe ſedabit, qui fluctuantibus diſcipulis ſuis non defuit. Tentari quidem permittit,

ſed

Digitized by Google

ſed facit cum tentatione proventum. Igitur bono animo eſtote, ſcientes quod ſpeculator adſtat deſuper; atque ſuorum agones intuetur, ut unicuique dignam proprio labore mercedem retribuat: qui verò fortiter certaverit, dignè coronabitur. Nos autem qui vos ſemper ſumma in Domino charitate proſequuti ſumus; & ut vehementer vos diligimus, ita maximi facimus præſtantiſſimam veſtram virtutem: vobis amantiſſimè deferimus quicquid cum Domino præſtare auxilii atque ſolatii vobis occaſione hac poſſumus: mirificè devincti tam ſpecioſo tamque admirabili veſtro facinore. Cùm interea non prætermittamus jugiter orare Deum miſericordiarum Patrem, ut incremento ſuæ ſanctæ gratiæ vos in ſuo ſancto ſervitio conſervare ſemper atque confortare dignetur. Et quia non poſſumus hunc amantem in vos noſtri cordis affectum pro noſtro deſiderio vobis ſcribendo ſufficienter declarare; Juſſimus venerabili fratri Roberto Epiſcopo Montiſpolitiani noſtro Apoſtolico Nuntio, ut quod in mandatis à nobis de hoc fuſius accepit, diligenter ſuis verbis apud vos proſequeretur; qui pariter vobis exponet ulterius quid opportunum exiſtimemus, ut negotium perfectè abſolvatur. Illi igitur eamdem prorſus fidem adhibebitis, quam nobis ipſis loquentibus adhiberetis. Confirmet vos Deus in omni opere bono, conſilia atque opera veſtra in ſuo ſancto beneplacito ſemper dirigat; & nos ex intimis noſtræ charitatis viſceribus Apoſtolicam benedictionem noſtram vobis impartimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo piſcatoris pridiè Kalend. Februarii 1615. Pontificatus noſtri anno decimo.

Petrus Stroza.

In his autem literis ſex præſertim notatu digna occurrunt. Primùm fruſtra obtenditur articulum tertii Ordinis violare autoritatem Sedis Apoſtolicæ, quando Sedis Apoſtolicæ autoritas non ſe ad temporalia, de quibus ſolum agitur in articulo tertii Ordinis, extendit ſaltem per modum coactionis: idque explicatione libri 2. & 3. infra patebit. Secundò quod Prælati Galliæ comparantur B. B. Dionyſio, Hilario, Martino &c. certè Diaſyrtica quæ in illos tum temporis evulgabantur, longè alia canebant: dicebaturque inter alia nihil facilius quàm Athenienſis apud Athenienſes laudibus efferre: atque Prælatos hodiernos pompaticos toto cœlo ab illis viris ſanctiſſimis diſtare; qui quidem juxta Auguſtini ſententiam conjectam in gloſſam ordinariam, ſemper oves Chriſti non ut ſuas, ſed ut Domini paverunt, atque officio ſuo excubarunt: gloriamque Chriſti, non ſuam,

ſuam, lucra & commoda Domini, non ſua umquam quæſierunt; populumque ſibi creditum paſtu triplici ſcilicet verbi Dei, boni exempli, & ſubſidio temporali jugiter recrearunt: neque ullam poteſtatem in rebus temporalibus ſibi umquam arrogarunt: Contrà quàm hodiernis Epiſcopis voluptate ac deliciis diffluentibus ſolemne eſt. Tertiò quod prætexitur propriam neglexiſſe vitam, ut jura Eccleſiaſtica tuerentur; & Cardinalem Perronium dixiſſe omnes martyrium paſſuros &c. Tertius Ordo hoc ut rem dignam maximo riſu excipiebat, quando certum eſſet cauſam, non pœnam, martyres efficere; atque cauſam Chriſti & Eccleſiæ longè differentem eſſe ab Curiæ Romanæ fabricis: unde illos mundi & Curiæ Romanæ non Eccleſiæ martyres fore dictitabat: neque auditum homines tam bene curata cute, caruciſque deauratis vectos, atque magno comitatu aſſeclarum in modum pavonum lucentium, fulgentes ad martyrium, ſed potiùs ad factiones ſerendas proficiſci. Hæc autem & multò aſperiora de Ordinis Eccleſiaſtici Ducibus tum narrabantur quæ lubens prætermitto. Cæterùm de juribus atque immunitatibus Eccleſiaſticorum infrà lib. 3. cap. 6. diſputabitur. Quartò ſtatim oſtendetur poteſtatem Papæ in rebus temporalibus, & abdicandis Regibus nullo modo ad veritatem Catholicam pertinere; ſed purum eſſe Curiæ Romanæ inventum legi divinæ & naturali penitùs contrarium. Quintùm criminationem de humana ſuperbia & ſeculari prudentia à timore Dei ſejuncta &c. Tertius Ordo in ipſam Curiam Romanam retorquebat, quæ libertatem legis gratiæ in occaſionem carnis daret, & ambularet in vanitate ſenſus ſui contra præceptum Apoſtoli Galatarum 5. & Epheſiorum 4. & Ezechielis 34. *Væ Paſtoribus qui paſcebant ſemetipſos: nonne greges à Paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis & lanis operiebamini; & quod craſſum erat, occidebatis; gregem autem meum non paſcebatis: quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotum, non ſanaſtis; & quod confractum eſt, non alligaſtis; & quod abjectum eſt, non reduxiſtis; & quod perierat, non quæſiiſtis; ſed cum auſteritate imperabatis eis & cum potentia.* Item 1 Petri 5. *Paſcite qui in vobis eſt, gregem Dei, providentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum, neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè; neque ut dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo.* Sextùm notabile de arcanis creditis D. Nuncio Apoſtolico, ut ea in ſinum Ducum Ordinis Eccleſiaſtici effunderet: quænam illa eſſent conſilia, ex iis ipſis claruit, quæ dehinc Prælati geſſerunt. Nam Rege ipſo, omnibuſque

regni Magiſtratibus invitis, Tridentinum Concilium in ſuis Diœceſibus promulgarunt: ſiquidem nactâ opportunitate temporis infirmæ ætatis Regis, Curia Romana huic negotio antea ſæpè tentato manum extremam, ſed fruſtra imponere voluit: quam ob cauſam Ordo Eccleſiaſticus die Lunæ 13 Februarii 1615. Provinciam dedit Epiſcopo Bellovacenſi, ut ad tertium Ordinem ſeſe conferret, atque eidem perſuadere niteretur Concilii Tridentini receptionem non poſſe diutius abſque crimine ſchiſmatis prorogari &c. quam in rem Harlæus Archiepiſcopus Rhotomagenſis orationem ſe quidem dignam coram Rege habuit. At Tertius Ordo acutè Bellovacenſi Epiſcopo reſpondit nullam eſſe in Galliis inter Catholicos controverſiam de rebus ad doctrinam & fidem ſpectantibus in Tridentino Concilio definitis: adeò ut Synodus Tridentina potiùs demonſtret Gallos hactenus ſemper de rebus ad fidem ſpectantibus rectè ſenſiſſe, quàm illos ad aliquid novi credendum hac in parte obliget: Tantummodo controverti de nonnullis rebus ad diſciplinam & politiam Eccleſiaſticam ſpectantibus, quoniam Patres Tridentini multas novas ſciviſſent conſtitutiones Decretalibus Romanorum Pontificum planè conformes, quas Galli numquam obſervarunt. Verùm quando eâdem Synodo ſanctiſſimè cautum eſſet ne Prælati plura unico beneficio poſſiderent, Prælatos omnes rem ſuo Ordine digniſſimam, & Eccleſiæ utiliſſimam facturos, ſi à beneficiorum pluralitate, cæteriſque abuſibus ab eadem Synodo damnatis ſibi temperarent, atque omnibus aliis exemplo & incentino eſſent Concilii Tridentini recipiendi. Sed ut ad literas Pontificis revertar, munus iis reſpondendi delatum eſt Epiſcopo Aurelianenſi, qui nomine ſacri Ordinis ita reſcripſit.

Sanctissime Pater, *poſt oſcula pedum Beatorum.*

„ NOn eſt quòd S. V. novum ac inſolens videatur in hoc regno „ quondam pietate florentiſſimo, nunc à nonnullis filiis ſuis pe- „ nè convelli Eccleſiam atque labefactari. Eſt enim id hæreſi peculia- „ re, non modò ut originem & incrementum ex diſſidiis capiat; „ verùm etiam eorum ſemina pro ſua audacia Catholicorum animis „ inſpiret: quo paulatim contumaces facti, à matre ſua divellantur, „ & abruptis obſequii atque reverentiæ vinculis, arroganter in ejus „ munus ac autoritatem invadant. Enimverò Deus præpotens, qui „ uni-

„unico verbo commota tempeſtatibus maria, & ventorum minas „compeſcuit, eademque opera nutantem Diſcipulorum fidem erexit; inter has procellas nihil de providentia ſua remittit, ſed ita cuncta moderatur, ut ſedatis rerum fluctibus, major inde ad nominis „ejus gloriam fiat acceſſio: quod noviſſimè perſpici manifeſtò potuit: cùm enatâ turbarum occaſione quidquid in Eccleſiam parabatur, ex eventu eidem lætum atque ſalutare apparuit. Angebamur enim non mediocriter, cùm videremus ipſos Catholicos zelo quodam minùs prudenti abreptos, cognitionem earum rerum „quæ ad fidem pertinent, ad ſe trahere; & de quæſtionibus ejuſmodi ſtatuere velle, quas niſi ſuorùm paſtorum vocibus edocti non „attingere debeant; Sed ea moleſtia è veſtigio in lætitiam verſa eſt, „poſtquam iidem noſtris monitis & juſtis rationibus adducti, demum agnoverunt omnem hanc auctoritatem penes Eccleſiam, eoſque ſolos eſſe quos illa fidelium gregi præeſſe voluerit. Ejus hoſtes „præterea didicerunt, accedentibus eo Chriſtianiſſimi Regis & Reginæ matris ſubſidiis, ſupremas eorum poteſtates Deo in Eccleſiæ „obſequium atque defenſionem eſſe inſtitutas. Eſt verò quòd eo ſucceſſu gratuletur ſibi Veſtra Sanctitas, & in ſpem veniat fore uti „Deus peculiarem Eccleſiæ in hoc regno curam ſemper habeat: „utque illa tot Antiſtitibus, tot ſummis Eccleſiaſtici Ordinis viris ritè adminiſtrata inimicorum ſuorum impetus fortiter propulſet: „ſub regno præſertim Principis tantâ pietate imbuti, & ejus matris, „cui cum animi magnitudo & virtutes mariti omnes velut in dotem „acceſſerint, conſentaneum eſt, non minùs virium & felicitatis futurum in defendenda Eccleſia, quàm in propugnanda filii Regis „autoritate, retinenda ſubditorum fide, ſervandaque pace hactenus fuerit. Nobis porrò maximo ſolatio eſt, quod occaſione datâ „viſi ſumus rem S. V. gratam atque laudabilem præſtitiſſe; id certè „immodico veſtræ Paternitatis affectui, & eximiæ in Provinciam „quam Deus ei regendam commiſit, curæ adſcribimus: quòd quamvis nihil niſi ex debito munerum noſtrorum officio fecerimus, tamen nos teſtimonii ſui honore dignetur: quo deinceps ad ea implenda ſimus alacriores. Habemus itaque ingentes quam demiſsè „poſſumus S. V. gratias, eamque obſecramus ut in hoc erga Eccleſiam Gallicanam affectu perſeveret; nec non illam favoris ſui tutelâ „protegat: quâ freti ſperamus nos perduellibus fidei tam ardentibus „animis obviam ituros, ut illi ſibi ſuos conatus irritos, Eccleſiæ

„ glorioſos eſſe demum comperiant. Datum Pariſiis Regni Comi-„ tiis 7. Kalend. Martii 1615.

Obſequentiſſimi ac devotiſſimi Filii veſtri & Servi E. R. Cardinales, Galliarum Antiſtites, Cæteriquc Eccleſiaſtici in Comitiis Regni congregati.

Reſcripſit ex eorum mandato Gabriel Epiſcopus Aurelianenſis.

Porrò in hac epiſtola Reſponſiva Ordinis Eccleſiaſtici multa perſtringebantur, quæ hiſtoricè abſque ullo ſtomacho narrabo: quamquam tum magno cum animi calore dicerentur primùm, quod ſtatim initio harum literarum fit mentio hæreſeos, quaſi hæretici autores vel ſuaſores articuli extitiſſent: Id & odioſè & calumnioſè ab Curiæ Romanæ Aſſeclis & fautoribus confictum: illoſque de more habere prædicabant, quoties rei veritate validiſque rationibus ſua placita tueri non poſſent, ad ejuſmodi calumnias & convitia divertere: ut hac via imperitum & meticuloſum vulgus perterrefaciant, inque ſuam ſententiam abſtrahant: idque in negotio articuli tertii Ordinis, conſultò & artificioſè factum. Profectò Actis tertii Ordinis, quæ ut huic calumniæ obviam iretur, edita ſunt, planè convincitur, articulum conditum atque approbatum à viris piis & maximè Catholicis: atque in toto tertio Ordine nullos fuiſſe Hugonotas, tribus tantum exceptis, qui ex Provincia Aquitaniæ delegati fuerant: Sola autem Aquitaniæ Provincia cùm penſationibus immodicis Eccleſiaſticorum ab aliis Provinciis diſſociata fuiſſet, cenſuit articulum de quo agitur, non eſſe in Codicem generalem tertii Ordinis conjiciendum. Secundò ſicut propugnatores articuli hæreſim ex diſſidiis atque diſſentionibus incrementum capere fatebantur: Ita contendebant hoc Curiæ Romanæ nativum ac proprium eſſe diſſidia & turbas conſerere ad Dominatum & Potentatum ſuum augendum; totumque ex turbis, diſſidiis, factionibus Imperii, atque Regnorum temporalium ruinis conflatum & compactum eſſe: hiſque artibus atque fabricis in dies ſingulos conſervari & ampliari, ejuſque rei confirmationem non longiùs quàm ab hoc regno afflictiſſimo poſt Henrici Magni parricidium, & ab hac Comitiorum Generalium regni celebratione quærendam aut petendam; ac certiſſimum eſſe Curiam Romanam in nullos magis quàm in Principes imbelles ac impotentes ſævire ſolitam. Tertiò fruſtrà objici Catholicos zelo imprudenti

earum

Digitized by Google

earum rerum cognitionem & definitionem, quæ ad ſolos Eccleſiaſticos ſpectaret, ſibi vendicare: quando nihil aliud vel ſacro Regis Conſiſtorio, vel Parlamento, aut tertio Ordini propoſitum fuerit in propugnando aut condendo articulo, quàm avitam & immemorabilem Regni poſſeſſionem defendere; eamque ut æquum & neceſſarium eſt, contra omnes vindicare. Nam tertius Ordo novum aliquod jus ſtatuere nolebat, ſed antiquum congruenter ad praxim mille atque ampliùs annis uſitatam executioni mandare volebat, ut libris ſequentibus innoteſcet. Quartò, quod oſtenditur Eccleſiæ hoſtes didiciſſe politicas poteſtates à Deo inſtitutas ad Eccleſiæ obſequium & defenſionem; præſertim accedente Regis & Reginæ matris autoritate: reſpondebatur quod ſi Clerus per hoſtes Eccleſiæ Parlamentum aut tertium Ordinem, qui fermè totus ex Regis Officiariis & Regni Magiſtratibus conflatus erat; intelligat (quoniam Parlamento & tertio Ordini Regiâ autoritate ſilentium impoſitum eſt) meram eſſe calumniam; quia neque Parlamentum, neque tertius Ordo cuiquam, nedum Eccleſiæ matri hoſtis vel inimicus eſt: Imò ſumma pietate ac propenſione erga Eccleſiam & Religionem Catholicam nec generatim nec privatim Ordini Eccleſiaſtico cedere vult: Duces Ordinis Eccleſiaſtici debere meminiſſe ſingulis Ordinibus ſuos ineſſe Nænos: atque unis, *qui debent eſſe lumen mundi & ſal terræ*, quàm aliis multò plura dari poſſe improperio. Cæterùm Regis Officiarii ingenuè fatebantur, quòd pro muneris ſui & conſcientiæ ratione, quando ſe ejus rei faciendæ occaſio præbuiſſet, aliquas Curiæ Romanæ bullas & placita tanquam à Typho ſæculi profecta, & ſacris Canonibus infeſta labefactaſſet; ſed charitate, pace, unione, atque honore Eccleſiæ ſalvo. Cæterùm nihil eſſe quod ſacer Ordo de Regis atque Reginæ matris ſubſidio hac in parte gloriaretur: quando ipſis pueris exploratum eſſet quanto molimine & quibus artibus hoc extortum eſſet præſidium. Quod enim jure & Chriſtiana manſuetudine non poterant, via facti, cenſurarum atque interdicti comminatione, turbiſque editis, à Rege penè puero abripuerant: adeò quidem ut permulti etiam ex ipſo ſacro Ordine infirmam ætatem Principis, & Regni gubernationem ſic ab Ordinis Eccleſiaſtici Ducibus haberi ludibrio valde lugerent. Quotuſquiſque Patrem Ogerium Priorem Cartuſiæ Pariſienſis, ut innumeros alios taceam, de his turbis ingemiſcentem non vidit & audivit? quid Archiepiſcopum quemdam Aquitaniæ commemorem, qui ut Cardinalis Perronii

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

motus ſedaret, palam toto Ordine Eccleſiaſtico audiente, dixit ſe neque umquam fuiſſe hæreticum, neque patrem aut parentes habuiſſe hæreticos; & tamen credere, aut ſibi in animum inducere nullo modo poſſe Papam donatum à Chriſto poteſtate Reges abdicandi? Quintò dicebatur inauditum eſſe antiquos Epiſcopos, maximè ubi ſolemnes agerent Conventus, hac uſos formulâ, dum Pontifici reſcriberent: *Veſtri ſervi &c. Cùm in lege gratiæ & perfectæ libertatis non ſit ſervus aut liber, niſi ſervitute aut libertate peccati, atque Regiminis Eccleſiæ.* Quod Epiſcopi planè oppreſſum eſſe, ac ſe liberos non eſſe hac formulâ; *Veſtri ſervi &c. declarant.* Quod ipſum pariter motus & turbæ quas edunt, plus ſatis indicant. Sextò, hæc ſubſcriptio Epiſtolæ: *Reſcripſit ex eorum mandato Gabriel &c.* tanquam gravitati & dignitati Epiſcopali parùm conveniens reprehendebatur. Quid enim, inquiebant, ſi volumen integrum ſuper ſacram Scripturam, aut aliquid hujuſmodi lucubraſſet? An non magnæ vanitatis eſt indicium unius breviſſimi Epiſtolii ſcriptione gloriam & commendationem Romæ aucupari? quaſi certè aliquis purpuram Cardinalatûs ex tam vili ſcriptionis muſtaceo ambiret.

Cæterùm poſtquam Pontifex accepit Ordinem Nobilium magna ex parte prenſationibus Eccleſiaſticorum, & præſertim Cardinalis Perronii oratione, ab Ordine tertio & propugnanda Regis autoritate disjunctum (quod monſtro ſimillimum eſt in Gallicana nobilitate) eidem ut gratificaretur, litteras quoque privatim, ſicut & Ordini Eccleſiaſtico reſcripſit, quas ad integram hiſtoriæ cognitionem hîc referre non pigrabor.

Dilectis Filiis Nobilibus viris Ordinis Nobilium Regni Franciæ in Comitiis Generalibus.

„Dilecti Filii Nobiles Viri, ſalutem & Apoſtolicam Benedictio-
„nem. Diliximus ſemper præcipuè paternæ in vos noſtræ cha-
„ritatis affectu veſtrum nobiliſſimum Ordinem; non modò ut decus
„& ornamentum Chriſtianiſſimi Regni Franciæ huic ſanctæ Apo-
„ſtolicæ Sedi conjunctiſſimi pariter propriis officiis filialis devotio-
„nis & obedientiæ, atque acceptis ab ea ſingularibus gratiis & præ-
„rogativis rerum etiam tanquam exemplum admirabile in Chriſtia-
„na Republica fortitudinis & prudentiæ militaris excelſi infractique
„animi, & in Regis propria defendenda dignitate, fidei atque Con-
„ſtantiæ incomparabilis: ſed mirum in modum agnitus eſt veſter

„erga

Digitized by Google

„ erga nos paternus amor, verbis quæ venerabilis Frater Robertus „ Epiſcopus Montiſpolitani noſter Apoſtolicus Nuntius nuper ad „ nos ſcripſit de alacritate animi, deque ſtudioſa voluntate, quâ „ promptos paratoſque vos Ordini Eccleſiaſtico iſtius Regni exhi- „ buiſtis ad tutelam divini honoris, & defenſionem autoritatis, ſa- „ lutem Apoſtolicæ Sedis egiſtis. Sanè quod maximè decebat, inge- „ nitam pietatem, quæ ab heroicis virtutibus Nobilium Gallorum „ numquam diſtinguitur in illis, qui à ſuis majoribus numquam de- „ generaverunt: propterea mandavimus eidem noſtro Apoſtolicô „ Nuntio, ut veſtris Nobilitatibus noſtro nomine ingentes gratias „ referret, & de tam claro, tamque opportuno officio illas vobis „ laudes tribueret, quæ propugnatoribus divini honoris, & Eccle- „ ſiaſticæ dignitatis meritò debentur: ac ſimul vobis has litteras no- „ ſtras redderet, teſtes noſtri in vos peramantis & grati animi: ipſum „ igitur audietis tanquam nos loquentem, qui præterea vobis ſigni- „ ficabit quid opportunum ulteriùs eſſe cupimus, quòd ſicut occa- „ ſione ita experti ſumus vobis æqualem zelum Progenitores veſtri „ ſemper exercuerunt, toties ad arma conciti, ut B. Petri ſedem ab „ injuriis vindicarent; Ita & vos pariter experiemini ſemper vobis „ eumdem paternum amorem, eamdemque charitatem, quâ ſanctæ „ recordationis Prædeceſſores noſtri Dilectiſſimos filios ſuos Nobiles „ Gallos in viſceribus Chriſti proſequuti ſunt: quo interim amantiſ- „ ſimo affectu Nobilitatibus veſtris Apoſtolicam benedictionem no- „ ſtram impartimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem „ ſub annulo Piſcatoris, pridiè Kalendas Februarii 1615. Pontifica- „ tus noſtri anno decimo.

Porrò in his litteris Clauſula quâ Pontifex ſignificat Nuntium ſuum Nobilibus declaraturum, *quidnam ipſe opportunum exiſtimet, ut negotium perfectè abſolvatur*, ſupra explicata eſt in Analyſi Epiſtolæ Pontificis ad Clerum: hoc enim ſpectat ad Concilii Tridentini receptionem; idque ſollicitam admodum Curiam Romanam habebat, ut ex ſequenti Epiſtola Papæ ad Cardinalem Joienſium claret.

PAULUS Papa V.

VEnerabilis Frater noſter, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Planè dicere poſſumus: Expectavimus pacem, & ecce Turbatio: Superioribus namque diebus ſpem non levem conceperamus, fore ut ſacroſancti Concilii Tridentini decreta in Gallia reciperentur: & dum animum noſtrum

ſtrum varietate atque multitudine paſtoralium ſollicitudinum penè oppreſſum ſublevare hoc ſolatio curabamus, repentè ad nos allatum eſt quid quarto Nonas Januarii in publico Conventu iſthic attentatum fuerit in detrimentum ſupremæ autoritatis hujus Sanctæ Apoſtolicæ Sedis: ſed Deo gratias agimus quod hoc ſcandalum venerit, ut manifeſti fierent qui probati eſſent. Nam quaſi ignem diſcuſſo cinere ex impetuoſa hac commotione exarſiſſe intelleximus, omnes pariter noſtros venerabiles Fratres ac dilectos filios Ordinis Eccleſiaſtici zelo domus Dei ſuccenſos, allata ad nos cuncta fuerunt ut geſta ſunt; atque imprimis ut fraternitas tua nullà habita valetudinis ratione deferri Lutetiam Pariſiorum voluerit. Quod quidem exemplum zelantis & verè pii ſacerdotis quantum profuerit non ambigimus. Quare ſperamus in divina miſericordia confiſi, quando conſenſus animorum, qui hactenus in Eccleſiaſtico Ordine apparuit, conſervatur, accedente potiſſimùm ſtudio Ordinis Nobilium, audaciam impiorum facilè comprimendam eſſe: præſertim cum ſatis benigna atque propenſa erga Eccleſiaſticos ſe oſtenderit Regia voluntas. Erit igitur ſingularis tuæ prudentiæ atque pietatis negotii hujus abſolutionem iis Officiis quæ tibi opportuniora videbuntur, curare, ut à te efficaciter petimus, & ex animo deſideramus, ſicuti uberius adhuc intelliges ex venerabili Fratre Roberto Epiſcopo Montiſpolitani, noſtro Apoſtolico Nuncio, qui præterea tibi ſignificabit quod ulterius oportere exiſtimemus. Eum itaque non ſecus ac nos loquentes audies, & nos fraternitati tuæ benedictionem noſtram Apoſtolicam peramanter impartimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris pridie Kalend. Februarii 1615. Pontificatus noſtri anno decimo.

Petrus Stroza.

Quæ omnes Litteræ Pontificis eodem die & anno datæ ſunt. Quod autem quarto Nonas Januarii in publicis Conventibus factum memorant, ea ipſa deſignant quæ ſecunda die Januarii geſta ſunt in tertio Ordine atque Parlamento propter ſuaſionem Cardinalis Perronii, de qua ſuperiùs actum eſt.

Porrò hoc primum caput hiſtoriam rerum geſtarum in Conventibus trium Ordinum pro, & contra articulum tertii Ordinis complectens, eximio Epigrammate concludam; quo quidem trium Ordinum propoſitum & motus graphicè exprimuntur. Ut enim moderatores Ordinis Eccleſiaſtici vino ambitionis Curiæ Romanæ epoti divina atque humana jura miſcebant: Ita nobilitas ſub Reginæ Matris

tris Regentia opulentiſſimis dotata penſionibus, his augendis atque retinendis unicè incumbebat. Tertium verò Ordinem jus annuum (*Poletam ab Inventore nominant*) valdè anxiùm habebat, ne Ordinis Eccleſiaſtici & Nobilium ſuaſionibus antiquaretur: idque Epigrammatiſtes ſic docet:

Pro Roma ſævit Clerus: dotata ſuperbit
Nobilitas: Plebem jurgia longa trahunt.
Hic movet inſidias: his hæc blanditur; & illa
Languet ab officiis ſollicitata ſuis.
Gallia quid ſperet! quid Gallis iſta minantur?
Regibus exitium, Legibus exilium.

CAPUT II.

De praxi Eccleſiæ Catholicæ, quâ Titulus & poſſeſſio tertii Ordinis conformiter ad ſuum articulum fulcitur.

I. EXplicatâ breviter hiſtoriâ eorum, quæ pro, & contra articulum tertii Ordinis geſta ſunt, tranſeundum ad rationes quibus Titulus & poſſeſſio tertii Ordinis fulciebatur: Et primùm quidem occurrit Apoſtoli oraculum Romanorum 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: Non eſt enim poteſtas niſi à Deo. Quæ autem ſunt, (codex Græcus habet) quæ exiſtunt à Deo ordinatæ ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt ipſi, ſibi damnationem acquirunt. Nam Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali: vis autem non timere poteſtatem? bonum fac, & laudem habebis ex illa, Princeps enim Dei miniſter eſt tibi in bonum: ſi autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat: Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit: ideòque neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Cujus loci indubitatam explicationem ex Patrum antiquorum Catholico conſenſu habes libro ſecundo hujus operis, ubi oſtenditur omnes Chriſtianos alicujus imperii aut Reipublicæ ambitu comprehenſos, nemine dempto, non tantùm de facto, aut vi rationis & directionis, ut prætexit Bellarminus, ſed jure pleni atque directi Dominii & ſubjectionis ſubditos eſſe politicis poteſtatibus. Quocirca ne hîc fruſtra eadem iterare cogamur, illuc remittimus Lectorem.

Secundò accedunt autoritates Patrum diſertè docentium Eccleſiam divinitus nullum jus habere cogendi temporaliter irrogando

Digitized by Google

pœnas temporales aut ſeculares: atque Religionem Chriſtianam charitate, patientiâ, & obſervatione mandatorum Dei, non ferro & armis ſtabiliri & propagari oportere, ut libro 3. demonſtrabitur. Intereadum hîc uno atque altero teſtimonio contenti erimus. Enimverò tempore D. Ambroſii cum Valentinianus Imperator Arrianus edicto juſſiſſet Baſilicam Auxentio Arriano Epiſcopo tradi; atque Populus Mediolanenſis armata manu militibus Imperatoris vellet obſiſtere: D. Ambroſius populo reſpondit; quamquàm Imperator vim inferret, tamen jus non eſſe Chriſtianis vi & armis, ſed ſola oratione Auxentio & Imperatori obſiſtere. *Quid turbamini*, inquit, *volens numquam jus deſeram, coactus repugnare non novi, dolere potero, potero flere, potero gemere adversùs arma, milites, Gothos quoque, lachryma mea arma ſunt: Talia enim munimenta ſunt ſacerdotis, aliter nec debeo, nec poſſum reſiſtere &c.* Ubi animadverſione dignum S. Ambroſium *de jure loqui: volens numquam jus deſeram, aliter nec debeo, nec poſſum*, ait. Quid clarius dici poteſt?

D. Auguſtinus XI. quæſt. III. can. Imperatores. §. *Julianus extitit infidelis Imperator: Nonne extitit Apoſtata, iniquus Idololatra? Milites Chriſtiani ſervierunt Imperatori infideli: Ubi veniebat ad cauſam Chriſti, non agnoſcebant niſi illum qui in cœlo erat. Quando volebat ut idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi Deum: quando autem dicebat; producite aciem; Ite contra illam gentem, ſtatim obtemperabant: diſtinguebant Dominum æternum à domino temporali; & tamen ſubditi erant propter Dominum æternum etiam Domino temporali.* Quæ omnia ſententiæ B. Hieronymi concordant eadem causâ & quæſt. *Can. ſi Dominus.* §. *Si bonum eſt quod præcipit Imperator & Præſes, jubentis obſequere voluntati: Si verò malum; reſponde ei illud de Actibus Apoſtolorum. Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.*

En igitur Patrum Eccleſiæ Primitivæ doctrina & ſententia cauſis eſſentialibus utriuſque poteſtatis omninò conformis: de qua re longiorem impræſentiarum ſermonem non texo, quoniam ſequentibus libris futura eſt in illam accuratiſſima diſputatio.

Caput III.

I. *De Praxi Eccleſiæ Gallicanæ congruenter ad prædictum articulum; & de Hincmari Rhemenſis Epiſtolâ ad Adrianum II. pro Regia autoritatis defenſione.*

II. *Galli parere Gregorio VII. recuſant, volenti Franciæ regnum ponere ſub interdicto Anathematis.*

III. *Hiſtoria eorum quæ occaſionem præbuerant Innocentio III. condendi Decretalem; novit de judiciis.*

IV. *Stu-*

Digitized by Google

IV. *Studium B. Ludovici & Nobilitatis Franciæ in vindicanda politica poteſtate contra Uſurpationes Clericorum.*
V. *De Actis trium Ordinum Regni Franciæ adversùs Bonifacium VIII. & Revocatione Extravagantis; Unam Sanctam per Decretalem Clementis V. meruit.*
VI. *Arreſta Parlamenti contra Joannem Tanquarellum & Bernardum Caſtorium, qui bullam Cœnæ Domini vulgavit in regno Franciæ anno* 1580. *Et de iis quæ tempore bellorum civilium Ligæ geſta ſunt pro Regiæ autoritatis defenſione uſque ad mortem Henrici IV.*
VII. *Hiſtoria rerum quæ pro, & contra Arreſtum Curiæ Parlamenti adversùs librum Cardinalis Bellarmini in Barclaium acta ſunt in privato Regis Conſilio.*
VIII. *Cenſura Pauli V. contra librum Becani cum brevi narratiuncula eorum quæ ſuper eâ re geſta ſunt in facultate Theologica Pariſienſi, & ſacro Regis Conſiſtorio.*
IX. *Sententia Proprætoris Pariſienſis adversùs librum Schulkenii, & Arreſtum Parlamenti in defenſionem fidei Catholicæ Franciſci Suaris.*

I. JAm ad Eccleſiæ Gallicanæ praxim venio, ut demonſtrem quoties Curia Romana Majoribus noſtris de ſua avita poſſeſſione litem movit, toties communi Ordinum Regni conſenſione illam poſſeſſionem adversùs renitentes, atque omnium maximè ab Ordine Eccleſiaſtico & Nobilibus aſſertam atque vindicatam: Cujus rei primum, quod ſciam, monimentum ſub Ludovico Pio extitit. Cùm enim ejus tres filii de optimo Principe tondendo, & in monaſterium compingendo ſtatuiſſent, hacque in re potiſſimùm operâ Ebonis Archiepiſcopi Rhemenſis, & quorundam aliorum Epiſcoporum Galliæ uterentur, magnaque & probabilis eſſet conjectura hæc, conſcio & volente Gregorio IV. PP. geri: hic quidem cùm eodem tempore ſeſe in Gallias contuliſſet, antequam ulteriùs in regnum penetraret, Galliarum Epiſcopi qui Ludovico Pio favebant, Pontifici reſcripſerunt: *Quòd ſi excommunicaturus veniret, excommunicaturus abiret: cùm aliter ſe habeat antiquorum autoritas canonum.* Aimonius libro quarto capite decimo quarto quæ Epiſcoporum Galliæ reſcriptio ſolum abuſum Clavium damnat, non Sedis Apoſtolicæ poteſtatem vertit in dubium: Quandoquidem Canones & Cauſæ Eſſentiales poteſtatis Eccleſiaſticæ nequaquam patiuntur Eccleſiaſticos ſeſe negotiis ſæcularibus implicare, ſicuti planè eſſet neceſſarium, ſi à Chriſto præditi eſſent autoritate Regum abdicandorum: Ita enim nullum civile negotium eſſet, quod abſque interventu & Imperio Papæ confici poſſet, ut infrà probabitur.

Lothario Rege Italiæ & Lotharingiæ vitâ functo, cùm Galli Ciſalpini Carolum Calvum Galliæ Regem loco Ludovici Filii Lotharii in Regem ſuum cooptaſſent: atque Adriano II. Papa Carolo

Digitized by Google

Calvo mandaſſet, ut Galliæ Ciſalpinæ Provincias quas Lotharius poſſidebat, liberas & pacatas Lotharii filio relinqueret; nec non etiam Hincmaro Archiepiſcopo Rhemenſi, ut Carolum Calvum, ſi monitis Apoſtolicis parere detrectaret, anathemate execraretur, & ſacris interdiceret: Hincmarus trium Ordinum Regni concluſionem, & generoſum Cleri Gallicani ac Nobilium animum ſic Adriano declaravit: *Cum magno cordis dolore ac gemitu dico, quoniam Eccleſiaſtici & ſeculares Ordinis viri, qui de diverſis regni partibus Rhemis plurimi convenerant, quos mandatum veſtrum ibidem mihi delatum quia non debuit latere non potuit exiguitati meæ, qui quantum ſcivi & potui, ſemper Apoſtolicæ Sedis privilegium extuli, imperando dixerunt & dicunt numquam hujuſmodi præceptionem ab illa Sede ulli prædeceſſorum meorum miſſam fuiſſe: Cùm inter Reges Sacramentis etiam confœderatos, ſed & inter Patrem & filios ac inter fratres prælia & ſeditiones eorum temporibus fuiſſe noſcantur, &c. Nec etiam ab Hæreticorum vel Schiſmaticorum, ſive Tyrannorum Imperatorum ac Regum, quales fuerunt Conſtantius Arrianus, & Apoſtata Julianus, & Maxentius Tyrannus præſentiâ & ſalutatione ſine colloquutione Sedis Apoſtolicæ Pontifices vel alii magnæ autoritatis atque Sanctitatis Epiſcopi, cùm locus & ratio ac cauſa exigit, ſe ſubſtraxiſſe leguntur &c. Et dicunt ſæcularem Scripturam dicere, quia omne regnum ſæculi hujus bellis quæritur, victoriis propagatur, & non Apoſtolicis vel Epiſcoporum excommunicationibus obtinetur: Et Scripturam divinam dicere, quia Domini eſt regnum per quem Reges regnant, & cui voluerit, dat illud &c. Et eam poteſtatem à Chriſto, S. Petro primo Apoſtolorum, & in eo ſuis ſucceſſoribus datam; ſed & Apoſtolis in eis Epiſcopis Pontificium ligandi & abſolvendi collatum illis inſinuare volumus. Reſpondent, & vos ergo ſolis orationibus veſtris regnum contra Normannos & alios impetentes defendite, & noſtram defenſionem nolite quærere: Et ſi vultis ad defenſionem habere noſtrum auxilium, ſicut volumus de veſtris orationibus habere adjutorium, nolite quærere noſtrum diſpendium, & petite Domnum Apoſtolicum; ut quia Rex & Epiſcopus ſimul eſſe non poteſt, & ſui Anteceſſores Eccleſiaſticum Ordinem, quod ſuum eſt; & non Rempublicam, quod Regum eſt, diſpoſuerunt; non præcipiat nobis habere Regem qui nos ſic longinquis partibus adjuvare non poſſit contra ſubitaneos & frequentes paganorum impetus: Et nos Francos non jubeat ſervire, quia iſtud jugum ſui Anteceſſores noſtris Anteceſſoribus non impoſuerunt: Et nos illud portare non poſſumus, qui ſcriptum eſſe in ſanctis libris audivimus, & pro libertate & hæreditate noſtra uſque ad mortem cer-*

certare debemus. Et ſi aliquis Epiſcopus aliquem Chriſtianum contra legem excommunicat, ſibi poteſtatem ligandi tollit, & nulli vitam æternam poteſt tollere, ſi ſua peccata illi eam non tollant: Et non convenit uni Epiſcopo dicere ut Chriſtianum, qui non eſt incorrigibilis, non propter propria crimina, ſed pro terreno regno alicui tollendo vel acquirendo nomine Chriſtianitatis debeat privare, & cum diabolo collocare quem Chriſtus ſuâ morte, & ſuo ſanguine de poteſtate diaboli venit redimere, & Chriſtianos pro fratribus ſuis animas ſuas docuit ponere. Propterea ſi Dominus Apoſtolicus vult pacem quærere, ſic pacem quærat, ut rixam non moveat; quia nos non concedemus, ut aliter ad regnum Dei pervenire non poſſimus, ſi illum quem ipſe commendat terrenum Regem non habuerimus, &c. Porrò ad calcem hujus Epiſtolæ Hincmarus Adriano, qui ei præceperat ut Hincmarum Laudunenſem Romam mitteret, ita reſpondit: *Veſtra ſciat autoritas*, inquit, *quia nec prædictum Hincmarum, nec etiam quemlibet Epiſcoporum Diœceſeos Rhemorum, minimè autem aliarum Provinciarum Epiſcopos, niſi Dominus Rex illis præceperit, Romam vel in aliquam partem meâ commendatione mittendi habeo poteſtatem: Nec ipſe ego ultra fines ſui regni abſque illius ſcientia progredi valeo.*

En praxis diſciplinæ & poteſtatis Eccleſiaſticæ nono ſæculo poſt partum virginis: quæ praxis omnino quadrat cauſis eſſentialibus utriuſque poteſtatis, quibus edocemur ſententiam Epiſcoporum Galliæ illius ſæculi longè diverſam fuiſſe ab opinionibus Perronii, ejuſque ſequacium, qui Curiæ Romanæ placitis tincti perſuadere volunt Papam in vim cenſurarum & poteſtatis indirectæ poſſe Chriſtianis Principibus regna dare atque auferre. Docet verò Hincmarus, quando cenſuræ contra Canones irrogantur, prorſus nullas & irritas eſſe. At Carolus Calvus Franciæ Rex Epiſtolam miſit ad Adrianum PP. ejuſdem planè argumenti cum Epiſtola Hincmari, in qua hæc leguntur: *Quod ex Apoſtolicæ Sedis nomine ſecundùm ſanctarum ſcripturarum tramitem, prædicationemque Majorum & Orthodoxorum decreta ſcribitur, legendum & tenendum non ignoramus: Et quod ſecùs à quoquam fuerit compilatum ſive confictum, non ſolùm reſpuendum, ſed & redarguendum eſſe cognoſcimus.* Qua ex clauſula liquet Decretales & Bullas Pontificum non vim habere obligandi, niſi Scripturis & ſacris Canonibus, atque inſtitutis Majorum receptis & approbatis concordent, & conſequenter illo ſæculo Gallos non habuiſſe Papam pro abſoluto Monarcha etiam in ſpiritualibus: neque etiam Eccleſiaſticos ita ei ſubditos eſſe, ut eos pro animi ſui libitu

Digitized by Google

Romam evocare & abducere poſſit, quemadmodum Gregorius VII. eos paſſim in ſuis Epiſtolis majeſtativè evocavit, ut Lib. quarto oſtendetur.

II. Gregorius VII. à quo poteſtas Regum deponendorum Originem duxit, identidem in Philippum I. Galliarum Regem, tum ob Inveſtituras tum ob quoſdam Italiæ Negotiatores malè habitos in Franciæ regno, cenſuras diſtrinxit: atque inſuper Galliæ Epiſcopis imperavit minaciter, ut ab divinis Officiis publicè celebrandis ſuperſederent; ſeque à Regia fidelitate & communione ſubducerent. Similiter univerſos ſubditos Regni à Regis fidelitate & obſequio, ſed fruſtrà avertere tentavit: quoniam neque Epiſcopi, neque Nobiles, neque Populus umquam Gregorio auſcultare voluit. Lege 35. Epiſtolam libri primi & 5. libri 2. Regeſti Gregorii VII. Verùm de cenſurarum natura infrà lib. 3. cap. 4. Innocentius III. cap. *per venerabilem. qui filii ſunt legitimi* §. inſuper, nominatim docet *Regem Franciæ ſuperiorem non agnoſcere in temporalibus*.

III. Anno 1202. Philippo Auguſto regnante Joannes Angliæ Rex, qui etiam Dux erat Aquitaniæ & Normanniæ, Arturum nepotem ſuum Britanniæ Armoricæ Ducem ſtructis inſidiis cepit, & clamculum interfecit, eò quòd Philippo Auguſto cujus Dux Britanniæ erat Beneficiarius, faveret. His de cauſis Philippus ut Arturum ulciſceretur, Joanni Anglorum Regi tanquam regni Franciæ Beneficiario & Vaſſalo diem dixit in Parlamento, quo ſeſe de Arturi nece purgaret. Anglus autem cùm minimè Vadimonium obiiſſet, tandem Philippus Aquitaniam & Normanniam propter Angliæ Regis contumaciam & feloniam Arreſto Parlamenti fiſco ſuo addixit; eo quidem tempore quo inter Anglum & Innocentium Papam III. magnæ interceſſerant ſimultates, quæ initium habuerant ab Archiepiſcopatu Cantuarienſi vacante, quem Innocentius dari voluerat Magiſtro Stephano de Langeton Doctori facultatis Pariſienſis & Presbytero Cardinali. Hunc enim Romæ ab aliquot monachis Eccleſiæ Cantuarienſis (hodie Canonicos vocamus) contrà Canones Innocentius deligi voluerat, Angliæ Rege invito & inconſulto: Siquidem prædictus de Langeton valde ſuſpectus erat Regi Angliæ, qui eam ob rem aculeatas ſcripſit litteras ad Innocentium, quibus obteſtabatur *quòd pro libertatibus Coronæ ſuæ ſtaret, ſi neceſſè fuerit uſque ad mortem immutabiliter; affirmans ſe non poſſe ab electione ſimul & promotione Norwicenſis Epiſcopi, quam ſibi utilem intelligebat, revocari &c.* Quapropter

Digitized by Google

propter Innocentius totum Angliæ Regnum ſub interdicto poſuit: & anno 1211. omnes ſubditos ad Coronam Angliæ pertinentes à Regis fidelitate abſolvit. Deinde anno 1212. *ſententialiter definivit*, ut Joannes à ſolio regni deponeretur, & ad hujus ſententiæ executionem ſcripſit potentiſſimo Regi Francorum Philippo, quatenus in remiſſionem ſuorum omnium peccaminum hunc laborem aſſumeret, & Rege Anglorum à ſolio regni expulſo, ipſe & ſucceſſores ſui regnum Angliæ jure perpetuò poſſiderent. Scripſit inſuper Innocentius omnibus Magnatibus, militibus, aliiſque bellatoribus per diverſas Nationes conſtitutis, *ut ad Regis Anglorum dejectionem ſeſe cruce ſignarent, Regemque Francorum in hac Expeditione Ducem ſequentes vindicare injuriam univerſalis Eccleſiæ laborarent.* Statuit prætereà *ut quicumque ad expugnandum Regem illum contumacem opes impenderent vel auxilium, ſicut illi qui ſepulchrum Domini viſitant tam in rebus quàm in perſonis, & animarum ſuffragiis in pace Eccleſiæ ſecuri permaneant.* His ita geſtis miſit Dominus Papa à latere ſuo Pandulphum Legatum ad partes Gallicanas cum Archiepiſcopo Cantuarienſi, Londinenſi, & Elyenſi Epiſcopis, ut in ipſius præſentia ea quæ ſuperiùs digeſta ſunt, exequeretur. Cæterùm Papa *nihilòminùs clàm dedit Pandulpho Legato* quamdam pacis formam, cui ſi Angliæ Rex aſſentiri decreviſſet, apud Sedem Apoſtolicam gratiam invenire poſſet. Tunc Rex Francorum accinxit ſe ad pugnam, atque omnes ſuæ ditionis homines, Duces videlicet, Comites & Barones, milites & ſervientes &c. juſſit in Octavis Paſchæ anno 1213. apud Rhotomagum convenire ſub pœna criminis læſæ majeſtatis & feloniæ. Joannes autem his auditis in deſperationem prolapſus, perſuaſionibus Pandulphi Legati Innocentii, qui ſe in Angliam contulerat, acquievit, *& Regnum Angliæ atque Hyberniæ in feudum Eccleſiæ Romanæ addixit:* ITA UT PAPÆ VASSALUS ET REX APOSTOLICUS FACTUS SIT, *inquit Matthæus Paris, eâ lege ut ſalvis per omnia denariis Beati Petri, Eccleſia Romana mille Marcas Eſterlingorum percipiat annuatim in feſto S*[ti.] *Michaëlis pro regnis Angliæ & Hyberniæ. Quibus ita confectis à Pandulpho, transfretavit ad Gallias, & Regem Francorum diligenter admonere cœpit ut deſiſteret à propoſito, & ad propria pacificè remearet; cùm non poſſet ſine offenſione ſummi Pontificis terram Angliæ vel ipſum Regem infeſtare, cùm ille paratus ſit Deo & S. Eccleſiæ ejuſque Ordinatis ſatisfacere, atque Domini Papæ Catholicis juſſionibus obedire. Hæc audiens Rex Francorum iratus valde, dixit ſe jam in*

appa-

Digitized by Google

apparatu navium, victualium, & armorum plùs quàm ſexaginta millia librarum expendiſſe, & ex præcepto Domini Papæ laborem præfatum, & in peccatorum remiſſionem ſuſcepiſſe. Hæc Matthæus Paris anno 1213. At Barones atque Optimates Regni Angliæ Joanni Regi ideò erant infenſiſſimi, quòd non modò nativas Regni libertates imminueret; verùm etiam eos in turpiſſimam ſervitutem redigeret, hæcque erat ſumma querelarum ad annum 1216. *Heu Anglia omnibus bonis hactenus Princeps Provinciarum facta es ſub tributo!* non tantum flammæ, fami, & ferro, ſed & ſervorum ignobilium & advenarum imperio ſubjecta eſt & ſuppeditata: Cùm nihil infelicius quàm ſervorum ſubjici ſervituti. Legimus quod multi alii Reges, imò & Reguli uſque ad mortem pro liberatione terræ ſuæ dimicarunt. Sed tu Joannes, ut terra tua ab antiquo libera ancillaret, excogitaſti, & operam impendiſti, & ut alios tecum traheres in ſervitutem quaſi cauda ſerpentina medietatem ſtellarum à firmamento teipſum primò depreſſiſti, *factus de Rege liberrimo tributarius, firmarius & Vaſſalus ſervitutis &c. Cùm autem quemnam in locum Joannis deligerent aliquamdiu Barones haſitaſſent, demum in hoc pariter conſenſerunt ut Ludovicum filium Philippi Regis Francorum ſibi præficerent, & ipſum in Regem Angliæ ſublimarent. Nec mora Nuncii cum feſtinatione ad Regem Francorum & filium ejus Ludovicum perrexerunt.* Ludovicus verò cùm expeditionem appararet, Innocentius Gallum, aut ut Angli loquuntur, Wallum Legatum miſit in Franciam, ut Ludovici progreſſum in Angliam auctoritate Apoſtolicâ impediret. Quam in rem Gallus Philippo Auguſto litteras Innocentii dedit, quibus ſcribebat *Angliæ Regem eſſe Vaſſalum Romanæ Eccleſiæ, eumque ut talem protegeret & defenderet, &c. Philippus autem Rex cùm hæc intellexiſſet, reſpondit: Angliæ Regnum Patrimonium Petri numquam fuit, nec eſt, nec erit. Rex enim Joannes multis retroactis diebus volens fratrem ſuum Regem Richardum à regno Angliæ injuſtè privare, & inde de proditione accuſatus, & coram eo convictus, damnatus fuit per judicium in Curia ipſius Regis, quam ſententiam pronunciavit Hugo de Puſat, &c. Et ita numquam fuit verus Rex, nec potuit Regnum dare. Item ſi aliquando fuit verus Rex, poſtea Regnum foris fecit per mortem Arturi, de quo facto damnatus fuit in Curia noſtra. Item nullus Rex vel Princeps poteſt dare regnum ſuum ſine Aſſenſu Baronum ſuorum qui regnum illud tenentur defendere: Et ſi Papa hunc errorem tueri decreverit, perniciofiſſimum regnis omnibus dat exemplum. Tunc quoque Magnates omnes uno ore clamare cœperunt, quod pro iſto articulo*

ſtarent

Digitized by Google

ſtarent uſque ad mortem; ne videlicet Rex vel Princeps per ſolam voluntatem ſuam poſſet regnum dare & tributarium facere, unde Nobiles regni efficerentur ſervi. Acta ſunt hæc apud Lugdunum die 15. poſt Paſcha 1216. Tum miles quidam procurator Ludovici filii Primogeniti Regis Franciæ coram Legato PP. dixit: Domine Rex, res omnibus notiſſima eſt, quòd Joannes dictus Rex Angliæ pro Arturi Nepotis proditione, quem propriis manibus interemit, in Curia veſtra per judicium Parium ſuorum ad mortem ſit condemnatus: ac poſtmodùm à Baronibus Angliæ pro multis homicidiis & enormitatibus aliis quas ibidem fecerat, ne regnaret ſuper eos reprobatus. Unde Barones contra eum guerram moverunt, ut ipſum à ſolio Regni immutabiliter depellerent. Præterea Rex ſæpe dictus præter aſſenſum Magnatum ſuorum, Regnum Angliæ Domino Papæ contulit, & Eccleſiæ Romanæ tenendum ſub annuo tributo mille marcarum. Et ſi autem Coronam Angliæ ſine Baronibus alicui dare non potuit, potuit tamen eam dimittere, quam ſtatim cum reſignavit, Rex eſſe deſiit, & regnum ſine Rege vacavit: Vacans itaque ſine Baronibus ordinari non debuit. Unde Barones elegerunt Dominum Ludovicum ratione uxoris ſuæ: cujus mater Regina Caſtellæ ſola ex omnibus fratribus & ſororibus Regis Angliæ vivens fuit &c. At Gallus Innocentii Legatus his rationibus non contentus prohibuit ſicut priùs ſub pœna excommunicationis, ne Ludovicus Angliam intrare præſumeret, & Patrem ejus, ne ipſum ire permitteret. His auditis Ludovicus Patri ſuo dixit: Domine, & ſi ego homo veſter Regius ſum, tamen de regno Angliæ ad vos non pertinet ſtatuere: unde me ſubjicio Parium meorum judicio &c. Rogo itaque vos ne propoſitum meum præpediatis, quin perſequar jus meum, quia pro hæreditate meæ uxoris uſque ad mortem, & ſi neceſſitas coëgerit, decertabo. Quibus perſpectis Legatus PP. ſeſe confeſtim in Angliam recepit, *ubi coaſſumptis aliquot Eccleſiaſticis Ludovicum nominatim cum complicibus & fautoribus ſuis, pulſatis campanis & candelis accenſis excommunicavit. Ludovicus autem Nuncios miſit Romam, qui jus ſuum coram Innocentio tuerentur, contendente quòd Angliæ regnum ſuum eſſet, ſibique proprium, & cum in nulla re delinqueret, Ludovicum nihil cauſa habere, cur ei guerram moveret, aut eum regno Angliæ ſpoliaret. Præſertim verò quòd Rex Angliæ multas haberet terras in feudo Regis Franciæ, de quibus Anglo bellum movere poterat. Ad hæc autem Nuncii Ludovici reſpondebant: Antequam Joannes Angliæ Rex regnum ſuum dediſſet Papæ, juſtum bellum motum fuiſſe in illum, propter necem Arturi Nepotis ſui, & tum Guillelmum de longa ſpata cum manu militari bellum Ludovico intuliſſe ex parte Joannis*

Angliæ Regis in ſuis propriis terris; & ideò Ludovicum poſſe juſtum inferre bellum Anglorum Regi. Reſpondit Innocentius ſe Dominum eſſe ſuperiorem Regis Angliæ, & Ludovicum debuiſſe coram Domino ſuperiori Angliæ Regis conqueri de injuriis ſibi à Joanne illatis, non autem ei movere bellum. Contra Nuncii Ludovici opponebant conſuetudinem eſſe, quoties Vaſſalus ſuâ autoritate movet alicui guerram, illum quem bello provocavit, poſſe ei pariter movere bellum; neque teneri de injuria ſibi illata conqueri coram Domino illius: Et ſi Dominus ſuperior vult defendere Vaſſalum ſuum, quatenus talem movet guerram, cenſeri facere guerram. Dixit Papa Regem Angliæ cruce ſignatum eſſe pro Expeditione Hieroſolymitana; & proinde ſtatuto Generalis Concilii Lateranenſis omnia quæ ejus erant, eſſe ſub Eccleſiæ protectione. Reſponderunt Nuncii Ludovici Regem Angliæ pridem ante crucem ſumtam bellum moviſſe Ludovico, & damna multa intuliſſe, & adhuc etiam retinere captivos ejus homines & milites: neque ullas pacis aut Treugæ conditiones habere voluiſſe cum Ludovico. Dixit Papa communi conſenſu Concilii Generalis, omnes Barones Angliæ eorumque fautores, & continuò etiam Dominum Ludovicum excommunicatum fuiſſe. Exceperunt Nuncii Ludovicum non adjuvare Barones Angliæ, ſed proprium jus perſequi: neque credere debere Dominum Papam aut Concilium generale velle injuſtè aliquem excommunicare: quando eo tempore quo lata eſt ſententia, Dominus Papa neſciebat Ludovicum jus habere in Angliæ regno; & cùm hoc ſciverit Dominum Ludovicum non credere quòd Concilium ei jus ſuum poſſit auferre. Item dixit Papa quòd Rex Francorum & Ludovicus ejus filius poſt ſententiam à Baronibus & Paribus Franciæ in Regem Angliæ latam, nihilominùs hunc Regem appellaviſſe, & pro Rege ſemper habuiſſe, & cum eo tanquam cum Rege Treugas ſtatuiſſe. Reſponderunt Nuncii quòd poſt latam ſententiam numquam illum Barones Franciæ habuerunt pro Rege, ſed Regem depoſitum ſemper appellaverant, ſicut Abbas depoſitus, dicitur Abbas &c. Tandem Nuncii anno 1217. ſignificaverunt Ludovico *quòd niſi exiret de Anglia, ſententiam excommunicationis, quam Gallus Legatus Innocentii in eum tulerat, Romæ confirmatum iri à Papa die Cœnæ Domini.*

Quam hiſtoriam fuſiùs enarrandam, & verbum penè de verbo ex Chronicis Matthæi Pariſienſis exſcribendam cenſui: de qua pariter legendus Belleforeſtus noſter. Cæterùm nos docet quibuſnam de Cauſis Innocentius III. Famoſiſſimam Decretalem *cap. novit de judiciis condiderit:* Et quàm parum conſideratè Canoniſtarum filii pro ea, tanquam pro Catholico dogmate clauſis oculis, id eſt non examinatis

Digitized by Google

natis circumſtantiis propter quas eam Innocentius tulit, decertent. Certè dum ad hanc attendo hiſtoriam, quæ nos edocet Innocentium jure vel injuria vincere voluiſſe, mihi Apologum Æſopi de agno in inferiori parte fluminis bibente videre videor; quem lupus accuſavit ex ſuperiori parte fluminis, quòd ei aquam turbaret, impediretque quominùs biberet. O bone Jeſu, ea ne tibi unquam mens fuit, Tribunal ſpirituale in Eccleſia erigere, quo Pontifices Romani, quaſi reti jaculo opes innumeras, & regna temporalia, relicto genuino Eccleſiæ patrimonio, quod eſt Salus animarum ſibi piſcarentur? En ergo artes & fabricæ eximiæ, quibus temporale regnum Curiæ Romanæ, mundo obſcuriſſimis ignorantiæ tenebris involuto, accrevit. Hìc inſuper Lector obſervabit eximiam Philippi Auguſti & Baronum Franciæ reſponſionem ad Innocentii Legatum, quam Cardinali Perronio rodendam expono: Siquidem indicat licitum obſiſtere Principibus, qui vel animi impotentiâ & imbecillitate vel alia de cauſa Regni atque Dynaſtiarum ſuarum majeſtatem dilapidarent; aut alicui Principi, atque etiam ipſimet Pontifici & Eccleſiæ mancipparent: neque eam ob cauſam timendas eſſe cenſuras Papæ; quod certè mirum in modum cauſam articuli tertii Ordinis juvat, & Cavillationes Perronii frangit. Verùm quonam ſenſu Decretalis *novit de judiciis*, capienda ſit, lib. 5. cap. 2. reſponſione ad primum explicabitur.

IV. *Dominus Joinvillaus in vita S*[ti] *Ludovici Eccleſiaſticos aliquando apud Regem Optimum conqueſtos memorat, quòd cenſuræ Eccleſiaſticæ ſic apud populum viluiſſent, ut innodati Excommunicatione, ſe abſolvi nullo modo curarent, huicque malo nullum certius & præſentius occurrere remedium, quàm ſi edicto caveret, ut omnes Regni ſui Judices & Magiſtratus Prælatorum ſententias in rem judicatam mittere tenerentur, ſtatim atque illis innoteſceret quempiam annum integrum in reatu continuaſſe, nec ab Eccleſia abſolutionem petiiſſe; hiſque Eccleſiaſticorum poſtulatis S. Ludovicum lubenter annuiſſe, modò Judices & Magiſtratus politici cognoſcerent quibuſnam de cauſis cenſuræ Eccleſiaſticæ ferrentur: atque Prælatos oppoſuiſſe numquam ſe paſſuros ut Judices ſæculares quibuſnam de cauſis cenſuræ ferrentur, cognoſcerent: continuòque B. Ludovicum eis pariter reſpondiſſe, neque aliâ conditione legem quam petebant ſe laturum; quando omnibus compertum eſſet perſæpe homines injuſtis cenſuris Eccleſiaſticorum vexari: idque exemplo Ducis Britanniæ comprobavit, quem Papa nuper injuſtè excommunicatum fuiſſe ab Epiſcopis Britanniæ declaraverat.* Hæc

Digitized by Google

Dominus Joinvillæus. Jam rogatum velim Bellarminum, ut hanc B. Ludovici reſponſionem cum ſuo hoc dogmate cap. decimo nono adversùs Barclaium conciliet. *ſi nolit Imperator ad nutum ſacerdotis gladium ſtringere*, inquit, *& res ſit ad bonum ſpirituale neceſſaria, coget illum Pontifex gladio ſpirituali, id eſt cenſuris Eccleſiaſticis gladium meterialem ſtringere, aut in vaginam recondere: Et ſi cenſuris non movebitur, & Eccleſiæ neceſſitas id requirat, liberabit Pontifex Subditos ab ejus obedientia, eique Imperium abrogabit. Ita oſtendet gladium eſſe ſub gladio, & utrumque gladium ad poteſtatem Eccleſiæ pertinere, quamvis non eodem modo.* Quid ad hæc ſophiſtæ excipient. Tum Eccleſiæ neceſſitatem non exegiſſe ut Epiſcopi aut Pontifex S. Ludovicum cogerent? Verùm ne ſic quidem evaderent: quia ſi hoc dogma eſt fidei Catholicæ, ut Bellarminus comminiſcitur, oportet S. Ludovicum in fidem Catholicam peccaſſe, ac de hæreſi ſuſpectum fuiſſe: continuòque in canonem Sanctorum minimè referri debuiſſe.

Cæterùm Matthæus Paris anno 1239. narrat eumdem Regem numquam pati voluiſſe ut Robertus ejus Frater Imperium ſibi à Gregorio IX. oblatum acceptaret, atque Nuncios miſiſſe ad Fredericum II. quem Gregorius IX. exautoraverat; ſicque reſpondiſſe: *Quo ſpiritu vel auſu temerario Papa tantum Principem, quo non eſt major, imò nec par inter Chriſtianos, non convictum vel confeſſum de objectis ſibi criminibus exhæredavit, & ab apice Imperiali præcipitavit? qui ſi meritis ſuis exigentibus deponendus eſſet, non niſi per generale Concilium caſſandus judicaretur: de tranſgreſſionibus ſuis non eſt hoſtibus ſuis fides adhibenda, quorum Papa dignoſcitur eſſe capitalis. Nobis adhuc inſons, imò bonus fuit vicinus, nec quid ſiniſtri vidimus de eo in fidelitate ſeculari vel fide Catholica. Scimus autem quòd Domino noſtro Jeſu Chriſto fideliter militavit, marinis & bellicis ſe periculis confidenter opponens. Tantùm Religionis in Papa non invenimus: imò qui eum debuit promoviſſe, & Deo militantem protexiſſe, eum conatus eſt abſentem confundere & nequiter ſupplantare &c. Quid ad Romanos de prodiga ſanguinis noſtri effuſione, dummodò iræ ſuæ ſatisfaceremus. Si eum per nos & alios Papa devicerit, omnes principes mundi conculcabit, ſumens cornua jactantiæ & ſuperbiam, quoniam ipſum Fredericum magnum Imperatorem contriverit. Sed ne in vacuum Papale mandatum videamur ſuſcepiſſe, licèt magis conſtet hoc ob odium Imperatoris, quàm noſtri dilectionem ab Eccleſia Romana derivaſſe, mittemus Nuncios prudentes ex nobis ad Imperatorem, qui quomodo de fide Catholica ſentiat, diligenter inquirant, nos ſuper hoc certificaturos:*

Digitized by Google

turos: Et ſi nihil niſi ſanum invenerint, cur infeſtandus eſt? ſin autem, & ipſum, imo etiam ipſum Papam, ſi malè de Deo ſenſerit, vel quemlibet mortalium uſque ad internecionem perſequemur. Adierunt igitur Francorum Nuncii ſolennes D. Imperatorem, ipſi mandata quæ à D. Papa receperunt ſeriatim nunciaturi. Quod cum audiſſet Imperator, de odii immanitate ſtupefactus, reſpondit ſe eſſe verum Catholicum, Chriſtianum, ſanè de omnibus orthodoxæ fidei articulis ſentientem: & addidit. Non placeat Domino meo Jeſu Chriſto, ut umquam recedam à fide magnificorum Patrum & Anteceſſorum. Judicet Dominus inter me & ipſum, qui me ita per orbem tam nequiter diffamavit: Et tendens manus in cœlum, lachrymis obortis ſingultando exclamavit: Deus ultionum Dominus reddat ei retributionem &c. Novit enim Deus quòd Papa in favorem mihi rebellium, præcipuè Mediolanenſium hæreticorum contra me levat calcaneum &c. Ad hæc Nuncii Regis Franciæ: *Nolit Deus ut umquam aſcendat in cor noſtrum, ut aliquem Chriſtianum ſine manifeſta cauſa impugnemus; nec nos pulſat ambitio: Credimus enim Dominum noſtrum Regem Galliæ, quem linea Regii ſanguinis provexit ad ſceptra Francorum regenda, excellentiorem eſſe aliquo Imperatore, quem ſola Electio provehit voluntaria; ſufficit Domino Comiti Roberto, fratrem eſſe tanti Regis. Et his dictis cum dilectione & gratia Imperiali receſſerunt Nuncii: & hoc pacto conatus Papalis irritus evaſit.*

Hæc Mathæus Paris ſub Gregorio IX. deinde ſub Innocentio IV. anno 1246. poſt Lugdunenſe Concilium narrat S. Ludovicum voluiſſe reconciliare Imperatorem cum Papa, atque *Dominum Papam erectâ & rejectâ cervice poſtulata Regis Franciæ refutaſſe; huncque iratum & indignabundum receſſiſſe, eò quòd humilitatem quam ſperaverat in ſervo ſervorum Dei minimè reperiſſet.* Cæterùm hoc Curiæ Romanæ ſupercilium, uſurpationes, & abuſus cenſurarum Eccleſiaſticarum anſam præbuit Ordini Nobilium, & populo Regni Franciæ, ut ſequentem proteſtationem contra Clerum Latinè & Gallicè conciperent ac evulgarent; ut idem Matthæus Paris ad annum 1247. memorat. Hìc Latina tantum exſcribam: nam magna ex parte iis quæ paulò ante ex Hincmaro Rhemenſi ad Adrianum Papam protulimus, concordant. *Quia Clericorum ſuperſtitio non attendens quòd bellis & quorumdam ſanguine ſub Carolo Magno & aliis regnum Franciæ de errore Gentilium ad fidem Catholicam ſit converſum: Primò quadam humilitate nos ſeduxit quaſi vulpes ſe nobis opponentes ex ipſorum Caſtrorum reliquiis, quæ à nobis habuerunt fundamentum, juriſdictionem ſecularium*

rium Principum ſic abſorbent, ut filii ſervorum ſecundùm ſuas leges judicent liberos & filios liberorum; quamvis ſecundùm leges priorum Triumphatorum deberent à nobis potius judicari, & per novas Conſtitutiones non deberet Anteceſſorum noſtrorum conſuetudinibus derogari: cùm nos deterioris conditionis faciant, quàm Deus etiam voluit eſſe Gentiles; cùm dixerit: Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. Nos omnes Regni Majores attento animo percipientes, quòd regnum non per jus ſcriptum, nec per Clericorum arrogantiam, ſed per ſudores bellicos fuerit acquiſitum: præſenti decreto omnium juramento ſtatuimus & ſancimus, ut nullus Clericus vel laicus alium de cætero trahat in cauſam coram ordinario judice vel Delegato Eccleſiæ, niſi ſuper hæreſi, matrimonio, vel uſuris: amiſſione omnium bonorum ſuorum, & unius membri mutilatione tranſgreſſoribus imminente: certis à nobis ſuper hoc executoribus deputatis; ut ſic juriſdictio noſtra reſuſcitata reſpiret; & ſi hactenus ex noſtra depauperatione ditati reducantur ad ſtatum Eccleſiæ primitivæ, & in contemplatione viventes, nobis ſicut decet activam vitam ducentibus oſtendant miracula quæ à ſæculo receſſerunt. Verùm executores hujus proteſtationis erant Dux Burgundiæ, & Britanniæ, Comes Engoliſmenſis & S. Pauli, ut claret ex proteſtatione Gallica, quæ hoc amplius habet, nimirum, *quòd ſi aliquis hac confœderatione comprehenſus injuſtè à Clero excommunicaretur, nihilominus jure ſuo non cedet, niſi ex conſenſu memoratorum executorum &c.* Porrò Dux Britanniæ, cujus hîc extat mentio, vim injuſtarum cenſurarum paſſus erat, ut ſuprà notavimus ex hiſtoria Domini Joinvillæi, Matthæus Paris obſervat quamprimùm Innocentius IV. hæc reſcivit, *ingemuiſſe ſpiritu perturbato, ac tentaſſe emollire corda, & conſtantiam enervare illorum Magnatum & Nobilium, præmiſſâ admonitione, eos minis perterruiſſe; nec ſic prævaluiſſe: ac tandem multis illorum conſanguineis, & ipſis Nobilibus multa beneficia Eccleſiaſtica, & licentiam plura obtinendi contuliſſe, cum multis indulgentiis, nec non Nobilibus plura donativa; & ſic multos eorum à prædicta præſumptione revocaſſe &c.* Quibus ex verbis Matthæi Pariſienſis claret quantis ſe artibus Curia Romana adverſùs tempeſtatem imminentem muniat: Sed nondum completa erat menſura abuſuum & corruptelarum, ut hæ proteſtationes aliquem ſortirentur effectum.

V. Verùm quando Acta trium Ordinum Regni Franciæ ſub Philippo Pulchro & Bonifacio VIII. in omnium ore & manibus verſantur, & paſſim à Cardinali Perronio in ſua ſuaſione ad tertium Ordinem

Digitized by Google

nem laudantur, ea prætermittemus ut de Clementis V. Extravagante, *Cap. meruit de majoritate & obedientia dicam: quâ quidem declarat Conſtitutionem Bonifacii, unam Sanctam: nullum præjudicium facere Regno Franciæ, & Gallos eodem jure, quo ante Bonifacii Extravagantem uſuros.* Si quidem Caput *Meruit*, intelligi debet ad Gallorum, non ad Curialium mentem; quia Galli à Clemente V. petebant ut declarationem ſuper Decretali Bonifacii *Unam Sanctam*, ederet; certumque eſt neminem ex jure quod ſibi in aliquem vendicat, poſſe ullum acquirere titulum, niſi ille in quem poteſtatem ſibi attribuit, imperata ſuſcipiat & exequatur. Cùm igitur majores noſtri Galli, neque antè, neque poſt Bonifacium VIII. directam aut indirectam poteſtatem Papæ in abdicandis regibus agnoverint, aut Imperatis Curiæ Romanæ in hac re obtemperarint, ſed ſemper animosè obſtiterint; certè relinquitur Cardinales Perronium, Bellarminum, Becanum, Suarem, & alios fruſtrà eſſe, ut perſuadeant Papam habere poteſtatem temporalem in Reges Franciæ. Hinc quoque inſurgit adverſùs Cardinalem Perronium, quæſtionem de poteſtate Papæ in abdicandis Regibus non eſſe probabilem in Franciæ regno: quando certiſſimum eſt Gallos partem affirmativam tanquam ſacræ Scripturæ præxique Eccleſiæ primitivæ contrariam jugiter damnaſſe; ſed præſertim poſt Bonifacii VIII. Extravagantem, contra quam pro Philippo Pulchro quatuor doctiſſima opuſcula edita ſunt, quorum primum inſcribitur: *Dialogus inter Clericum & militem:* qui dehinc ſub Carolo V. Rege Franciæ à quodam viro ampliatus, & ſub nomine ſomnii viridarii vulgatus eſt. Alterum opuſculum inſcribitur: *Quæſtio de Poteſtate Papæ*, cujus initium eſt: *Rex pacificus Salomon &c.* Magiſter Joannes Surdi cognomento de Pariſiis, Dominicanus, auctor eſt tertii Tractatus, quem inſcripſit, *De Poteſtate Regia & Papali.* De quo pluribus infrà lib. 3. cap 3. Ægidius Romanus Archiepiſcopus Bituricenſis quartum lucubravit opuſculum.

Hìc Gallorum geſta adversùs Benedictum XIII. ejuſque Legatos ſilentio comprimam, ne adverſarii, quorum ſcripta argutulis cavillationibus ſcatent, reſpondeant illa in ſchiſmate & ſub Papa dubio confecta; ac proinde nullius eſſe ponderis: quamquam contrà acutè & verè rependi poſſit Gallos Benedictum pro vero atque indubitato Papa habuiſſe; neque illum ut Papam dubium deſeruiſſe: ſed quoniam adversùs proprium ſacramentum paci atque unitati Eccleſiæ officeret: cujus ſarciendæ causâ Papa etiam certiſſimus atque

indu-

Digitized by Google

indubitatus deponi poteſt; quoniam unitas & pax Eccleſiæ eſt finis omnium Legum, &c.

Hæc eadem Eccleſiæ Gallicanæ praxis & poſſeſſio ſub Ludovico XII. & Julio II. continuavit: quo tempore & Almainus, & Joannes Major Doctores Pariſienſes quæſtionem juris enuclearunt, ac Romanum Pontificem nullum omnino jus habere ad Reges abdicandos docuerunt: de quorum ſententia pluribus infrà Libro 3.

Anno 1561. Magiſter Joannes Tanquarellus Burſarius Collegii Harcuriani, & Baccalaureus Facultatis Pariſienſis hanc conjecit propoſitionem in Theſes Actus Theologici, quem Majorem Ordinariam vocant: Nimirum, *Eccleſia cujus ſolus Papa Chriſti Vicarius Monarcha, ſpiritualem & ſæcularem habens poteſtatem, omnes fideles ſubjectos continens, Principes ſuis præceptis rebelles regno & dignitatibus privare poteſt, nec ſuam hæreſim occultam alteri revelare tenetur.* Quocirca eodem anno die 12 Decembris Tanquarellus palinodiam canere, ac ſe inconſideratè & temerè memoratam propoſitionem aſſeruiſſe, publicè profiteri, ejuſque criminis culpam & veniam tum à Rege cùm à Parlamento humillimè deprecari coactus eſt. Inſuper etiam curia Parlamenti per Dominum Chriſtophorum Thuanum primum Præſidem declaravit doctrinam, quam Tanquarellus velut probabilem aſſeruiſſe cauſabatur, jam pridem damnatam in Galliis, neque ab exceſſu Bonifacii VIII. cuiquam amplius licitum partem affirmantem tueri. Porrò Arreſtum hoc adverſùs Tanquarellum, unum eſt ex illis quæ Triumviris Regiis poſtulantibus renovata ſunt in Parlamento die 2 Januarii 1615. contra problematicas ſuaſiones Cardinalis Perronii.

VI. Anno 1580. Hieronymus Dandinus Jeſuita Philoſophiam profitebatur Pariſiis in Collegio Jeſuitarum; tumque ejuſdem Dandini Frater Nuncius erat Apoſtolicus Gregorii XIII. deditque Provinciam Bernardino Caſtorio Jeſuitæ Italo, qui primum Ordinem Collegii Jeſuitarum moderabatur, ut Breve Apoſtolicum Gregorii XIII. evulgaret: quo quidem Brevi Papa omnibus Archiepiſcopis & Epiſcopis Franciæ imperabat, ut Bullam Cœnæ Domini pro Exemptionibus Eccleſiaſticorum à Juriſdictione Principum & Magiſtratuum politicorum promulgari curarent. Lata quoque ſententia excommunicationis in eos cujuſcumque eſſent Ordinis & qualitatis, qui obſtaculo forent, ne prædicta bulla executioni planè mandaretur: hæcque Jeſuitarum Conſilio facta eſſe nemo ambiget, qui il-

los

Digitized by Google

los in animo Gregorii XIII. regnaſſe reſçiverit. Verùm quo tempore Bernardinus Caſtorius typis efformari & edi curavit hanc Bullam, peſtilentia omnium graviſſimè ſæviebat Pariſiis; ita ut urbs penè vacua eſſet hominum: Nihilominus die 4 Octobris ejuſdem anni in Decuria vacationum arreſto Parlamenti pœnâ perduellionis cautum eſt, ne memorata Bulla Gregorii XIII. vulgaretur: atque Bernardinus Caſtorius, qui eam typis efformari & publicari curâverat, in carcerem Palatii conjectus eſt. Procul dubio hac Bullâ Cleri & Gallorum animi tentabantur ad defectionem. Nam ejus evulgatio prima fax bellorum civilium Ligæ extitit, quæ tum à Jeſuitis artificiosè fovebatur: Tandemque anno 1585. ductu & conſiliis Claudii Matthæi Provincialis Jeſuitarum edita ſunt. Cui rei peragendæ editio librorum Bellarmini de Romano Pontifice magno fuit uſui. Anno eodem; quo quidem pariter Directorium Inquiſitorum Eymerici Ordinis Dominicanorum cum novis Commentariis Franciſci Pegné de integro typis æneis efformatum eſt Romæ, cujus libri hæc ſunt fundamenta. *Primò fide Catholicâ tenendum eſſe, Papam utrumque habere gladium, temporalem ſcilicet & ſpiritualem. Secundò à Papa omnes judicari, & ipſum à nemine. Tertiò omnes tanquam impios & Eccleſiæ inimicos damnari, qui has tres Catholicas veritates vel non recipiunt, vel de illis malè ſentiunt.* Quæ principia analyticè examinabuntur lib. 4. cap. 5. Sunt enim machinæ quibus tempore civilium tumultuum Jeſuitæ atque alii Concionatores animos populi concutiebant: Tantum autem abeſt ut fide Catholicâ obligent, aut pro veritatibus Catholicis haberi debeant, cùm planè imaginaria ſint hominum obnoxiorum commenta, ut aliàs probabitur. Cæterùm quia in mentionem Bullæ Cœnæ Domini incidimus, hîc obiter dicam tres continere articulos, quibus præſertim mittendis in rem judicatam totum Franciæ regnum adversùs Henricum III. rebellavit. Primus articulus: *Quòd omnes hæretici, eorum credentes, Receptatores, Fautores, Libros hæreticorum ſcienter legentes, retinentes, imprimentes, vendentes abſque Apoſtolicæ ſedis licentia, excommunicantur.* 2. *Quòd omnes appellantes ad futurum Concilium, aut dantes favorem vel Concilium appellantibus, excommunicantur vel interdicuntur.* 3. *Quòd omnes Reges, Cancellarii, Magiſtratus politici &c. qui de cauſis etiam civilibus & temporalibus Eccleſiaſticorum cognoſcunt, vel aliquid ſtatuunt, excommunicantur aut interdicuntur.* Certè hinc quæſitus color & prætextus à Jeſuitis animos Gallorum ſollicitandi ad bellum contra Henri-

Digitized by Google

cum III. velut fautorem & protectorem hæreticorum: quandoquidem ei nominatim vertebatur crimini, quòd cum Angliæ Regina fœdus iniiſſet, atque Genevæ & Sedani protectionem ſuſcepiſſet: continuòque ſententia Bullæ Cœnæ Domini damnaretur. Præterea omnes Parlamentarii (ſic enim contemptim Romæ appellantur) tanquam Schiſmatici & fautores hæreticorum ideo ſuggillabantur, quòd de cauſis Eccleſiaſticorum cognoſcerent, atque appellantes ab abuſu aut ad futurum Concilium foverent, Bullaſque Apoſtolicas plerumque caſſas atque irritas efficerent. Profectò quoniam Jeſuitis ex propio inſtituto incumbit abſolutam Papæ Monarchiam in ſpiritualibus & temporalibus ubique Gentium figere, atque Bullam Cœnæ Domini executioni mandare, ut lib. 4. cap. 7. oſtendetur: idcirco Galli multò acriùs & periculoſiùs quàm antea pro ſua libertate & poſſeſſione vindicanda, poſtquam Jeſuitæ Collegia habuerunt in Galliis, decertarunt. Antequam enim Ludum Literarium aperuiſſent, nemo erat qui aut vellet, aut tam artificiosè poſſet Bullæ Cœnæ Domini, & Directorii Inquiſitorum placita in rem judicatam adversùs Reges & Principes mittere: hincque accidit ut Henricus III. Princeps omnium maximè Catholicus cultro monachi inclementiſſimi occubuerit; & Henricus IV. innumeris pene aſſaſſinorum inſidiis impetitus, ac tum demum mactatus fuerit. Itaque poſt Jeſuitas conſtitutos in Franciæ regno, Galliis pro ſua poſſeſſione & libertate avita certandum fuit non modò contra vim apertam, arma, & exercitus hoſtium, ſed etiam contra inſidias & attentata aſſaſſinorum. Quid memorem Gregorium XIV. anno 1591. Landrianum Nuncium in Gallias miſiſſe ut Henricum IV. abdicaret, omneſque cenſuris illaquearet, qui Henrici partes tuebantur, atque unà Sfondratum Nepotem aliquot alis equitum armaſſe, quo adversùs Henricum IV. depugnaret? Verùm ſicut Galliæ Parlamenta cenſuras Landriani abuſivas, contraque jus divinum & naturale latas declararunt, ac publicè comburi fecerunt: pariter etiam Henricus IV. equites Sfondrati Papæ Nepotuli cum reliquorum hoſtium ſuorum copiis fudit, fugavit, ſuperavit: ac tum demum poſt innumeros triumphos ex hoſtibus ſuis gloriosè relatos, ſemetipſum vicit, atque fidei & Religioni Catholicæ nomen & operam in Æde S^ti^ Dionyſii anno 1593. dedit. Quæ fidei profeſſio, ſi cauſas eſſentiales utriuſque poteſtatis expendamus, ſicut infrà dogmaticè ponderabuntur, neque jus, neque titulum regnandi Henrico Magno detulit:

Hoc

Digitized by Google

Hoc enim ad ſolam quæſtionem facti pertinet: quoniam Henricus tanquam primus & legitimus Princeps ſtirpis Regiæ, & jus & actionem Juris ad Franciæ regnum capeſcendum naturæ vi habebat, & ſolummodò regni poſſeſſionem atque exercitium Regiminis viâ facti quidam interturbabant. Cùm ego à Viro primario magnæque auctoritatis aliquando peterem, ecquidnam habuiſſent cauſæ Turonibus, ut in Bullas Gregorii XIV. tam acerbè detonarent, cum alia mitiore via illarum effectum impedire valuiſſent. Mihi reſpondit: *& illa tempora, & extraordinariam rationem procedendi Curiæ Romanæ id exegiſſe, atque olim idem factitatum adversùs Benedictum XIII. Si enim Curiales tantùm opera atque induſtria in comparanda ſibi autoritate temporali quam à Deo non habent, impendunt; eamque ob cauſam neque igni, neque armis, aut ullis aliis horrendis ſubſidiis & adjumentis parcere ſolent*, inquiebat vir ille, *quid non Regis officiarios tentare oportet, ut ſartam tectam vindicent autoritatem, & Regum majeſtatem contra mundanam ſapientiam Curiæ Romanæ? quandò hujus vigilantia & diligentia cunctos Magiſtratus politicos ſocordiæ hac in parte damnat.* Porrò dum Cardinalis Perronius menſe Januario 1615. in ſacro Regis Conſiſtorio contendebat propugnatores articuli tertii Ordinis *lac ſuxiſſe Turonicum*; non obſcurè quidem indicabat ſibi dolere Henricum IV. qui eum ex obſcuritate & difficultate domeſtica ad Regias opes & Cardinalatum evexit, cenſuris Landriani, & telis Sfondrati Nepotis Papæ atque aliorum inimicorum non occubuiſſe: Verùm tamen Henrico ſuperſtite longè alia mens & Oratio erat Perronio, ut omnes norunt. Sed ut ad rem veniamus, quidnam aliud eſt: *Lac ſuxiſſe Turonicum*, quàm poteſtatem politicam Regum noſtrorum, qualem à Deo & Majoribus accepimus, à Papæ autoritate, ſicut reverà eſt, liberam aſſerere? Enimverò Parlamentum Pariſienſe ſedens Turonibus, numquam ſe ſummo Pontifici oppoſuit, niſi quatenus fines ac terminos ſpiritualis & miniſterialis poteſtatis, quæ ab externa coactione abhorret, tranſgrediebatur; ac ſibi poteſtatem irrogandi pœnas temporales & abdicandi Reges abrogabat. Quamobrem, Patres conſcripti, Bullas Gregorii XIV. tanquam juri divino & naturali, nec non etiam praxi Eccleſiæ & poſſeſſioni avitæ Gallorum contrarias lacerari & comburi voluerunt. Quod autem Henrico Magno in vivis agente Perronium in alia omnia iviſſe memoravimus, certè illis ipſis comprobatur mandatis, quæ Perronius & Arnaldus Oſſalus à Rege habuerunt, ut cum ſummo Pontifice

 age-

agerent pro Henrici IV. abſolutione anno 1595. extantque inter Litteras Perronii editas Pariſiis anno 1623. his conceptis verbis. ET D'AUTANT QUE NOSTRE S. PERE *pourroit pretendre ſa ditte Majeſté eſtre incapable de la ſucceſſion de cette Couronne, & de l'adminiſtration du Royaume à cauſe des Interdictions, Cenſures & Excommunications jettées contre ſa perſonne par les autres Papes, & meſme par Sixte V. & ſur ce aſtreindre ſa ditte Majeſté à recevoir de lui une rehabilitation ou choſe équipollente à cela; ſa ditte Majeſté a commandé aux dits du Perron & Doſſat de s'en défendre & parer le mieux qu'ils pourront, comme de choſe contraire à la nature, qui a inveſti ſa Majeſté de cette Couronne; & aux loix du Royaume, lequel ne doit reconnoiſtre aprés Dieu nulle obeïſſance en ce qui regarde & concerne le temporel d'iceluy, qu'à ſon Roy & Souverain Prince & Seigneur. A quoy ils remontreront à ſa Sainteté que ſa Majeſté ne conſentira jamais qu'il ſoit fait breſche aucune, non plus que les Parlements du Royaume, Officiers de la Couronne, & de ſon Conſeil. Tous leſquels avec ſa ditte Majeſté hazarderont pluſtoſt leurs vies, & ſe ſoûmettront à toutes ſortes de perils, quoy qu'ils puiſſent eſtre, que de ſouffrir qu'un tel attentat ſoit fait à l'honneur & autorité Royalle de ſa Majeſté, & aux libertez & prerogatives du Royaume, leſquelles ſa Majeſté veut conſerver entieres & inviolables à ſes Succeſſeurs, telles qu'elles les a receüillies des Rois ſes Predeceſſeurs.* Summa hujus mandati eſt, lege Regiâ Regni Franciæ Reges naturâ ipsâ inveſtiri, atque in Regni poſſeſſionem non alio modo venire, quàm legitimi hæredes in bonorum paternorum poſſeſſionem mittantur, nulliſque Eccleſiæ aut Pontificum cenſuris hoc jure privari poſſe, quia gratia naturæ & gentium jura non diſturbat, ſed perficit: Hicque eſt titulus inviĉtiſſimus poſſeſſionis Regni Franciæ: cui titulo Cavillationes Perronii nihil incommodare poſſunt.

Huc pariter accurrit Arreſtum Parlamenti adversùs Joannem Caſtellum anno 1594. die 39 Decembris. Hic enim doctrinâ Neotericâ Magiſtrorum ſuorum dementatus, Henricum IV. (quaſi Rex legitimus non eſſet antequam Papa eum ad Eccleſiam admiſiſſet ac recepiſſet) nefando parricidio tollere annixus eſt. Quam Caſtelli nefariam opinionem Ordo ampliſſimus condemnavit velut ſeditioſam atque ſacris Canonibus damnatam hæreſeos, & Caſtellum quatuor equis pernicibus membratim lacerari juſſit. Ego aliquando etiam petii ab Regis Conſiliario, quidnam cauſæ habuiſſent *declarandi Caſtellum reum & convictum crimine læſæ majeſtatis divinæ atque humanæ in primo gradu?* mihi-

mihique reſpondit *iſtam ſceleratam opinionem ſacræ Scripturæ & Canonibus liquidò adverſari, qui docent Eccleſiam neque regna, neque jus regnandi cuiquam dare vel auferre poſſe, & Principes gladium habere à Deo, ut libro ſequenti probabitur.* Equidem fateor hanc formulam loquendi: *Convictus crimine læſæ majeſtatis divinæ in primo gradu*, paulò videri duriorem, neque regulis dogmaticæ Theologiæ ſatis quadrare. Et utinam illi qui Romæ hoc ampliſſimi Ordinis arreſtum contra Caſtellum cenſurâ notarunt, hac ſolùm de cauſa, quæ leviſſima eſt, non autem quia Pontifici poteſtatem Reges abdicandi & regna conferendi denegat, illud Arreſtum compunxiſſent: quod quidem unum eſt ex illis, quæ adversùs problematicas ſuaſiones Cardinalis Perronii die Januarii 1615. Senatus Pariſienſis decreto renovata & inculcata ſunt.

Anno 1595. Frater Florentinus Jacob Auguſtinenſis Baccalaureus Thelogiæ, articulo 5. ſuæ Theſis Majoris Ordinariæ, hanc propoſitionem vivam certè atque ſpirantem effigiem dogmatum, quæ tempore bellorum civilium in Concionibus ad populum & Scholis Theologiæ decantabantur concinnavit. *Huic porrò Sedi ſucceſſor in qua ſedet etiam nunc Clemens hujus nominis VIII. omnium Pontificum Maximus & ſupremus, qui cùm in terris vices Dei gerat, ab eodem eſſe ſpiritualia & temporalia non eſt ambigendum: ſpiritualem enim & temporalem in omnes habet poteſtatem, eique univerſi Cardinales, Epiſcopi, & omnis generis homines parere & obedire, & veluti membra capiti adhærere perpetuò tenentur.* Item articulo nono: *Domus Eccleſiaſtica cùm duplicis gladii habeat Poteſtatem, temporalis uſum ad bonorum defenſionem, & malorum exterminium Regibus & Magiſtratibus concedit.* Quarum Theſeum notitia cùm ad Curiam Parlamenti perveniſſet, latum eſt Senatuſconſultum, quo Frater Florentinus Jacob, die veneris 19 Julii 1595. coactus eſt in actu Sorbonico omnibus Doctoribus & Baccalaureis, innumeriſque aliis præſentibus atque audientibus Theſes prædictas recantare & ejurare; cautumque etiam ut Arreſtum in eam rem conditum annuatim in exordio diſputationum Sorbonicarum, quando leguntur Statuta, palam & publicè recitaretur: quod Arreſtum extat in Tabulario Facultatis, & unum eſt ex illis, quæ adversùs ſuaſiones Perronii inſtauratum fuit. Cæterùm bene Facultati Theologiæ ceſſit, quòd tum pro Syndico Magiſtrum Petrum Montoloneum Filium Cuſtodis Sigillorum Regiorum haberet, quando Florentinus Jacob Palinodiam publicè cecinit. Nam ſi quis alius

Digitized by Google

à Montolonco Syndicus tum extitiſſet, unà quidem cum Florentino Jacob, & forſan graviùs pœnas luiſſet extra ordinem; id que cauſam præbuit huic legi quæ in reformatione Academiæ Pariſienſis cap. *de Statutis Sacræ Facultatis Theologicæ legitur articulo* 23. *Nihil à Doctrina Chriſtiana alienum, nihil contra Patrum Orthodoxorum decreta, nihil contra Regis Regnique Gallici jura & dignitatem diſputetur aut proponatur: Si ſecus fecerint, &* Syndicus et Præses, et Respondens extra Ordinem puniantur: hanc legem voco, quia anno 1600. in ampliſſimo Ordine comprobata, & dehinc centuriatis Comitiis Academiæ Pariſienſis apud Mathurinenſes promulgata eſt.

Hercle invitus mentionem facio impii Ravaillaci, quando Patres conſcripti ejus nomen & memoriam perpetuò extinctam eſſe voluerunt Arreſto, quod in illum die vigeſimâ ſeptimâ Maji 1610. ſciverunt: Quod generis humani monſtrum ſuo execrabili parricidio excuſando prætexebat Henricum IV. expeditionem bellicam parare in Germaniam contra voluntatem Papæ, idque conformiter ad Bellarmini placita cap. 19. in Barclaium: ubi contendit politicos Principes debere ſtringere & recondere gladium ad nutum Pontificis, alioqui eſſe abdicabiles: unde nullus ambigere poteſt quin cædes Henrici, ſit effectus peſtilentis Doctrinæ quam Jeſuitæ docent: Quocirca Ordo ampliſſimus die 8 Junii ejuſdem anni librum Joannis Marianæ de Principis inſtitutione Decreto ſuo damnavit igni: oportuitque impium Ravaillacum egregiè inſtructum fuiſſe in hujuſmodi nefariis dogmatibus, ut omnes teſtantur, qui illum Patribus conſcriptis reſpondentem audierunt. Erat enim ipſo Joanne Caſtello qui Philoſophiæ ſtuduerat verſutior atque eruditior hac in re, quamquam tamen litteras neſciret. Porrò Triumviris Regiis poſtulantibus, hæc duo Senatuſconſulta ſunt etiam de integro novata die 2 Januarii 1615.

VII. Anno 1610. Bellarminus captatâ occaſione ex morte repentina Henrici Magni, atque ætatis pupillaris Ludovici Filii, librum de poteſtate ſummi Pontificis in rebus temporalibus adversùs Guillelmum Barclaium Patrem evulgavit. Quo in libro juxta placita Directorii Inquiſitorum de mandanda executioni Bulla Cœnæ Domini, aſſerit Papam donatum à Chriſto poteſtate irrogandi temporales; imò etiam capitales pœnas adversùs quoſcumque homines Chriſtianos. Unde cap 36. Barclaium graviter reprehendit, quòd dixerit Eccleſiam ſolas pœnas ſpirituales poſſe imponere. *Falſum enim eſt*, ait

Digitized by Google

ait Bellarminus, *quod Barclaius nimium ſæpe repetit, corporalem pœnam in ſolius politici Magiſtratus poteſtate poſitam eſſe, cujus contrarium praxis oſtendit, præſertim in Tribunali Sti. Officii.* Quo ex Bellarmini atque Directorii Inquiſitorum fundamento inſurgit Reges, Principes, & quaſcumque alias perſonas Regales, ut eas nuncupant, poſſe capitis damnari ab illis qui præſunt Officio Inquiſitionis, de qua re uberius infrà. Cæterùm liber Bellarmini 26 Novembris 1610. hac formâ damnatus eſt in Parlamento. *Viſo à Curia Parlamenti, Decuriis, Majore rerum Capitalium atque Edicti unâ Congregatis, Libro inſcripto, Tractatus de Poteſtate ſummi Pontificis in rebus temporalibus adverſùs Guillelmum Barclaium, edito Romæ per Bartholomæum Zanneti hoc ipſo anno* 1610. *Concluſionibus Cognitoris generalis Regis, atque omnibus ritè & maturè conſideratis, prædicta Curia omnibus & ſingulis, cujuſcumque ſint qualitatis & conditionis ſub pœna criminis læſæ majeſtatis prohibet ne recipiant, retineant, communicent aliis, edi curent, aut vanum exponant prædictum librum continentem falſam atque deteſtabilem propoſitionem, quæ tendit ad everſionem poteſtatum ſupremarum, quas Deus ordinavit atque inſtituit, & ſubditos inducit ad rebellionem contra Principes ſuos, ad excutiendum jugum obedientiæ: nec non ſimiliter ad cædem Principum, ad invaſionem Regnorum, & perturbandam tranquillitatem publicam. Item Curia imperat omnibus qui aliqua exempla prædicti Libri poſſident, aut aliquos poſſidere ſcient, ſtatim illos deferre ad judices ordinarios, ut eâ de re fiat perquiſitio, poſtulantibus ſubſtitutis Cognitoris generalis Regis, & contra reos procedatur, ſicut ratio exigit. Inſuper ſub iiſdem pœnis omnibus Doctoribus, Profeſſoribus, atque aliis quibuſcumque prohibet, ne prædictam propoſitionem directè aut indirectè tractent, diſputent, ſcribant aut doceant in ſuis ſcholis, Collegiis aut aliis locis. Item eadem Curia ſtatuit ut hoc Arreſtum mittatur ad Tribunalia Parlamento ſubdita, ibique legatur, publicetur, in acta referatur, & ad verbum obſervetur ſicut eſt conceptum. Præcipit quoque iiſdem ſubſtitutis Cognitoris generalis Regis, dent operam ut executioni mandetur; Ejuſque rei intra proximum menſem Curiam certiorem faciant. Actum in Parlamento die veneris* 26 *Novembris* 1610. *Signatum Voiſin.* En propugnatio tituli & poſſeſſionis avitæ in qua Franciæ regnum à prima ſua origine continuavit, eamque ob cauſam Triumviri Regii hoc Arreſtum etiam innovari flagitarunt die 2 Januarii 1615. Sed videamus quibus fabricis Curia Romana hanc poſſeſſionem ſub ætate pupillari Regis enixa ſit conturbare. Profectò ſtatim atque hoc conditum

Digitized by Google

tum eſt S. C. in Parlamento, conſtans fama eſt quemdam Præſidem Parlamenti, qui Curiæ Romanæ commendatione, Achillis Harlæi ætate confecti ſedem ambiebat, celerrimè exiviſſe Parlamento, perque unum Conſiliarium ſibi fiduciarium, Nuncium Apoſtolicum monuiſſe eorum quæ geſta eſſent in Parlamento; ut ſeſe Nuncius è veſtigio ad Reginam matrem conferret, atque obſtaret, quominùs Arreſtum Parlamenti obſignaretur, tranſiretque in rem judicatam: Idemque Præſes monuit pariter Brulardum Franciæ Cancellarium. Itaque Nuncius Apoſtolicus quamprimum ad Reginam convolat, interminaturque ſe confeſtim relictâ Franciâ Romam rediturum, niſi decretum Senatus abrogaretur. Quocirca die 30 Novembris Harlæus primus Præſes cum aliquot ex Collegis Præſidibus Conſiliariis Parlamenti, & Triumviris Regiis ad Regium Palatium Luparæ evocantur: ubi frequentiſſimo Principum atque virorum Nobilium conſeſſu, perlecto Senatuſconſulto Parlamenti, Cancellarius & Villæ Rex, penès quos tum ſumma erat Regiminis, narrant graviſſima tempora, quæ ſub ætate pupillari Regis bacchabantur, vix tantam ſeveritatem & rigorem Parlamenti perferre: atque Harlæum præſidem, antequam aliquid ſtatueretur, debuiſſe de hac re extraordinaria cum ſacro Conſiſtorio Regis communicare: cui Conſiſtorio idem planè eſſet ſenſus hac in re cum Parlamento. Sed ſtudium conſulendæ paci & publicæ tranquillitati aliam procedendi viam expoſcere: cæteriſque poſthabitis dandam operam, ut Regi & Regno bene eſſet cum ſummo Pontifice: idque Henrico Magno ſemper fuiſſe in votis. Porrò D. Nuncium graviter conqueri quòd decreto Parlamenti autoritas Pontificis labefactaretur, & nonnullos ex Senatorio Ordine, qui actioni Parlamenti interfuerant, dum conderetur Arreſtum, teſtificari quædam verba in illo immutata, & alia aſperiora ſubſtituta; idque certò relatum ad D. Nuncium Apoſtolicum. Verba illa erant quòd Harlæus obſignando Arreſtum adjunxiſſe diceretur illam doctrinam Bellarmini *falſam atque deteſtabilem eſſe*. Quibus auditis Harlæus rependit re verâ quidem temporum noſtrorum iniquitatem ſatis defleri non poſſe: maximè verò quòd poſt bella civilia Ligæ, & duos Franciæ Reges hac execrabili & falſa doctrinâ perfidè atque ſceleratè trucidatos, illi ipſi qui non tantum ex Chriſtiana charitate, verùm etiam ex proprio inſtituto commiſeratione ſtatus Regni Gallicani afflictiſſimi commoveri, atque malis noſtris vehementer condolere deberent, conſultò occaſionem venari

venari

nari viderentur, autoritatem & Majeſtatem Regiam ſub ætate pupillari Regis & Regentiæ matris opprimendi. Quòd ſi lege Evangelicâ cauſa viduæ atque pupillorum tantopere commendabatur, quantò magis Regis pupilli & Reginæ viduæ, in quorum ſalute & autoritate omnium ſalus periclitabatur? Fateri ſe in hoc incumbendum ſtudium, ut Regi & Regno bene ſit cum Summo Pontifice; ſed Regiâ Majeſtate ſalva; hancque eam ſemper fuiſſe mentem Henrici Magni; ac cæteris omnibus poſthabitis cunctos Principes Regii ſanguinis, Officiarios Coronæ, Duces & Pares, Nobiles atque Magiſtratus Regni iſthuc omnem ſuam induſtriam & conatus debere impendere: neque putandum Ludovicum XIII. quia pupillus eſſet, minoris eſſe autoritatis quàm parentem aut Majores ſuos, ſi modò ad legem divinam & naturalem, non ad factioſa quorumdam ſtudia attenderemus. Quotuſquiſque cenſeat Curiæ Romanæ hac infirmâ Regis ætate licitum, Pontificis autoritate ad commoda & poteſtatem ſuam ampliandam abuti; Regiam Majeſtatem ejuſmodi eſſe, ut qui eam ſemel imminui paſſus ſit, non dehinc eam facilè recuperet aut erigat: Lubenterque reſcire velle utrùm Summus Pontifex, ejuſque Officiarii quempiam Romæ perferrent, qui adversùs eam poteſtatem quam prætendit, diſputaret, aut libros evulgaret. Quòd ſi D. Nuncius tantùm operæ atque ſtudii collocat in propugnanda temporali poteſtate quam Papa ejus Magiſter non habet à Deo; profectò omnes Magiſtratus atque Officiarios Regni pudore ſuffundi debere, quòd tam ſegnes & remiſſi eſſent in aſſerenda & vindicanda majeſtate temporali quam Rex habet à Deo. Verùm, libro Cardinalis Bellarmini damnato à Curia Parlamenti, non modò bella civilia Ligæ, duoque Regum Parricidia auctorari, ſed etiam omnibus hominibus peſſimè in Regem & Regnum animatis certiſſimam præberi occaſionem nova moliendi, & cultros acuendi ad Reges confodiendos, prætextu neglectæ Religionis, aut alio quæſito à furioſis colore, ſicut nuper à Ravaillaco quæſitus aut ſuggeſtus fuerat: malum adeo grave, nefandum & intolerabile eſſe, ut neque conniventiâ, neque ſilentio ullo ſanari aut mitigari ullo modo poſſit: quoniam hæc peſtilens & deteſtabilis doctrina, calente adhuc Henrici Magni ſanguine, ſenſim altiſſimèque in hominum animos influeret, atque populum ad rebellionem prætextu tyrannidis auferendæ, aut Religionis & fidei Catholicæ tuendæ tacitè ſollicitaret. Porrò ſe ex uſu atque in vim poſſeſſionis Majorum propoſitionem libro Cardinalis Bellarmini con-

tentam, falſam atque deteſtabilem pronunciaſſe: quoniam Galli à primis exordiis Chriſtianæ Religionis in regno Franciæ, ſemper tenuiſſent poteſtatem Eccleſiaſticam purè ſpiritualem miniſterialem eſſe, ac in criminibus, non in poſſeſſionibus verſari, ut ait S. Bernardus: neque jure divino ullas poſſe civiles aut temporales imponere & exigere pœnas; eamque ob cauſam Parlamentum illos homines tanquam perduelles jugiter damnaſſe, qui Regem Franciæ Pontifici Romano directè aut indirectè ſubjici in temporalibus perhiberent: hiſque inviƈtiſſimis munimentis regnum Gallicanum à Bonifacii VIII. Julii II. & Gregorii XIII. Cenſuris atque interdiƈtis vindicatum & in hunc diem conſervatum. Porrò non eſſe poſitum in more & conſuetudine Parlamenti, ut in iis quæ ad juſtitiam ſpeƈtarent, vel aliis rebus, quibus certiſſimis regulis & placitis Majorum Parlamentum niteretur, cum ſacro Regis Conſiſtorio communicare: quoniam Reges qui Parlamentum inſtituerant, liberam ſententiæ diƈtionem Præſidibus & Conſiliariis Parlamenti reliquerant. Quod ad illos qui ad D. Nuncium retulerant quæ geſta eſſent in Parlamento, non tantùm contra proprium Sacramentum de Arcanis Parlamenti non vulgandis peccaſſe: verùm etiam ſe crimine læſæ majeſtatis induiſſe, quod Oratori & Nuncio Principis extranei hæc Arcana communicaſſent: ac proinde tanquam perduelles pleƈti debere. Tandem apoſtrophe faƈtâ ad Reginam matrem, Harlæus propter ætatem ſenilem, & pedum debilitatem (nam paucis antè diebus graviter Arthritide tentatus fuerat) ſcipione nixus, maximo cum gemitu & gravitate, quæ tantum heroëm, ejuſque anteaƈtæ vitæ rationem decebat: certè, Domina, infit, iſta doƈtrina quæ viam certiſſimam ad Regum parricidia inſtruit, jamque nobis viginti ab hinc circiter annis duos optimos Reges ſuſtulit, valde falſa atque deteſtabilis eſt, quando penitùs Euangelio & charitati quam ſuper omnia Chriſtus commendavit, contraria: atque hodierno regni ac Regentiæ tuæ ſtatui omnino infeſta eſt: quoniam juxta placita Cardinalis Bellarmini, ſicut Zacharias Papa Childericum Franciæ Regem tanquam ignavum, & regni gubernaculis minùs idoneum abdicavit: pariter, ſi hodiè Summo Pontifici videatur, & te & Regem tanquam regno gubernando minùs utiles, poteſtate regnandi abdicabit etiam invitis ſubditis: & ſi ſubditi parere recuſaverint, illos excommunicabit atque interdicet. Profeƈtò niſi hæc dogmata falſa atque deteſtabilia ſint; oportet illis contraria, quæ Reges unƈtos

Do-

Digitized by Google

Domini abdicari & occidi vetant, eſſe falſa & deteſtabilia: continuòque Jacobum Clementem, Barrerium, Caſtellum, Ravaillacum, & reliquos omnes aſſaſſinos & parricidas Regum noſtrorum, qui hanc doctrinam peſtilentem executioni mandarunt, injuſtè damnatos fuiſſe, proque bonis viris & martyribus habendos eſſe. Tum Dux Eſpernonius zelotem agebat, huicque actioni Harlæi intererat, cujus vocem hanc graviter excepit, quâ ſignificabat non licuiſſe Parlamenti Conſiliariis cum Nuncio Apoſtolico tanquam Principis extranei Oratore communicare. Nam, inquit Eſpernonius, neque Papa, neque eorum Nuncii extranei eſſe poſſunt Catholicis. Ad quæ Harlæus: Bona verba quæſo: Si quidem longè aliud eſt cum Nuncio Apoſtolico de rebus ſpiritualibus, & aliud, de temporalibus agere, magnaque eſt inter Eccleſiam & Curiam Romanam differentia: certum eſſe Nuncios Apoſtolicos rerum ſpiritualium ſatagentes debere ab omnibus Catholicis tanquam cives & domeſticos fidei excipi & coli: contrà verò pro peregrinis & extraneis haberi, quando ſe rebus temporalibus in Magiſtri ſui commodum & Regni perniciem implicant: hæcque ad Curiam, non ad Eccleſiam Romanam ſpectare: verè quidem à ſancto Bernardo pronunciatum, Pontificem, ſi utramque ſimul poteſtatem habere vellet, utramque perditurum: quoniam hæc deteſtabilis doctrina viam ad novas hæreſes & ſchiſmata muniret. Cùm Servinus Regius Advocatus peteret quinam eſſent illi Conſiliarii, qui Curiæ Parlamenti Arcana ad Nuncium detulerant, ut in eos tanquam perduelles poſtularet; Eſpernonius quaſi hoc eum aliquo modo attingeret, vehementer in Servinum excanduit. Tum nemo fuit in ſacro Regis Conſiſtorio bene de Republica Chriſtiana ſentiens, qui voce illius magni Harlæi non graviter commoveretur, eamque Oraculo & voci cycneæ compararet; propterea quòd primi Præſidis Officium brevi eſſet ejuraturus. Hìc ſingularem Thuani Præſidis actionem tacitus præterire non poſſum: Ubi enim de libro Bellarmini damnando actum eſt in Senatu, palàm dixit ſe ejuſmodi actioni intereſſe non poſſe, eò quòd Cardinalis Bellarminus unus eſſet ex illis qui præfuiſſent Inquiſitioni Romanæ, quando hiſtoria à ſe conſcripta cenſurâ compuncta eſt; quam Thuani æquanimitatem Bellarmino conſiderandam relinquo: qui quidem contra omnem juris divini, naturalis, & canonici diſpoſitionem illorum ipſorum Catholicorum libros damnat, qui nominatim contra ſuas controverſias *de abſoluta Papæ*

Monarchia aliquid lucubrarunt. Verùm quæ Harlæus in Apoſtrophe ad Reginam narravit, certiſſima ſunt. Nimirum juxta doctrinam Bellarmini & Jeſuitarum, Papam Reges minùs idoneos regnis ſuis gubernandis poſſe abdicare: hiſque Cardinalis Perronius concordat, dum perhibet Childericum depoſitum à Zacharia, quoniam minùs eſſet idoneus tuendo regno contra paganos & infideles: de qua re ſuo loco. Hinc fit ut Becanus Reges imbelles atque impotentes canibus comparet, *qui ſi minùs ad manum Paſtori, ſi languidi, inquieti, & minùs acres ſint; ſi ovibus moleſti eſſe incipiant, mox à Paſtore ſubmoventur, & ab officio repelluntur.* Pagina 130. & 131. Anglicanæ controverſiæ de qua paulò poſt: At Joannes Azorius lib. 9. cap. 5. ſuæ inſtitutionis moralis *reſpondet ab Romano Pontifice Regem auferri vel dari juſtis de cauſis, & tunc populum Romano Pontifici tanquam ſuperiori parere debere.* Cæterùm Harlæi Oratio veriſſima hilum profecit apud Cancellarium & Villæ-Regem, quibus propoſitum erat ſummam totius Regiminis ad ſeſe pertrahere, Parlamenti autoritate depreſsâ: Eoque in ſtudio Comitem Sueſſionenſem maximo ſuo & totius regni malo fautorem habebant. Illi ergo perſuadent Reginæ matri, ut cætera omnia Pontificis amicitiæ poſthabeat; in eumque finem hoc Arreſtum tanquam à Regis autoritate confectum condunt. *Habitâ ratione expoſtulationum atque ſuaſionum Epiſcopi Montiſpoluciani Nuncii SS. Patris noſtri Papæ, ob quoddam SC. Parlamenti datum die 26 Novembris contra librum inſcriptum; Tractatus de poteſtate Summi Pontificis in rebus temporalibus adversùs Guillelmum Barclaium, autore Roberto S. R. E. Cardinali Bellarmino Romæ edito à Bartholomæo Zanneti hoc anno 1610. Rex ſedens in Conſilio, cui etiam Regina ejus mater Regens aderat, cum Dominis Principibus Condæo & Comite Sueſſionenſi Regii ſanguinis Principibus, Duce Meduano, Cancellario, Duce Eſpernonio, Lavardino, & Boſco Delphino Mareſcallibus Franciæ, Admiralio, & magno Franciæ Scutifero: Decernit atque decrevit propter nonnullas bonas cauſas & conſiderationes, ut à publicatione atque executione prædicti Senatuſconſulti Parlamenti ſuperſedeatur, quoad aliter Rex ipſe ſtatuerit: hocque præſens Arreſtum dabitur Cognitori generali Regis, omnibuſque Baillivis, Seneſcallis, atque aliis Judicibus prædicto Parlamento ſubditis, quibus imperatur ut à publicatione & executione prædicti Senatuſconſulti abſtineant: quoniam ita Regi placet. Actum in Regis Conſilio Pariſiis die ultimâ Novembris 1610.*

En

Digitized by Google

En ergo exemplum Arreſti Conſiſtorii Regii, datum Nuncio Apoſtolico ſex menſibus poſt Henricum IV. interemptum: quo quidem Arreſto *non tantùm publicatio, verùm etiam executio Senatuſconſulti Parlamenti ſuſpenditur.* At Cancellarius aliud exemplum prædicti Arreſti dederat Gueſlæo Cognitori Regio, diſſimile quidem exemplo dato Nuncio Apoſtolico: quia in hoc & publicatio & executio: in illo autem ſolummodò publicatio Senatuſconſulti Parlamenti ſuſpendebatur. Quod diſcrimen ſtatim patuit, quoniam Nuncius Apoſtolicus exemplum ſibi à Cancellario datum dedit imprimendum Claudio Morellio Typographo Regio, ut illud evulgaret. Morellius autem cum ſibi timeret, clam Regium Cognitorem monuit, qui perſpectâ differentiâ utriuſque Arreſti, Harlæum Senatus Principem doli hujus certiorem reddit. Sed cùm Harlæus acriter laboraret Artritide & in lecto decumberet, omnes Decuriæ Inquiſitionum Parlamenti conſilium habent de publicè expoſtulando adversùs Cancellarium & Villæ-Regem, quod auctoritati Regiæ illuderent, atque Arreſta Sacri Conſiſtorii pro animi ſui arbitrio immutarent, & ſub ætate pupillari Regis, Majeſtatem Regiam Curiæ Romanæ oppignerarent. Cancellarius autem hujus rei certior factus per illum Præſidem Parlamenti, cujus jam ſuprà memini, Reginam matrem adiit, eique perſuadet ut Regis autoritate ſilentium Parlamento imponeret: quoniam Nuncii Apoſtolici importunitate coactus fuiſſet ſcribere in Arreſto, ut etiam executio Senatuſconſulti Parlamenti ſuſpenderetur: eò quòd aliâ ratione Nuncium placare non potuiſſet. Cæterùm hæc Cancellarii & Villæ-Regis Fabrica permagnam omnibus bonis viris, & Patriæ ſeriò amantibus ſollicitudinem, ac penè de regni negotiis certam deſperationem injecit. Nam, inquiebant, ubinam gentium aut à quibuſnam Regia autoritas & majeſtas propugnabitur, quando in ſacro Regis Conſiſtorio ab ipſo Cancellario, Curiæ Romanæ manceps addicitur? Qui tum moderatiùs de Curiæ Romanæ artibus loquebantur, eam nullum tempus ſuæ ampliandæ potentiæ opportunum umquam prætermittere, & cautè occaſionem ex imbecillitate Status regni captare; hancque peſtilentem doctrinam de poteſtate Papæ in abdicandis Regibus, tum demum occaſionem magno Schiſmati, innumeriſque malis quæ Regnorum & Eccleſiæ diviſiones ſequuntur, præbituram dictitabant. Duellius Epiſcopi Bellovacenſis Secretarius, cum ſeſe ad Nuncium Apoſtolicum unà cum Magiſtro ſuo contuliſſet, ac de libro Bellarmini cum Alexandro

 Scap-

Digitized by Google

Scappi Auditore Nuncii confabularetur, ſeque ejuſmodi doctrinam gratam habere ſimularet. Sed valde dolere diceret, quod Bellarminus ex Scholæ argutiis, & poteſtatis indirectæ diſtinctione Summo Pontifici indirectam poteſtatem in rebus temporalibus adſcriberet, cùm hoc parum dignitati & auctoritati S. S. Apoſtolicæ congruere videretur, multòque magis par eſſet Pontificem illam ſibi jure pleno & directè aſſumere. Ad hæc Scappi linguâ ſuâ vulgari Italicâ reſpondit: *Lo fara*, *Lo fara*. *Faciet*, *faciet*. Porrò Curiæ Parlamenti Arreſtum quando cauſis eſſentialibus utriuſque poteſtatis congruit, ſemper Gallorum poſſeſſionem conformiter ad articulum tertii Ordinis propagat: Licèt factioſis Curiæ Romanæ moliminibus executio impedita ſit: hoc enim ad puram quæſtionem facti pertinet, quoniam nullo jure nititur, eſtque cauſis eſſentialibus Eccleſiaſticæ & politicæ poteſtatis omnino contrarium, ut ſtatim patebit.

VIII. Anno 1612. Martinus Becanus Theologus Sodalitii Jeſuitarum librum ſeditioſiſſimum edidit inſcriptum: *Controverſia Anglicana de poteſtate Regis & Pontificis contra Lancelotum &c.* Quo in libro ſummam fecit omnium argumentorum Bellarmini adverſùs Barclaium, concluditque omnes Reges & Principes Chriſtianos eſſe debere ad manum Pontifici tanquam acres canes Paſtori: & ſi ignavi atque deſides ſint, poſſe abdicari à Pontifice &c. Qui liber cùm à permultis Doctoribus Facultatis Pariſienſis graviter exciperetur, conſtituiſſentque in ſolennibus Comitiis petere ut cenſurâ notaretur; Magiſter Joannes Fileſacus qui tum erat Syndicus, cùm vellet Cancellario Franciæ quem frequenter inviſebat, gratificari, illum commonefecit rumorum qui de libro Becani ferebantur: & niſi obviam iret, hæc maximum paritura offendiculum. Itaque primâ die Decembris 1612. in Comitiis Ordinariis Facultatis Theologiæ Pariſienſis, cùm de libro Becani cenſurâ inurendo ageretur, reſque eſſet in procinctu, idem Fileſacus retulit D. Cardinalem Banzium Italum Reginæ matris Eleemoſynarium ſibi ipſi, nec non Magiſtro Nicolao Roquenantio Decano, & Fratri Rogerio Gerardo Doctori Theologo, & Reginæ matris Confeſſario dixiſſe Reginam ſereniſſimam velle ut ſacra Facultas à cenſura contra Becanum ſuperſederet, quoniam alio medicamine huic malo facere medicinam cuperet; eamque ob rem ſcripſiſſe ad Summum Pontificem. Quibus auditis cùm permulti Doctores, atque inter alios Magiſter Antonius Fayet, Jacobus Hennequin, Hieronymus Parent, Nicolaus de

Paris

Digitized by Google

Paris &c. dicerent non facilè fidem habendam ejuſmodi relationibus, cum Reges ipſi ſuis Edictionibus Regiis fidem litteris ſuis parvo Sigillo obſignatis haberi vetent: atque Magiſter Joannes Fileſac conjiceretur auctor hujus fabricæ. Tandem memoratus Fileſac eoſdem Doctores ad Dominum Cancellarium delegandos cenſuit, ſperans illos graviter exceptum iri atque objurgari: ſed res aliter contigit quàm Fileſacus putabat. Hæc autem D. Nuncius Apoſtolicus Hubaldinus, qui in ipſa Sorbonæ vicinia habitabat quamprimùm accepit, celerrimè Romam litteras miſit, ſignificavitque niſi Becani liber Romæ cenſurâ notetur, tandem non levi & ſuſpensâ manu à Sorbonicis Doctoribus inuſtum iri; opuſque eſſe ut Romana Cenſura celeritate Sorbonicam anteverteret: idque in cauſa fuit ut aliquantò poſt Româ ſequens Cenſura allata fuerit contra librum Becani: *Cùm nuper editus fuerit Libellus ſermone latino conſcriptus, cui titulus eſt, Controverſia Anglicana, de Poteſtate Regis & Pontificis contra Lancelotum Andræam Sacellanum Regis Angliæ qui ſe Epiſcopum Elienſem vocat pro defenſione illuſtriſſimi Cardinalis Bellarmini auctore R. P. Martino Becano Societatis Jeſu Theologo & Profeſſore Ordinario. Moguntiæ ex Officina Joannis Albini anno 1612. in quo nonnulla falſa, temeraria, ſcandaloſa, & ſeditioſa reſpectivè continentur. Hac de re ad S. D. N. divina providentia Paulum V. delata, Idem S. S. præhabitâ dicti libelli matura diſcuſſione, ægre ferens pro paſtorali ſollicitudine ſua atque vigilantia ejuſmodi libros, ex quibus grave aliquod ſcandalum aliquando oriri poſſet, à viris Catholicis in lucem emitti: præfatum libellum omnino prohiberi mandavit donec corrigatur. Nos igitur Paulus Sfondratus Epiſcopus Albanenſis S. Ceciliæ, Robertus Bellarminus Sanctæ Mariæ in via, Joannes Garzia, Mellinus S. S. quatuor, Fabricius Verſellus S. Auguſtini, Frater Auguſtinus Gamalinus, Aræ cœli titulorum Preſbyteri, nec non Aloyſius Capponus S. Agathæ Diaconus, S. R. E. nuncupati Cardinales à S. D. N. Paulo divinâ providentiâ Papa V. Sanctâque Sede Apoſtolica ſuper librorum permiſſione, prohibitione, expurgatione, & impreſſione in univerſa Republica Chriſtiana ſpecialiter deputati, prædictum libellum præſenti Decreto juxta S. D. N. mandatum, quocumque idiomate ubicumque impreſſum prohibemus, & in ſecunda claſſe Judicis reponendum cenſemus; donec correctione approbatâ juxta regulas Judicis denuo imprimatur. Decernentes quòd nullus deinceps cujuſvis gradus & conditionis, ſub pœnis in ſacro Concilio Tridentino, & in indice librorum prohibitorum contentis, audeat imprimere, aut imprimi curare, vel quo-*

modo-

Digitized by Google

modocumque apud ſe retinere, aut legere præfatum libellum, & ſub eiſdem pœnis quicumque nunc illum habeant vel habuerint in futurum, Locorum Ordinariis, ſeu Inquiſitoribus, ſtatim à præſentis decreti notitia exhibere teneantur. In quorum fidem præſens decretum ſubſcriptum & munitum fuit ſigillo illuſtriſſimi & reverendiſſimi D. Cardinalis Sanctæ Ceciliæ Epiſcopi Albanenſis, die 3 Januarii 1613. P. Epiſcopus Albanenſis Cardinalis, Sanctæ Ceciliæ, Frater Paulus Picus Secretarius. At verò Nuncius Apoſtolicus Epiſcopus Politianus quamprimùm hanc cenſuram Romanam accepit, eam feſtinanter ad Reginam Matrem, & D. Cancellarium Franciæ detulit, & ſubinde miſit ad Facultatem Pariſienſem, ſuaque privatâ Syngraphâ eſt teſtificatus veram eſſe: idque totum relatum in Acta Facultatis. Hercle, ſtatim atque cenſura hæc emicuit, permulti credebant confictam Pariſiis à Nuncio Apoſtolico, ejuſque Auditore Alexandro Scappi: ſed nobis certò relatum eſt ex Italia veram & genuinam eſſe: atque Officium Sacrum Inquiſitionis, ut vocant, numquam ſolitum ſuos Conventus habere à die Natalis Domini uſque ad Feſtum Epiphaniæ; idque argumento certiſſimo eſſe illis impoſitam neceſſitatem accelerandæ hujus cenſuræ: hoc enim leviſſimo malagmate cenſuram facultatis Pariſienſis præpedire, ac prævertere volebant: cujus cenſuræ Romanæ veritatem ipſemet Becanus etiam comprobavit; quoniam librum ſuum correxit, & emendatum ad normam Romanæ Inquiſitionis eodem anno edidit Moguntiæ.

Sed pretium operæ arbitror ſummam geſtorum in Collegio Theologorum Pariſienſium, quæ ipſe vidi oculis, & propriis auribus hauſi, hîc fideliter ex proprio & genuino authographo exſcribere, quoniam inemendata ſunt edita Pariſiis eodem anno.

Anno 1613. die prima Februarii in congregatione ordinaria ſacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis Magiſter Antonius Fayet Doctor ejuſdem Facultatis retulit die lunæ 7 Januarii ſe ex decreto ejuſdem Facultatis unà cum Magiſtris Hieronymo Parent, Nicolao de Paris, & Huberto Trenchant (quem in locum Magiſtri Jacobi Hennequin ſuis Ordinariis prælectionibus occupati aſſumpſerat,) Sereniſſimam Reginam, & Dominum Cancellarium Franciæ conveniſſe: huic autem ſummatim narraſſe quæ acta fuiſſent in Congregatione ordinaria Facultatis die 1 Decembris 1612. & 2 Januarii 1613. ſuper quibuſdem nefariis propoſitionibus collectis ex libro inſcripto: Controverſia Anglicana de poteſtate Regis & Pontificis, & Magiſtrum Joannem Fileſac Syndicum atque Magiſtrum, & Fratrem Rogerium

Digitized by Google

rium Gerard Auguſtinenſem Doctorem ejuſdem Facultatis, dixiſſe Facultati Illuſtriſſimum Cardinalem Bonzium mandato Reginæ ſibi præcepiſſe, ſignificarent eidem Facultati, ut omnino abſtineret à diſcuſſione illius libri; quoniam Regina ſtatuiſſet aliâ ratione huic malo providere: Sed quoniam hoc negotium permaximi eſſet momenti, viſum fuiſſe Ordini Theologico, ut prædictus Magiſter Antonius Fayet cum tribus aliis Doctoribus ſupra memoratis Sereniſſimam Reginam, & Dominum Cancellarium adirent, eamque ob cauſam ſeſe ad illum contuliſſe; utque de re controverſa accuratiùs poſſet judicare, eidem prædictas propoſitiones cum poſtulatione & inductionibus factis, & propoſitis à Magiſtro Nicolao de Paris in Congregatione primi Decembris 1612. *& 2 Januarii* 1613. *ad hunc modum exſcriptas obtuliſſe.*

In Comitiis ſacræ Theologiæ Facultatis in aula Sorbonæ habitis more ſolito Kalendis Decembris 1612. *honorandus Magiſter Nicolaus de Paris Doctor ejuſdem Facultatis narravit, ſe nuper accepiſſe à viris piis & doctis peſſimos rumores exire inter Catholicos de quodam libello admodum nefario & ſcandaloſo, qui inſcribitur: Controverſia Anglicana de Poteſtate Regis & Pontificis &c. Auctore R. P. Martino Becano Societatis Jeſu Theologiæ Doctore & Profeſſore Ordinario. Moguntiæ in Officina Joannis Albini anno Domini* 1612. *propterea quòd hæ novæ & periculoſæ aſſertiones in ipſo continentur.*

1. Paginâ 108. *Eſt ergo quæſtio an Pontifex, qui poteſt Reges & Imperatores excommunicare, ut dictum eſt, poſſit etiam deponere, ſi id meriti ſint? Negant Auctor juramenti fidelitatis, Sacellanus, Barclaius; affirmant Catholici, & meritò &c.*

2. Pag. 115. *Poterat ergo Pontifex mandare ut Reges leproſi ſeorſim habitarent; & ſi nollent obedire, vitâ privarentur, nihil certius. Hinc colligimus Pontificem duplici titulo potuiſſe Reges privare ſuo regno; primò quia poterat eos, ſi contumaces eſſent, privare vitâ: ergo & regno: de hoc nemo dubitat &c.*

3. Pag. 120. *Plus dicam. In hac re tantum valuit conſenſus populi, etiam ſi ſupereſſet legitimus hæres cui regnum deberetur, & hoc palàm omnibus conſtaret; tamen ſi populus prætermiſſo legitimo hærede, alium delegiſſet, ille alius fuiſſet verus Rex &c.*

Ibidem. *Quæres an Pontifex propriâ autoritate Athaliam regno privaverit &c. Reſpondeo: & propriâ autoritate fecit: & tamen opus erat conſpiratione &c.* Et paulo poſt: *Subrogato novo Rege Athaliam regno ſpoliavit &c.*

Digitized by Google

4. Pag. 123. *Dices: Joiada Pontifex non ſolùm regno, ſed etiam vitâ privavit Athaliam. Ergo ſi poteſtate Pontificis id fecit, ſequitur Pontifices Veteris Teſtamenti habuiſſe poteſtatem non ſolùm deponendi, ſed etiam interficiendi Reges &c. Reſpondeo: Joiada Pontifex priùs privavit Athaliam Regno deinde vita. Itaque privavit illam Regno ut Reginam & publicam perſonam: privavit autem vitâ ut privatam perſonam, &c.*

5. Pag. 125. *Ex eodem ergo ſic argumentor; quicquid poteſtatis ac juriſdictionis permiſſum fuit Pontifici in Veteri Teſtamento, hoc etiam in novo permiſſum eſt: At in veteri permiſſum illi fuit, ut deponeret Reges, ſi id meriti eſſent: Ergo & etiam in novo permiſſum illi hoc eſt.*

6. Pag. 127. *Reges & Principes qui violaverint privilegia Monaſteriis à Pontifice conceſſa, excommunicandos, & ſuâ dignitate ac honore privandos eſſe.*

7. Pag. 130. & 131. *Tertiò quia unuſquiſque id jure facit, quod ex officio facit: At Pontifex quando deponit Reges contumaces, ex officio id facit. Ergo jure id facit &c. Quia Pontifex eſt univerſalis Paſtor Eccleſiæ, cui à Chriſto dictum eſt: paſce oves meas &c. Per Canes intelliguntur partim Reges & Imperatores &c. Igitur Canes quamdiu fidi & excitati ſunt, Paſtori ad manum eſſe debent: at ſi languidi & otioſi &c. mox à Paſtore ſubmovendi & ab officio repellendi ſunt &c. hoc dictat recta ratio.*

8. Pag. 133. *Quæres quomodo fiat hæc depoſitio? Reſpondeo: variis modis fieri poteſt. Uſitatus modus eſt hic: ut Pontifex abſolvat ſubditos à debito ſeu vinculo ſubjectionis, quo obligati ſunt ſuis Regibus &c. Et quidem poteſtatem abſolvendi accepit à Chriſto his verbis: quicquid ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Eſt autem legitima cauſa ex parte ſubditorum quando Reges vel non defendunt ſubditos à violenta incurſione hæreticorum, vel &c.*

9. Pag. 134. *Pontifex poteſt alio modo id facere, nempe per viam compenſationis, quod ſic declaro: inter Reges & eorum ſubditos eſt mutua quadam promiſſio & obligatio, &c. Si ergo Reges non præſtent fidelitatem ad quam jure obligantur, digni ſunt ut nec ſubditi præſtent ipſis fidelitatem, juxta illud: frangenti fidem, fides frangatur eidem &c. Nihil certius apud Catholicos.*

10. Pag. 136. *Igitur prima eſt, ut Rex meritus ſit depoſitionem; nam ſi meritus non eſt, deponi non debet. An autem meritus ſit, ex prudenti Doctorum ac piorum hominum judicio æſtimandum eſt &c.*

Quas propoſitiones dictus de Paris mendaciis æquè ac impoſturis exundare ſibi quidem cum bona venia facultatis videri dixit: novorum

vorum errorum ac criminum defenſionem Catholicis affingere: inducere periculoſa ſchiſmata; depravare Scripturas ſacras; atque ex interpretatione falſa & erronea Dominos temporales juribus ſuis injuſtè ſpoliare: execrabilem Regum & Principum cædem tanquam licitam & glorioſam Chriſtianis proponere; ſubindeque publicæ pacis extinctionem, proditiones horrendas, & innumeras populorum ſtrages, rebelliones ac ſeditiones varias in Regna omnia importare. Denique jus divinum & humanum penitùs evertere. Quapropter ne tam peſtilens venenorum colluvies ſit detrimento Reipublicæ Chriſtianæ, præſertim verò ne Regno huic Gallicano cauſam ſui luctus renovet, jam duobus maximis, optimis & clementiſſimis Regibus ex ipſius ſinu, uno eodemque parricidii genere funeſtiſſimo & prorſus horribili abreptis; ipſe de Paris dictæ Facultati ſupplicavit, ut quicquid ipſa de ejuſmodi propoſitionibus ſentiret, nunc quoque palàm facere dignaretur. Poſt quam quidem ſupplicationem honorandus Magiſter Joannes Fileſac etiam Doctor & Syndicus ejuſdem Facultatis dixit ſe etiam legiſſe prædictum libellum; neque alium quidem à ſe peſtilentiorem umquam viſum: tamen paucis abhinc diebus hoc mandatum habuiſſe ab illuſtriſſimo Cardinali Bonzio nomine Sereniſſimæ Reginæ, ut ſignificaret & renuntiaret omnibus honorandis Magiſtris noſtris ipſam prohibere, ne quicquam de libello iſto noſtris in Comitiis deliberaretur, niſi aliter edixerit. Quo audito præfatus de Paris petiit de omnibus & quæ ipſe propoſuit, & quæ Dominus Fileſac Syndicus reſpondit, extare monumentum perpetuum in libro ac Regiſtro Facultatis, & ſibi exemplar hodiernæ concluſionis in bonum publicum concedi. Cui petitioni univerſa Facultas annuit.

Inſuper quoque ſe (Antonium Fayet) addidiſſe Facultatem more & inſtituto Majorum conſueviſſe in rebus etiam leviſſimis, & ad diſciplinam Scholæ pertinentibus, ubi de Regis voluntate ageretur, numquam litteris parvi ſigilli, ne dum privatorum relationibus & teſtimoniis, ſed tantùm Patentibus Magno Sigillo inſtructis fidem habere. Verumtamen in teſtimonium ſui obſequii erga Regem & Reginam matrem omnem cohibuiſſe deliberationem ſuper memoratis propoſitionibus, quoad ampliùs de Reginæ voluntate liqueret: Facultatem magnopere vereri ne poſteri in controverſia ſollicitata à Becano, ſilentium aut remiſſionem ſuam in eam partem accipiant, ut arbitrentur Theologos Pariſienſes eamdem ſeditioſiſſimam do-

ctrinam approbare, & Majorum placita (quibus Regum Chriſtianiſſimorum, ut & aliorum omnium vita & ſuprema auctoritas fulcitur) damnare: quanti autem ad id publicam tranquillitatem referat, admirabili prudentiæ ipſius Domini Cancellarii relinquere. Interea ſacrum Ordinem Theologorum omnino percupere ſuam fidem atque Religionem in tutanda Majorum doctrina omnibus perſpectam atque exploratam eſſe: Dominum Cancellarium vultu maximè benevolo & humano reſpondiſſe, gratiſſimum ſe habere Facultatis ſtudium erga perſonas Regum ſuorum Chriſtianiſſimorum: ſe Ordinem Theologorum Pariſienſium, & univerſam Academiam, cui primam ſuam eruditionem acceptam referebat, ſemper magni feciſſe: Legiſſe integrum Becani libellum, & valde pernicioſum judicaſſe; non ſolùm expedire, verùm etiam pernecesſarium eſſe, tum ut poſteri cognoſcant doctrinam Facultatis ab iſta nova & periculoſa doctrina longè differentem eſſe, tum ut præſentiſſimum remedium contra illam, quando in dies gliſcit vehementiùs, reperiatur: Porrò Facultatem Theologicam prudenter feciſſe, quòd privatorum obnunciationibus & teſtimoniis, præſertim in re tanti momenti non credidiſſet: viderent ut circa horam undecimam ſe in Regia Lupara ſiſterent, quoniam eos ad Sereniſſimam Reginam intromittere, eique ſtudium Facultatis commendare vellet, ut re verâ fecit: prædictum verò Magiſtrum Antonium Fayet apud Reginam, præſente Domino Principe Condæo, Dominis Cancellario Villæregе, Illuſtriſſimo Cardinali Bonzio cum permultis aliis viris Nobilibus ſacri Conſiſtorii hanc Orationem habuiſſe: Facultatem Theologicam humillimè ſuam Majeſtatem obſecrare, diceret quid vellet, juberetque fieri de peſtilentiſſimo libro inſcripto: Controverſia Anglicana. Illuſtriſſimum Cardinalem Bonzium nomine ſuæ Majeſtatis quibuſdam Doctoribus Theologiæ privatim dixiſſe, ſuam Majeſtatem minimè gratum habere Facultatem de memorato libro ſententiam dicere: ſed ſi placeret ſuæ Majeſtati, providendum eſſe, ne poſteri ſilentium Facultatis hac in parte capiant pro conſenſu & approbatione peſtilentis doctrinæ, quæ Reges & Principes omni poteſtate & ſupremâ autoritate ſpoliat: ſubditos ad rebellionem & nefarios quoſque ad parricidia patranda ſollicitat: Tum Sereniſſimam Reginam dixiſſe unà cum Conſilio ſe de hac re acturam, ac per D. Cancellarium voluntatem ſuam Facultati Theologiæ declaturam.

Quocirca die Sabbathi 12 Januarii prædictos Magiſtros Antonium Fayet,

Digitized by Google

Fayet, Parent, de Paris & Trenchant circa horam ſecundam pomeridianam D. Cancellarium iteratò conveniſſe, ut de Sereniſſimæ Reginæ voluntate certiores fierent: Illum eis dixiſſe, Reginam, cùm antea duceret librum Becani non ita communem eſſe, ſed unum aut alterum Exemplum illius extare in Galliis, prudenter quidem eum potiùs ſilentio obrui, quàm cenſurâ notari voluiſſe, idque Domino Cardinali Bonzio ſignificaſſe. Verumtamen poſtquam exploratum habuit ejuſmodi librum in multorum hominum manibus verſari, tandem cenſuiſſe malo huic medendum eſſe, & permittendum Facultati, ut pro ſua fide, Religione, & conſcientia de eo libro, quæ viderentur, ageret: Et Decretum quod ſuper ea re faceret, in Acta Facultatis referret, ut poſteri ſimilibus occurrentibus controverſiis libros Facultatis Theologiæ conſulerent: magnopere dolendum eſſe Sacrum Theologorum Ordinem, à quo totum regnum Franciæ in rebus ad Religionem ſpectantibus pendere debet, hodie in varia divortia partium ire: Facultatem igitur paci & concordiæ ſalutari omni ſtudio invigilare debere. Ad hæc prædictum Fayet reſpondiſſe diviſionem, ſi quæ eſt inter Doctores Facultatis, non aliunde oriri, quàm ex diſſidio iſtius doctrinæ novæ & exoticæ: Interea ſcire percupere an D. Cancellarius exiſtimet Facultatem debere Majorum ſuorum placita deſerere ut paci conſulat, & velit ſibi offerri decretum Facultatis, quod ſuper hoc negotio fiet: Illum dixiſſe oportere quidem Majorum Doctrinam ſartam tectam à Facultate omni adhibitâ moderatione retineri: ac gratiſſimum eſſe, imò rogare eoſdem Magiſtros ſibi decretum quod conflaretur, adferrent; ac prætereа renuntiarent Facultati; quoties aliquid negotii emergeret, ipſum conveniret, numquam ab eo ſine conſilio & ope certa receſſuram.

Ultimò iidem Magiſtri Antonius Fayet, Hieronymus Parent, Nicolaus de Paris, & Hubertus Tranchant hanc ſuam relationem Magiſtro Petro Cottereau Apparitori Facultatis in publicis Comitiis legendam & recitandam tradiderunt, atque in Acta referri, & unà cum decreto Facultatis quod ſuper dicta relatione interveniet, ſibi dari petierunt, ut juxta mandatum ſibi factum ad D. Cancellarium omnia deferrent. In cujus rei fidem & teſtimonium præſentem relationem propriâ manu in dicta Congregatione obſignarunt die & anno ſupradictis. Subſcriptum Fayet, Parent, de Paris, Tranchant.

Verùm prædictus Fileſac Syndicus perlecto quodam exemplo Decreti Pontificii, continente cenſuram præfati libelli factam Romæ in congregatione Dominorum Cardinalium die 3 Januarii anni præſentis, eò quòd nonnulla falſa, temeraria, ſcandaloſa, & ſeditioſa reſpectivè in eo libro reperta fuiſſent: atque ad majorem rei fidem lectis etiam quibuſdam litteris teſtimonialibus Domini Roberti Epiſcopi Politiani, Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ in Galliis Nuncii, prædictam Doctorum relationem recipi & in acta referri, atque novum aliquod decretum à Facultate ſuper nefariis propoſitionibus in ipſa relatione notatis fieri impedivit: idque prohibere Dominum Franciæ Cancellarium aſſeveravit, & tanquam Syndicus, ne ſuper ea re deliberaretur interceſſit. Procul dubio cùm Fileſacus Curiæ Romanæ & quorumdam aliorum magnatum gratiam ambiret, nihil non molitus eſt, ut impediret quominùs liber Becani à Doctoribus Sorbonicis cenſurâ compungeretur. Porrò hæc relatio hiſtorica eorum quæ in Facultate Theologica, & cum D. Cancellario Franciæ geſta ſunt, vulgata eſt Pariſiis anno 1613. Deinde ad exemplum Editionis Pariſienſis etiam edita in Anglia & Germania; cujus relationis notitia cùm ad Cardinalem Rupefucadium Præſidem Ordinis Eccleſiaſtici in Conventibus trium Ordinum Regni Franciæ perveniſſet, anno Domini 1615. menſe Januario, quo adversùs articulum 3. Ordinis tumultuabatur, Fileſacum accerſivit, ab eoque petiit, utrùm hæc Relatio vera eſſet? Cui Fileſacus impudenter, & contra propriam conſcientiam, planè fictam eſſe reſpondit: Utque Ducibus partium Ordinis Eccleſiaſtici ampliùs gratificaretur, eorumque cautionem adverſùs articulum tertii Ordinis ſaltaret, quoddam fartum locorum communium quos inter legendum de juſto regimine principum collegerat cum hoc prodigioſo titulo evulgavit, quo ad libelli ſui lectionem homines procliviùs pelliceret: *De Idololatria Politica, & Legitimo Principis cultu.* Inquit. Verumtamen toto illo opuſculo nihil eſt quod menſtruoſo huic titulo reſpondeat. Cui Articuli propugnatores hoc jure opponebant, & Fileſacum acriter pungebant: ſcilicet *Fautores abſolutæ infallibilis Monarchiæ Papæ, veros eſſe Idololatras, non autem eos qui Majeſtatem abſolutam Poteſtatum Politicarum conformiter ad jus Divinum & naturale defenderent; de qua re amplius libro* 2. *&* 3.

Anno 1613. die 10 Junii. Prætoris Pariſienſis ſententiâ Liber inſcriptus. *Apologia Adolphi Schulckenii pro Cardinali Bellarmino adverſùs*

Digitized by Google

verſùs Apologiam Rogerii Winddringtonii damnatus eſt & publicè uſtulatus eſt Pariſiis in platea Graviæ. Hujus Libri auctorem eſſe Bellarminum & methodus ſcribendi, & fide digni Autores teſtantur.

Anno 1614. die 16 Junii quidam liber inſcriptus: *Franciſci Suaris Granatenſis è Societate Jeſu Doctoris Theologi Defenſio Fidei Catholicæ & Apoſtolicæ adversùs Anglicanæ ſectæ errores &c.* Damnatus atque uſtalatus eſt Arreſto Parlamenti: maximè verò quia non tantùm Summo Pontifici auctoritatem tribuit Reges abdicandi; ſed etiam docet Papam poſſe declarare, & poteſtatem facere privatim Reges occidendi, quos ſententiâ ſuâ damnavit, ut proprio loco probabitur. *Quod Arreſtum pronunciatum eſt in magna decuria Parlamenti, accerſitis & præſentibus Ignatio Armando, Carolo de Turre qui in locum Petri Cottoni abſentis venerat, Frontone Ducæo, & Jacobo Sirmundo.* Hocque cauſam præbuit deputatis tertii Ordinis Conventuum Regni Franciæ, ut articulum quem ſub incude verſamus, conderent: Eſtque unum ex illis Arreſtis quæ Triumviri Regii contra preblematicas Perronii ſuaſiones de integro innovari flagitarunt. Dictu incredibile eſt quantam ſementem prenſationum tum fecerint Jeſuitæ, ut remoram injicerent Patribus conſcriptis, eoſque ab hoc decreto cudendo averterent. Cunctos enim judices omnium Decuriarum Parlamenti per ſeſe, aut familiares amicos inviſebant, prenſabant, atque obteſtabantur Suarem non ſua ſponte, aut mandato Generalis Præpoſiti Societatis; ſed abſoluto Papæ imperio iſtud operis lucubraſſe, & ſi damnaretur à Parlamento, hoc multò plus attributurum auctoritatis memorato operi; quoniam Suares hodie omnium Theologorum Princeps & Dictator nemine refragante, haberetur. Quâ ſuaſione Cottonus privatim utebatur erga eos quos inviſebat; idque mihi quidam Judex declaravit. Profectò hic tacitus præterire non poſſum Senatoris cujuſdam pietate atque integritate celeberrimi cum quodam Jeſuita ſuper hac re colloquium: Ille enim cum Jeſuitam ea de Suare narrantem audiviſſet quæ à Colono dicta narravi. Papæ, infit, ſi omnes Regni Franciæ Magiſtratus atque Regis Officiarii tantam de retinenda ſuprema Regis autoritate quam Rex à Deo habet, ſollicitudinem gererent, quantum vos de poteſtate temporali contra jus Divinum arroganda Pontifici, ſatagitis; De vobis quidem & ſodalitio veſtro actum eſſet; quoniam ubicumque locorum vos nanciſceremur, confeſtim in fauces involaremus. An non jam plus ſatis ſævitum & Chriſtiani ſanguinis effuſum eſt viginti annorum

Digitized by Google

decurſu, quo hac infernali doctrinâ duos Reges Chriſtianiſſimos, Reipublicæ Chriſtianæ utiliſſimos amiſimus? Quid ſublatis Regibus vobis & nobis, totique regno aliud ſupereſt, quàm ut ſtatus politicus & Catholica Religio funditus in Francia pereant; atque inſtar belluarum crudeliſſimarum in nos invicem irruamus, & internecioni dedamur? Quòd ſi abſoluto Papæ imperio Suares veſter lucubravit: Ergo in vim quarti voti ad abſoluta Papæ imperia obeunda obſtringimini, quod tam ſæpè negaſtis. Quando autem Chriſtus venit in mundum, ut propriâ ſui abnegatione captivam atque oppreſſam veritatem in libertatem aſſereret; partes quidem eſſe Theologorum, præſertim Religioſorum qui ſe Socios Jeſu venditant, Chriſtum imitari, & Theologiam non ad abſolutum Pontificis imperium, aut ad cujuſquam gratiam & commodum, ſed ad inflexibilem veritatis æternæ normam profiteri: Partes Sodalium Jeſu eſſe apud ſe reputare quantum hæc execrabilis doctrina à Chriſtiana charitate & manſuetudine Chriſti abhorreret; quot & quanta ſcandala ac ſtrages populorum ederet; quando certum eſſet totam Rempublicam poſt Deum ſalute Principis contineri. Suarem quaſi in publicis licitationibus auctione factâ, videri voluiſſe omnibus aliis qui ante illum de hac ſeditioſiſſima doctrina ſcripſiſſent, palmam immunitatis præripere: quippe qui nominatim doceat Summum Pontificem poſſe hominibus impartiri facultatem Reges interimendi, quos minùs facilè abdicare poterit: hæcque omnia à Religioſis Sodalitii Jeſu ſub ætate pupillari Regis certatim peragi: quo tempore nefarii quique rebus novis ſtudere, omniaque divina atque humana jura miſcere conſueverunt: quod ejuſmodi librorum ope tantò confidentius faciunt, quòd ſceleris ſui patronos ſe Jeſuitas habere confidant. Habes, Lector, continuationem praxeos & poſſeſſionis Gallorum ab Eccleſiæ primitivæ temporibus ad noſtra uſque ſæcula ferrea: idque congruenter ad articulum quem Tertius Ordo Comitiorum regni concinnavit. Jam ſupereſt de quæſtione juris & legitimo titulo hujus poſſeſſionis ſecundùm cauſas eſſentiales utriuſque poteſtatis diſſeramus, ne forte quiſpiam cauſetur nos more adverſariorum ſolâ quæſtione facti, aut putidis Elenchis ſophiſticis muniri.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

I. *De methodo ſervanda in hoc opere, & quatuor eſſe neceſſaria ad Orthodoxam veritatem alicujus doctrinæ eliciendam & conſtituendam.*

II. *Cauſas eſſentiales politicæ poteſtatis à Deo cum Legis naturalis inſtitutione conſtitutas fuiſſe.*

III. *Cauſa formalis eſt quædam participatio Legis æternæ conſiſtens in ſuprema facultate dirigendi & cogendi temporaliter, ac Regni atque Imperii Majeſtatem efficiens, à qua nemo ambitu Reipublicæ contentus, liber & ſolutus eſt.*

IV. *Analytica Explicatio textus Apoſtoli, omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Rom. 13.

V. *Regnum Franciæ immediatè habere à Deo poteſtatem dirigendi & cogendi cives ſibi ſubditos; & continuò fide Catholicâ credendum Regem Galliæ non habere ſuperiorem in Temporalibus ſicut articulo tertii Ordinis definitur.*

VI. *Cur Apoſtolus non de ſimplici obedientia ſed de ſubjectione politicis poteſtatibus debita loquatur: Et quonam diſcrimine ſubjectio emineat ſuper obedientiam.*

VII. *Dogmatica Expoſitio textus Beati Petri; ſubjecti eſtote omni humanæ Creaturæ.*

I. VT ſequentibus libris certa ratione & via ad veritatis in dagationem procedamus, & noſtrorum atque adverſariorum argumenta evidentiùs pateant, ego ante omnia methodum à Patribus initam, ſed ab illis præſertim qui pro piùs ab ortu atque divina Eccleſiæ progenie abfuerunt, mihi in hoc opere æmulandum exiſtimo. Itaque ſicut B. Auguſtinus lib. de Unitate Eccleſiæ adversùs Donatiſtas cap. 3. ait: *audiamus: hæc dico; hæc dicis: ſed audiamus: hæc dicit Dominus. Sicut Non certè libri Dominici, quorum auctoritati utrique conſentimus, utrique credimus, utrique ſervimus. Ibi diſcutiamus cauſam noſtram.* Item cap. 5. *Hic & illa interim ſeponenda ſunt, quæ obſcurè ſunt poſita, & figurarum velaminibus involuta, & ſecundùm nos, & ſecundùm illos poſſunt interpretari. Eſt quidem acutorum hominum dijudicare atque diſcernere quis ea probabiliùs interpretetur: Sed nolumus in has ingeniorum contentiones in ea cauſa quam populus tenet, noſtram diſputationem committere.* Et aliquantò poſt: *Sed apertè veritas clamet & luceat, in obturatas aures irrumpat, diſſimulantium oculos feriat: Nemo in eis latebris quærat falſæ ſuæ ſententiæ locum; omnem conatum contradicendi confundat; omnem frontem impudentis elidat.* Idem Auguſtinus 24. *quæſt.* 1. *can. Non afferamus ſtateras doloſas, ubi appendamus quod volumus, &*

Digitized by Google

quomodo volumus pro arbitrio noſtro, dicentes hoc grave, hoc leve eſt; ſed afferamus divinam ſtateram de Scripturis ſanctis, tanquam de theſauris dominicis, & in illa quid ſit gravius, appendamus: imò non appendamus, ſed à Domino appenſa recognoſcamus, &c. Vincentius Lirinenſis divino illo Commonitorio adversùs profanas hæreſeon novitates ſtatim initio; *Sæpè, ait, magno ſtudio & ſummâ attentione perquirens à quamplurimis ſanctitate & doctrinâ præſtantibus viris quonam modo poſſim certa quadam & quaſi generali ac regulari viâ Catholicæ fidei veritatem ab hæreticæ pravitatis falſitate diſcernere; hujuſmodi ſemper reſponſum ab omnibus ferè retuli, quod ſive ego, ſive quis vellet exurgentium hæreticorum fraudes deprehendere laqueoſque vitare, & in fide ſana ſanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem ſuam Domino adjuvante deberet. Primò ſcilicet divinæ legis auctoritate; tum deinde Eccleſiæ Catholicæ traditione. Hic forſan requirat aliquis, cum ſit perfectus Scripturarum Canon, ſibique ad omnia ſatis ſuperque ſufficiat, quid opus eſt ut ei Eccleſiaſticæ intelligentiæ jungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam ſacram pro ipſa ſui altitudine non uno eodemque ſenſu univerſi accipiunt, ſed ejuſdem eloquia aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur: ut penè quot homines ſunt, tot illius ſententiæ erui poſſe videantur, &c. Aliter namque illam Novatianus; aliter Sabellius; aliter Donatus exponit: aliter Arrius, Eunomius, Macedonius: aliter Photius, Apollinaris, Priſcillianus: aliter Jovinianus, Pelagius, Cœleſtius, aliter poſtremò Neſtorius. Atqui idcircò multum neceſſe eſt propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Propheticæ & Apoſtolicæ interpretationis linea ſecundùm Eccleſiaſtici & Catholici ſenſus normam dirigatur. In ipſa item Catholica Eccleſia magnopere curandum eſt, ut id teneamus quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt: Hoc eſt etenim verè propriéque Catholicum, quod ipſa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia verè univerſaliter comprehendit: Sed hoc ita demum fit, ſi ſequamur Univerſitatem, Antiquitatem, Conſenſionem: Sequemur autem univerſitatem hoc modo, ſi hanc unam fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia. Antiquitatem verò ita; Si ab iis ſenſibus nullatenus recedamus, quos Sanctos Majores ac Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt: Conſenſionem quoque itidem, ſi in ipſa vetuſtate omnium, vel certè penè omnium Sacerdotum pariter & Magiſtrorum definitiones ſententiaſque ſectemur.*

Ex his verò certiſſimis Patrum antiquorum regulis quatuor colligimus. Primò ad aliquid dogmaticè conſtituendum, opus eſſe Ca-

none

Digitized by Google

none Scripturæ clariſſimo atque evidentiſſimo, & omnia ſeponenda quæ obſcura & figurarum velaminibus involutâ ſunt; cujuſmodi cenſentur omnes metaphoricæ & allegoricæ locutiones, atque alia ejuſmodi quæ multâ ratiocinatione, atque ingeniorum contentione opus habent, ut aliquis ſenſus probabilis inde eruatur: Quò enim plus ratiocinationis exigunt; eò & minùs juris divini ac certitudinis habent, ut aliàs docuimus. Hîc igitur illud Auguſtini eſt uſurpandum: *Non audiamus: hæc dico; hæc dicis; ſed audiatur; hæc dicit Dominus, &c.* Secundò quamquam Scripturæ autoritas ex ſeſe ſufficientiſſima ſit; tamen quia vitio hominum cauſæ ſuæ & commodis inſervire volentium ſæpe in hanc aut illam partem violenter detruditur; ideo Traditionem Eccleſiæ requiri. Traditionem Eccleſiæ Lirinenſis vocat, Patrum antiquorum conſenſum & ſententiam. Tertiò regula certiſſima ad explorandum an Traditio, atque interpretatio Scripturæ à Patribus ad nos tranſmiſſa vera & genuina ſit, eſt ut Catholica ſit, armari oportere antiquitate & conſenſione omnium, aut penè omnium Sacerdotum, atque Doctorum. Itaque hîc etiam illud ſæpe inculcandum: *Non audiamus; hæc dico; hæc dicis; ſed audiamus; hoc docet conſenſus Catholicus Patrum, qui ab ortu & divina progenie Eccleſiæ propiùs abſuerunt, nulloque alio quam veritatis aſſerendæ deſiderio ſcripſerunt, neque cauſæ atque dominatui ſuo famulari voluerunt.* Porrò ad hæc quatuor certiſſima atque evidentiſſima Patrum antiquorum principia tanquam ad regulam infallibilem, quæcumque ſum dicturus revocabo; & me demonſtraturum ſpero evidentiſſimè, articulum tertii Ordinis Canone Scripturæ clariſſimo, Catholica interpretatione Patrum, & totius Antiquitatis conſenſione univerſali roborari. Contrà verò placita Adverſariorum neque Canone ullo Scripturæ, neque Patrum antiquorum ſententiâ, & conſenſione Catholicâ; ſed puris putis argutiis, atque Sophiſticis Elenchis ab hominibus, qui jure vel injuriâ cauſæ & Dominatui ſuo patrocinari volunt, muniri. Hac autem procedam methodo; ut primùm Legis naturæ placita proponam quaſi nobis facem ad Canonem Scripturæ intelligendum, ſibique mutuam opem ferentia. Deinde verò Canonem Scripturæ adjungam. Ultimò ſequentur Patrum antiquorum Catholicæ Expoſitiones: neque mihi plus volo haberi fidei, quàm vi & perſpicuitate argumentorum juxta regulas Auguſtini, & Lirinenſis effecero: Confidoque tantam fore veritatis prærogativam, ut tanquam à tempore Gregorii VII. laboret; nihilominùs tum de-

mum falſitatem & mendacium ſuperatura, atque illos ipſos qui ſuis argutiis eam obſcurare conantur, proprio conſcientiæ teſtimonio damnatura ſit.

II. Ut igitur à genuino ovo exordiamur. Cum Deus homines corpore & animâ rationali conflari voluerit, certiſſimum & duplici vitæ generi, Temporali ſcilicet mutabili ac mortali; & ſpirituali æternæ ac immutabili eſſe obnoxios. Ex quo etiam inſurgit Deum tanquam immediatum corporis & animæ hominis conditorem, unà etiam utriuſque vitæ ac poteſtatis politicæ atque Eccleſiaſticæ opificem exiſtere. Auguſtinus tractatu in Epiſtolam ad Romanos: *Cùm conſtemus ex anima & corpore*, ait, *quamdiu in hac vita temporali ſumus, etiam rebus temporalibus ad ſubſidium degendæ hujus vitæ utamur, oportet nos ex ea parte quæ ad hanc vitam pertinet, ſubditos eſſe poteſtatibus, id eſt hominibus res humanas cum aliquo honore adminiſtrantibus. Ex illa verò parte quâ credimus Deo, & in regnum ejus vocamur, nos non oportet eſſe ſubditos cuiquam homini id ipſum in nobis evertere cupienti, quod Deus ad vitam æternam donare dignatus eſt.* Hinc ergo ex Auguſtino, de quo infrà ampliùs, exſplendeſcit Deum ratione hominis corpore & animâ rationali conſtantis duplicem inſtituiſſe poteſtatem, congruenter *ad can. Quoniam diſt.* 10. *& can. duo ſunt diſt.* 96. *& can. Principes* 23. *quæſt.* 5. Ita ut propter corpus, poteſtati temporali, & propter animam poteſtati Eccleſiaſticæ ſubditi ſimus. Verùm ſi ad modum quo hæ duæ poteſtates productæ ſunt, attendas, hoc inter utrumque intercedit diſcrimen, quòd poteſtas politica cum lege naturali immediatè inſtituta ſit à Deo, quando hominem produxit ad civilem ſocietatem, eique propterea omnia principia, ſemina & cauſas politicæ poteſtatis immediatè indidit, ut ope atque ſubſidio ejuſmodi adjumentorum & cauſarum homines ſeſe dirigerent, & adverſùm internos atque externos caſus aut impetus, coactivâ poteſtate, in qua Majeſtas Imperii tota conſiſtit, tuerentur. Itaque poteſtas politica per inductionem & conſequentiam Legis naturalis conſtituta eſt à Deo: Poteſtas autem Eccleſiaſtica, cùm omnino ſupernaturalis & divina ſit, ideo poſitivè & nominatim eſt inſtituta à Chriſto cum lege gratiæ, quia impoſſibile erat homini ſolis viribus atque adjumentis naturæ ad eam aſſurgere, aut eam conſequi & cognoſcere. Quibus accuratè ponderatis, cuique expeditum erit Franciſci Suaris argumentum depellere, qui libro 3. quem magnificè inſcripſit: *Defenſio fidei Catholicæ*, ut ignaros atque imbecilles percelleret capite 2.

& 3.

Digitized by Google

& 3. aſſerit *poteſtatem politicam, quia per legis naturalis conſequentiam conſtituta eſt, non poſſe dici immediatè conſtitutam à Deo, niſi ſecundum quid; ac proinde non tantæ autoritatis exiſtere, quàm ſi poſitivè & explicatè inſtituta eſſet à Deo, ſicut poteſtas Eccleſiaſtica.* At profectò fallit aut fallitur Suares: quoniam tota ratio unde autoritas atque immobilitas utriuſque poteſtatis fluit, petenda eſt à ſubſtantia & eſſentia ipſius rei, quæ eſt immediatè à Deo, non à modo producendi. Quandoquidem, ut præclarè docet S. Athanaſius lib. de Decretis Synodi Nicenæ Contra Arrianos ſtatim initio: *Neque Adam in ratione & differentia naturæ cæteris præſtat hominibus, quia eſt immediatè conditus à Deo.* Et quemadmodum poſt animæ rationalis creationem potentia intelligendi & volendi nihilo magis erant habituræ virtutis & acuminis, ſi eas Deus ſingulari præcepto nominatim & poſitivè inſtituiſſet, quam eo ipſo quod vi primæ creationis animæ per naturalem conſequentiam productæ ſunt: Ita poſtquam Deus hominem animal civile procreavit, eique omnia ad eam rem neceſſaria immediatè largitus eſt, tantumdem profectò virium, autoritatis atque virtutis politica poteſtas ſortitur, quàm ſi nominatim & diſtinctè aliquo præcepto, aut actione ſingulari inſtituta foret. Jam obſervavi cauſam propter quam neceſſe fuerit poteſtatem Eccleſiaſticam lege divinâ poſitivâ ſigillatim inſtitui, eſſe, quoniam hæc poteſtas quantaquanta ſupernaturalis eſt, adeò ut homini impoſſibile ſit viribus naturæ ad eam attingere. Sed negatur Suari ſupremam poteſtatem politicam non etiam poſitivè inſtitutam à Deo: ſupremam voco poteſtatem Jus meri imperii, quo Reipublicæ peſtes capitaliter puniuntur à Magiſtratibus: & poſitivè atque explicatè aſſeritur 9. Geneſeos verſu 6. *Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius.* Item 2. Jeremiæ 48. *Maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine impiorum & ſceleratorum.* Videlicet. Dicant, obſecro, an quiſquam alius à Deo vitæ & necis poteſtatem in homines inſtituere potuerit? hincque pariter fit ſatis Guillelmo Eſtio commentariis in cap. 13. ad Romanos, aſſerenti ſecularem poteſtatem eſſe mediatè à Deo per homines, qui inſtinctu Legis naturæ ſibi eos præficiunt, à quibus in commune regantur. Quod eſt verum de hoc aut illo genere Principatus, Monarchia ſcilicet, Ariſtocratia, vel Democratia: nequaquam verò de poteſtate formaliter & objectivè conſiderata, quam præcepto poſitivo immediatè à Deo inſtitutam convicimus.

Quocirca omnibus ratum & conſtitutum eſſe oportet Deum immediatum naturæ & gratiæ autorem vel cauſam efficientem utriuſque poteſtatis exiſtere; ideoque hoc inter omnes Theologos increbuit effatum Gratiani; *aut Legem Evangelicam naturæ & gentium jura non deſtruere ſed perficere.* Hercle, ſi gratia Naturam deſtrueret, Deus auctor immediatus utriuſque poteſtatis ſibi ipſi repugnaret, ut axiomate 4. Apologiæ noſtræ probavimus. Hæc autem ut planiùs cognoſcantur, lubet ſigillatim de cauſis eſſentialibus politicæ poteſtatis diſputare, quamquam illas jam enodarim axiomate 44. Apologiæ. Finalis quidem eſt pax civilis & temporalis ſecundùm virtutes morales & politicas, quibus honeſtè vivere, neminem lædere, & jus ſuum cuique tribuere ſic edocemur, ut civilis ſocietatis vincula & compagem numquam diſſuamus, ſaltem extrinſecè; quia ut regimen politicum moraliter bonum, honeſtum & laudabile ſit, ſatis eſt, modò extrinſecè regulis moralibus concordet; quoniam civili poteſtati minimè propoſitum eſt internâ & ſpirituali regulâ homines gubernare, aut internos animi motus regere & compeſcere (hoc enim perficiendum legi gratiæ relinquitur, ut Lib. 3. dicetur) ſed dumtaxat vim externam & furioſos conatus cohibere, ne cuiquam vis inferatur manu; quem in finem *Princeps gladium portat*, Rom. 13.

Cauſa materialis eſt populus, ut corpus politicum, ſeculare, & temporale perfectum conſtituit: Perfectum dico, ad diſtinctionem Societatum, Congregationum, & Collegiorum plurimorum, quæ corpus politicum cumulatè perfectum, & ſibi ſufficiens nequaquam componunt. Adjunxi inſuper illud corpus eſſe temporale & ſæculare; propterea quòd poteſtas politica corporibus & temporalibus per merum imperium abſolutè moderatur. Quàpropter Deus qui numquam deeſſe ſolet in neceſſariis, unà cum lege Naturali Territorium velut materiam & ſubjectum civilis ſocietatis hominibus impartivit: *Cælum cæli Domino: Terram autem dedit filiis hominum.* pſal. 113. & diſt. 18. can. quo jure. Hinc verò datur intelligi politicam ſocietatem eſſe velut materiam & ſubjectum remotum, in quo Eccleſia inhabitat & continetur: ſi quidem Eccleſia in Republica tanquam vectores in navi, & contentum in continente reſidet. Quare Joannes de Pariſiis cap. 4. & 5. libri de poteſtate Regia & Papali rectè aſſerit *Eccleſiam tempore poſteriorem eſſe Republicâ, aut civili ſocietate*; ſicut, *quod ſpirituale, poſterius [illegible]nimali* 1 Cor. 15. Proculdubio

dubio Eccleſia tanquam cæleſtis gemma Reipublicæ, quaſi accidens ſubſtantiæ & quædam divina proprietas ſubjecto adnaſcitur.

III. Cauſa formalis eſt ſuprema poteſtas dirigendi & cogendi per merum imperium aut gladium materialem: *quæ quidem eſt velut aliqua legis atque Ordinis divini particula ſibi ipſi ſufficiens, univerſos cives tam Eccleſiaſticos quam laicos dirigens & cogens in Ordinem publicæ pacis atque tranquillitatis retinendæ & conſtituendæ gratia.* Hæcque poteſtas ommino invariabilis atque immutabilis eſt, ſicut & omnes aliæ formæ eſſentiales, quas hanc ob cauſam Philoſophi punctis & unitatibus, quibus nihil addi aut detrahi poteſt, ſimiles eſſe perhibent. Hinc ergo tota autoritas, Juriſdictio, dignitas, atque Imperii aut regiminis politici Majeſtas eſſentialiter ac immutabiliter ſcaturit; adeò ut aliquam eſſe Rempublicam aut Principatum Regium, Ariſtocraticum, vel Domocraticum repugnet, qui hac ſupremâ poteſtate dirigendi & cogendi, intuitu quorumdam hominum ambitu regni aut Reipublicæ contentorum, careat. Profectò ſi omnes Reges, Principes, formæ Rerumpublicarum perfectæ, quotquot ſunt, fuerunt aut futuræ ſunt, interrogentur, utrùm aliquod privilegium, immunitatem, aut libertatem ullis concedere voluerint: Ita ut ſi aliquando politicis poteſtatibus parere detrectarent, jura publica & Regia verbo aut facto pervicaciter violarent, in Regum capita, aut ipſam Rempublicam conſpirarent, nullâ vi umquam aut opibus politicis in Ordinem cogi poſſent. Certiſſimum habeo omnes reſponſuros ſe numquam conceſſiſſe, aut potuiſſe ejuſmodi privilegium concedere; quia hoc perinde eſſet ac ſi Princeps aut Reſpublica juri divino & naturali, quo omnes politicæ poteſtates conſtituuntur, derogaret, ac profiteretur ſe Regem eſſe nolle Eccleſiaſticorum, quos à ſuprema poteſtate dirigendi & cogendi exemiſſet. Ampliùs addo; quod ſi aliquis Princeps, verbi gratiâ Conſtantinus, cui fabuloſam Imperii Occidentalis donationem affingunt, tale privilegium Eccleſiaſticis conceſſiſſet, nequaquam tamen obtineret: tum quia contra jus divinum & naturale, quod lege Euangelicâ abrogari non poteſt, puram putam Anarchiam inveheret in Rempublicam: tum quia *quando paris in parem nullum eſt imperium.* Conſtantinus ſucceſſores ſuos ad illud privilegium ſervandum obligare nequivit. Quod ſi Princeps totum ſuum Domanium, aut aliquam partem Domanii abſque ulla ſpe regreſſus abdicare & alienare non poteſt, quanto minùs ſe ſupremâ autoritate, & Regiâ Majeſtate exuere valet. *Quare Pru-*

den-

dentum reſponſis percrebuit, Reges numquam ſibi ligare manus, nec ullam adversùs Regiam poteſtatem decurrere præſcriptionem. Cui rei intelligendæ hæc concluſio Theologorum mirificè conducit, videlicet: *Deum non poſſe obligare creaturam ad non obediendum ſibi; quia hoc idem planè eſſet, ac ſi pro Deo haberi, & à Creaturis coli nollet:* Quod implicat contradictionem. Certè Princeps politicus, quia ſolus coactivâ poteſtate præditus, hac in re Deo ſimilis eſt: Unde ab antiquis Patribus ſecundùm Deum conſtitutus perhibetur, ut ſtatim patebit. Ad hæc autem qui animum adjunxerit, proclive videbit nihil penitùs habendum fidei exoleto privilegio Cardinalis Perronii, quod ad calcem ſuæ Suaſionis ad 3. Ordinem excudi voluit, ut demonſtraret Henrici Magni autoritate ſibi conceſſum evulgare quoſcumque libros lucubraret. Quotuſquiſque credat Henrico veniſſe umquam in mentem, homini quem ex domeſtica difficultate ad Cardinalatum evexerat, facultatem dare libros edendi, quibus & Regni & Regum Franciæ Majeſtas quaſi non divino jure, ſed hiſtoricâ tantum certitudine nixa funditus periret, atque Romano Pontifici precaria & feudataria addiceretur? Termaximus certè Orator, & qualis haberi vult Perronius, ſi docere poterit Henricum IV. talem ei Facultatem indulſiſſe, quâ Regni Franciæ Majeſtas omnino abrogaretur. Verùm quemadmodum animæ rationalis dotes, ac Facultates ab animæ ſentientis dotibus & potentiis, ſic naturâ ſecernuntur, ut diſtinctas omnino atque indifferentes habeant operationes; ita ut unæ in alias minimè invadant: Similiter hoc genus directionis & coactionis per merum imperium aut abſolutam poteſtatem à genere dirigendi & cogendi poteſtatis Eccleſiaſticæ. Et contrà, ſic diſtinctum eſt, ut formaliter alterum alteri nullo modo convenire poſſit in Lege Euangelica. Secus eſt in Lege naturali, ubi Reges erant ſacerdotes. Porrò hinc colligimus ſitum eſſe in Regum atque Magiſtratuum politicorum autoritate, armis, quibus ſunt à Deo & natura inſtructi, ſe & ſua adversùs quoſcumque etiam Pontifices aut Cardinales ſtrenuè tueri, Lege 19. Axioma noſtræ Apologiæ cum obſervationibus.

Duplex eſt efficiens cauſa civilis poteſtatis; Primaria, Deus immediatus naturæ & civilis Societatis Opifex; & Secundaria: Genus legitimum Principatus, nimirum Monarchia, Ariſtocratia, & Democratia: quatenus diverſarum Nationum populi ſibi in animum inducunt, ut ab uno vel ab Optimatibus, aut Populariter gubernentur.

Digitized by Google

nentur. Quamobrem contendo ſi has tres formas legitimas Regiminis civilis ſecundùm cauſas eſſentiales politicæ poteſtatis examinemus, ſuis quidem abſolutas eſſe numeris per Legem naturalem pridem ante Euangelium, à quo nullo modo pendent ut exerceantur: Unde continuò inſurgit legitimas & perfectas olim extitiſſe apud Lacedemonios, Macedonas, Athenienſes, Romanos, &c. Legendus Auguſtinus V. de Civitate. Joannes de Pariſiis de Poteſtate Regia & Papali cap. 19. Gerzonius de Poteſtate Eccleſiaſtica, conſideratione 12. Et Almainus de Poteſtate Eccleſiaſtica & Laica quæſt. 2. cap. 12. ſub finem. Et ita relinquitur Infideles, Apoſtatas & Hæreticos æquè Regiminis politici, quàm Chriſtianos eſſe capaces: Idque ita voluit Dominus, ut gentes univerſas & infideles ad Chriſtianam Religionem capeſcendam alliceret; & Chriſtiani quaſi oves manſuetiſſimæ ab omnibus etiam infidelibus perferrentur, adamarentur & foverentur: Sicut hodie à Turca foveri videmus.

IV. Quæ omnia Legi Euangelicæ quadrare Apoſtolus tanquam juris divini præco & promulgator docet cap. 13. ad Romanos, ubi quatuor cauſas eſſentiales politicæ poteſtatis breviter, & tanquam à priori ita demonſtrat. Πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω, &c. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: Non eſt enim poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt.* Textus Græcus ſic legit: αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι, ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τεταγμέναι εἰσὶν, &c. *Exiſtentes autem poteſtates à Deo ordinatæ ſunt: Itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit: Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt: Nam Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali: Vis autem non timere? Bonum fac, & laudem habebis ex illa.* Princeps enim Dei Miniſter eſt tibi in bonum: Si autem malum feceris, time: Non enim ſine cauſa gladium portat: Dei enim Miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit: Ideoque neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam: Ideò enim & tributa præſtabis, &c. Quod cœleſte documentum de unica & ſola poteſtate ſæculari, non autem de Eccleſiaſtica capi oportere omnes circumſtantiæ textus, natura utriuſque poteſtatis, atque univerſalis conſenſus Patrum, de quibus ſingulis hoc libro dicetur, apertè declarant. Circumſtantiæ textus ſunt quòd Apoſtolus hoc capite demonſtrare velit omnia præcepta Decalogi & Legis naturæ, cum ſubjectione politicis poteſtatibus debita ſpectare ad Legem divinam, & propterea Chriſtum illa omnia in Euangelium inſeruiſſe: Et conti-

Digitized by Google

nuò etiam ſtrictè accuratéque ſervari debere à Chriſtianis, quia pacem, concordiam, charitatem, & bonum publicum habent pro fine: Neque pariter putandum libertatem quam Lex Evangelica Chriſtianis pollicetur, homines à vinculo & obligatione politicis poteſtatibus debita abſolvere. Ideoque Paulus meminit tributorum quæ poteſtatibus ſæculi debentur. Altera circumſtantia eſt, quod tum temporis Ethnici darent opprobrio Chriſtianis ſcopum Legis Euangelicæ hunc eſſe, *ut jugum ſubjectionis politicarum poteſtatum excuterent propter Juda Galilai, & aliorum Judaorum perverſum dogma,* de quo Actorum 5. extat mentio: Quam criminationem Apoſtolus hoc eximio præcepto omnino abſtergere voluit. Et ita claret locum hunc non fuiſſe opportunum commendandæ obedientiæ, quæ Præpoſitis Eccleſiæ debetur: quia nullus Chriſtianorum ambigebat, quin eſſet monitis atque præceptis Eccleſiaſticorum obtemperandum. Tertia circumſtantia petitur à conceptis verbis Apoſtoli: Πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus, ſupereminentibus., ſuperexcellentibus:* Verbum de verbo, *ſuperhabentibus ſubdita ſit.* Nam ἐξουσία ὑπερεχοῦσα ſicut uni ſoli & ſemper poteſtati temporali convenit: Ita etiam poteſtati miniſteriali ſpirituali Eccleſiæ planè opponitur: quoniam illa gladio armata eſt ad abſolutè cogendum quæcumque imperat, & conterendos repugnantes: quare dicitur poteſtas per excellentiam, poteſtas ſupereminens, atque omnia ſuperhabens neceſſaria ad abſolutè imperandum, quod propriè eſt dominari. Contrà autem Poteſtas Eccleſiaſtica, quando jure divino in genere pœnæ & coactionis nihil habet, quod faciat præter cenſuras & excluſionem à ſacris, certè non eſt poteſtas ſupereminens aut ſublimis, ſed poteſtas diminuta, ſecundùm quid, exarmata, & planè miniſterialis: Idque in cauſa eſt ut Gerſonius libro de vita ſpirituali animæ lectione 3. aliquantò poſt initium doceat *Juriſconſultos, & Politicos contrahere Juriſdictionem ad ſolam poteſtatem coërcitivam: meritò quidem, quia nulla eſt poteſtas aut Juriſdictio ſine modica coërcitione. L. mandatum. Primo Digeſtorum titulo* 21. Unde juxta hanc notionem & genuinam poteſtatis definitionem ſequitur Poteſtatem Eccleſiaſticam æquivocè dici poteſtatem, & minùs propriè mereri appellationem Juriſdictionis quàm auctoritatem præceptorialem, quæ per diſciplinam Scholaſticam abſolutè cogit quod imperat Scholaſticis: Quod de Eccleſiaſtica Poteſtate dici nequit, ut ampliùs libro 3. patebit. Itaque nemini mi-

Digitized by Google

mirum videri debet Patres Antiquos, cùm de Poteſtate Eccleſiaſtica verba facerent, *potiùs nomine miniſterii*, *Adminiſtrationis*, *aut ſervitutis*, *quàm poteſtatis uſos:* Et docuiſſe Reges atque Imperatores ſolo Deo minores eſſe, ac Dei imaginem præ ſe ferre, quia inſtar Dei nullùs eos cogere poteſt, cùm tamen omnes mortales cogere queant. Hercle cùm Apoſtolus de Prælatis Eccleſiæ loquitur, non abſolutè illos Dei, *ſed Chriſti Miniſtros indigitat.* Quod ſi aliquando in Scripturis Dei Miniſtri vocantur abſolutè, hoc quidem ſemper capiendum eſt de poteſtate miniſteriali ſpirituali, quam ſolam Chriſtus Eccleſiæ reliquit. *Sic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* cap. 4. prioris ad Corinthios. Cæterùm Apoſtolus cap. 13. ad Romanos ſic videtur ratiocinari in prima figura.

Omnis poteſtas politica ſublimior tanquam immediatè à Deo ordinata & conſtituta ſibi ſubditam habet omnem animam, quoad directionem & coactionem per vim externam & merum Imperium.

Sed omnis Principatus Monarchicus, Ariſtocraticus, aut Democraticus eſt poteſtas politica ſublimior formaliter & objectivè, à Deo immediatè ordinata & conſtituta.

Igitur omnis Principatus Monarchicus, Ariſtocraticus aut Democraticus ſibi ſubditam habet omnem animam quo ad directionem & coactionem per vim externam, & merum Imperium.

Porrò Bellarminus, ut nodum hunc Gordianum diſſolvat, contendit Apoſtolum præcipere obediendum pariter Eccleſiæ Prælatis, & conſequenter hoc ejus præceptum proportionatim & reſpectivè capi oportere de utraque poteſtate, & priùs quidem ac eminenter de Eccleſiaſtica. Quod licèt falſum ſit, attamen id ultrò & gratis concedo, atque hunc textum etiam ita detortum nullo modo vim & robur argumenti infringere. Hoc alio Syllogiſmo in prima figura demonſtro.

Omnis poteſtas ſublimior tanquam immediatè à Deo ordinata & conſtituta, ſibi ſubditam habet omnem animam quoad directionem & coactionem.

Sed omnis poteſtas politica quocumque modo exiſtat & exerceatur, Monarchicè nimirum, Ariſtocraticè, aut Democraticè, eſt poteſtas ſublimior immediatè à Deo ordinata & conſtituta.

Igitur omnis poteſtas politica ſive Monarchicè, Ariſtocraticè, aut Demôcraticè exerceatur & exiſtat, ſibi ſubditam habet omnem animam quoad directionem & coactionem.

Digitized by Google

Major Propoſitio hujus Syllogiſmi de omni genere poteſtatis tum Eccleſiaſticæ cùm Politicæ, ſervata proportione cauſarum eſſentialium utriuſque poteſtatis, concludit & continenter indicat utramque poteſtatem formaliter conſideratam immediatè, addam & poſitivè, inſtitutam eſſe à Deo, ut ſuprà docui contra Suarem.

Minor quoque propoſitio univerſim ſtatuit de omni genere legitimæ poteſtatis politicæ in rerum natura exiſtentis: quæ legitimæ poteſtates ſunt Monarchia, Ariſtocratia, & Democratia; hiſque conceptis verbis ab Apoſtolo deſignantur: *Exiſtentes autem poteſtates à Deo ordinatæ ſunt: Itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit: Qui autem reſiſtunt ipſi, ſibi damnationem acquirunt, &c.*

Hæc autem ut accuratius cognoſcantur, Analyſim textus Apoſtoli ad quinque articulos revocabo. In primo autem hìc non aliquod jus novum Lege Euangelicâ introductum, ut fingit Perronius, ſed vetuſtiſſimum cum ipſa hominis creatione, & Legis naturalis inſtitutione immediatè conditum à Deo nobis reſerat Apoſtolus oſtendens, ut jam paulò antè dixi, Legem naturalem inſitam in Euangelium: quandoquidem ſcripta Apoſtolorum ſunt juris & voluntatis divinæ interpretationes & declarationes; adeò ut Paulus hoc loco Chriſti oraculum evolvat, quo Dominus jubet *ut quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ Dei, Deo reddamus*, Matth. 22. Quod jus politicum ſic declaratum, ſempiternæ, invariabilis, & inabdicabilis eſt veritatis, ſicut hæc ſolemnia verba declarant: *Ideòque neceſſitate ſubditi eſtote, nec ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Hinc enim inſurgit univerſos homines qui in civili Societate, Republica, aut aliquo Principatu legitimo vitam degunt, ipſius naturæ inſtinctu, propenſione, regulâ, & vinculo propriæ conſcientiæ, ſeu dictamine rectæ rationis obligari ad imperata politica facienda, modo Legi divinæ & naturali non diſcordent: quo in caſu minimè obligant, quoniam adverſantur divinæ voluntati, quæ cauſa eſt efficiens & exemplaris omnium obligationum humanarum. Conſule 3. & 4. Axioma noſtræ Apologiæ. En igitur Lex æterna atque invariabilis conſcientiæ, Catholica, de omni per ſe primo, ut Philoſophi loquuntur, quæque ipſis hominibus innaſcitur: tamdiuque quamdiu humanum genus continuabit.

Secundò Apoſtolus decernit de politicis poteſtatibus tum formaliter cùm materialiter, hoc eſt quoad eſſentiam & exiſtentiam, objectivè & ſubjectivè, in abſtracto & concreto. Priori quidem modo his con-

Digitized by Google

conceptis verbis: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas niſi à Deo, &c.* Quamobrem hoc ſenſu nemo inficias ibit politicas poteſtates immediatè à Deo exiſtere, & conſequenter penitùs eſſe invariabiles formaliter, quia ſunt tanquam perennis rivus, radius, & quædam particula atque communicatio Ordinis ac Legis æternæ: à cujus Legis æternæ participatione & aſſimilatione omnis cauſa obligandi proficiſcitur: quoniam impoſſibile eſt quempiam vel à Principe politico, vel ab Eccleſiæ Prælatis obligari, niſi priùs lege & voluntate divinâ vinciatur: quæ ratio obligandi inde exſurgit; quòd Lex humana vel Eccleſiaſtica aliquam Legis atque Ordinis divini imaginem & ſimilitudinem referat: Referre autem cenſetur quoties Legi Divinæ & Naturali congruit. Jam transeo ad politicam poteſtatem materialiter, & quoad exiſtentiam aut exercitium, quæ ſic ab Apoſtolo deſcribitur: *Exiſtentes autem poteſtates à Deo ordinatæ ſunt, &c. Nam Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali &c.* Quæ clauſula nos clariſſimè docet omnes iſtas & legitimas Reipublicæ aut politicæ gubernationis formas, ſicut & Principes ac Magiſtratus qui eis moderantur ſuam ordinationem & poteſtatem à Deo repetere: quod enim dat formam, pariter quoque ea dat quæ formam conſequuntur. Profectò. Fruſtrà eſſent politicæ poteſtates formaliter & objectivè, niſi aliqui Principes & Magiſtratus exiſterent, qui eas de facto ad regendum capeſcerent. Quamobrem S. Thomas infrà exhibendus nominatim prohibet Regiam & quamcumque aliam politicam poteſtatem duobus modis eſſe à Deo. Primò quantum ad ipſius poteſtatis inſtitutionem & eſſentiam. Secundò quantum ad exiſtentiam, & modum eam legitimè nimirum hæreditario aut electivo jure adipiſcendi: qua in ſententia hæret quoque Bellarminus, ut infrà probabitur. Enimverò ſicut Eccleſia jus habet immediatè à Deo ſibi paſtores cooptandi, qui dicuntur eſſe à Deo propter poteſtatem divinitus inſtitutam, quæ per Sacras electiones ordinariè confertur & propagatur: ſimiliter civilis ſocietas cum immediate habeat à Deo poteſtatem ſeſe regendi, atque occidendi rebelles; profectò jure divino Naturali ſibi Monarchicum, Ariſtocraticum, aut Democraticum cooptat Principatum, qui Principatus formaliter, objectivè & immediatè eſt à Deo: materialiter autem, & quoad exercitium, quamquam poteſtas huic aut illi Principi hominum inſtitutis deferatur & propagetur; nihilominùs quia hoc fit per Legis Divinæ & naturalis conſequen-

Digitized by Google

tiam atque inductionem; ideo Princeps quoque dicitur eſſe à Deo, teſte Apoſtolo. *Princeps enim Dei miniſter eſt, ſicut & Papa Chriſti: ideoque omnes neceſſitate ſubditi ſumus Principi exiſtenti.* Quæ ratio ampliſſimum Ordinem impulit, ut in Arreſto adverſus Joannem Caſtellum decerneret iſtum crimine læſæ Majeſtatis divinæ atque humanæ in primo gradu reum; eò quòd Caſtellus poteſtatem legitimè conſtitutam & exiſtentem occidere anniteretur. De qua re jam dixi libro priore. Verùm quo tempore Apoſtolus hæc ſcribebat, Nero generis humani monſtrum & tyrannorum omnium crudeliſſimum, urbem incendiis, ſenatum cædibus, & Chriſtianam Religionem immaniſſimis perſecutionibus ac ſuppliciis populabatur: cui tamen tanquam legitimo principi à Deo ordinato parendum in politicis mandat Apoſtolus: ſicque omnem cavillandi occaſionem æquivocationum Magiſtris præripit. Sicut & Sanctus Auguſtinus Commentariis in Pſalmum 124. *Aliquando*, ait, *injuſti perveniunt ad honores ſæculi, cùm pervenerint & facti fuerint Judices vel Reges; quia hoc facit Deus propter diſciplinam populi ſui, non poteſt fieri, niſi ut exhibeatur illis honos debitus poteſtati.* Quæ verba: *Ut exhibeatur illis honos debitus poteſtati.* Omnia genera temporalis atque civilis obſequii complectuntur.

Tertiò Apoſtolus docet politicas poteſtates duplici à Deo inſtructas facultate: alterâ dirigendi, alterâ cogendi: *Neceſſitate ſubditi eſtote non ſolùm propter iram; ſed etiam propter conſcientiam: Princeps non ſine cauſa gladium portat: Dei enim miniſter eſt, vindex in iram &c.* Quæ clauſula ſummam totius controverſiæ exhibet; quoniam cauſa formalis politicæ poteſtatis tota in hac poteſtate dirigendi & cogendi conſiſtit: unde poteſtas cogendi eſt tanquam effectus neceſſariò ſequens & concomitans poteſtatem dirigendi. Quocirca omnes Philoſophi, Theologi, & Juriſconſulti docent nullam dari poteſtatem directivam aut Legiſlativam, quæ autoritate coactivâ ſibi proportionatim reſpondente orbetur Ariſtoteles cap. ultimo libri 10. Nicomachiorum. S. Thomas 1. 2. quæſtione 69. Articulo 5. Juriſconſulti jam ſuprà laudati. L. Mandatum. tit. 21. Libri primi Digeſtorum. Cauſa autem propter quam nulla detur poteſtas directiva abſque externa coactione inde ducitur, quòd poſt lapſum primi parentis, cupiditas & libido adverſùs rectam rationem ſic bacchari inceperint, ut abſque coactione vis & facultas dirigendi prorſus inutilis & exarmata foret: quando nullus hominum laicus aut Eccleſiaſticus ſponte & conſtanter

Digitized by Google

ter bonum agit, ſaltem ſi de generibus ſingulorum agatur: Ideoque coactio pernecceſſaria eſt. Cæterùm jam me obſervaſſe memini clauſulam hanc: *propter conſcientiam.* Omnem cauſam & rationem dirigendi, aut legem atque dictamen conſcientiæ & rectæ rationis ſignificare, quo quidem naturæ ductu & propenſione impellimur, vel potiùs ſuaviter ad politica imperata Principum facienda & implenda allicimur: Idque eſt vinculum atque obligatio jure divino & naturali introducta, quæ baptiſatos & Sacerdotali Ordine donatos æqualiter cum Gentilibus & Laicis devincit: quique huic legi ſponte non obſequuntur, atque Ordinem politicum reſtitando turbant, coactivâ poteſtate tanquam Legi Dei repugnantes conteri debent. Quòd ſi Eccleſia neminem à nominibus civiliter contractis, quantò minùs ſubditos alicui Principi & Regi poteſt à conſcientiæ & Legis naturalis vinculo abſolvere? Cum ipſo Bellarmino Duce partium autore lib. 5. de Romano Pontifice cap. 3. *Evangelium neminem jure ſuo atque Dominio naturali privet, quia gratia non deſtruit, ſed perficit naturam.*

Cùm ergo Franciæ Rex lege divinâ & naturali in me antequam eſſem Presbyter, jus habuerit directionis & coactionis per merum imperium, nihil cauſæ video cur illud perdat eo ipſo quod factus ſum Sacerdos. Ego hîc coram Deo proteſtor, ut jam aliàs dixi, me animo meo & Legi conſcientiæ ſæpius vim facere voluiſſe, ut tum argumentis adverſariorum, tum aliis quæ poſſem commentari, mihi perſuaderem in vim atque ob privilegium ſacerdotii mei, me uni & ſoli Papæ conformiter ad bullam Cœnæ Domini; nequaquam autem Principi & Magiſtratui politico jure divino & naturali ſubditum eſſe: Sed Legem conſcientiæ, de qua hîc diſputat Apoſtolus, tam peſtilenti Anarchiæ jugiter reclamaſſe atque obſtitiſſe: meque ut hæc ſcriberem contra eos qui veritatem in injuſtitia oppreſſam detinent, induxiſſe. Demum Coactiva poteſtas his conceptis verbis conſecratur: *Princeps non ſine cauſa gladium portat: Dei enim Miniſter eſt vindex in iram ei qui malum agit &c.* Si quidem τὸ *gladium portat:* & τὸ *vindex in iram &c.* Demonſtrant poteſtatem abſolutè cogendi per merum imperium, atque unum & ſolum Principem Politicum Dominium, ut uſum materialis gladii poſſidere: Contra quàm Bellarmino, ejuſque aſſeclis placet, qui poſt Bonifacium VIII. Dominium; imò verò uſum gladii materialis Pontifici Romano contra cauſas eſſentiales Poteſtatis Eccleſiaſticæ adſcribunt, ut ſuo loco fuſiùs

ſiùs diſputabitur. Porrò ſummam totius Juriſdictionis & Majeſtatis Regni aut Imperii à poteſtate coactiva pendere, me ſuprà ſufficienter demonſtraſſe arbitror. Hincque relinquitur Bellarminum lib. 1. de Clericis cap. 28. fruſtrà obtendere Eccleſiaſticos ſolis directivis Legibus politicorum Principum ſolâ vi rectæ rationis & Legis conſcientiæ abſque ulla coactione teneri, neque poteſtati coërcitivæ ullo modo eſſe obnoxios. Quaſi verò Eccleſiaſtici adeptione Sacerdotii immunes naturæ corporeæ atque impeccabiles redderentur, ac ſtatum innocentiæ conſequerentur, civeſque & ſubditi Principum eſſe deſinerent, quod eſt impoſſibile. Jam dixi, eſtque ſæpiùs iterandum coactionem neceſſariò directionem politicam, velut effectus cauſam phyſicam ſequi. Quando igitur Imperata politica Principum infidelium, apoſtatarum, vel hæreticorum, aut excommunicatorum neque Divinæ, neque Legi naturali repugnant, conſurgit non modò propter iram, ſed etiam propter conſcientiam eſſe neceſſariò ab omnibus ſubditis implenda, niſi fortè poteſtati à Deo ordinatæ reſiſtere, nobiſque ipſis damnationem æternam acquirere & publicam tranquillitatem conturbare velimus.

V. Quartò Verba Apoſtoli perſpicuè indicant ſupremam poteſtatem dirigendi & cogendi omnium Principatuum, Monarchiæ videlicet, Ariſtocratiæ & Democratiæ, atque conſequenter Regni Franciæ immediatè à Deo inſtitutam eſſe. Quo igitur modo Cardinalis Perronius tueri poterit ſolâ hiſtoricâ & humanâ certitudine Regem Franciæ nullum ſupra ſe ſuperiorem in Temporalibus agnoſcere? Etſi enim non ſit de fide Henricum, Ludovicum, aut Carolum eſſe Regem; & Paulum, Clementem, aut Leonem eſſe Papam: attamen eſt de fide politicam atque Eccleſiaſticam poteſtatem formaliter & quoad inſtitutionem ac eſſentiam eſſe immediatè, dicam & poſitivè inſtitutam à Deo, quocumque modo exiſtat, aut Regio, Ariſtocratico, aut Democratico principatu exerceatur, etiam in Papa, Epiſcopo, aut Presbytero. Nam ſicut Dominus noſter regenerando Eccleſiam ad vitam æternam, poteſtatem ad id neceſſariam immediatè & per ſe inſtituit: pariter quoque Deus creando hominem, ut vitam in civili ſocietate tranſigeret, unà quoque hominibus Imperii atque Principatus Majeſtatem, ideſt ſupremam poteſtatem dirigendi & cogendi per merum imperium conceſſit. Quamobrem ſicut Eccleſia jus habet ſibi eligendi Papam & Paſtores neceſſarios, qui propter poteſtatem divinitus inſtitutam dicuntur eſſe à Deo: ita civilis

So-

Digitized by Google

Societas ſibi Monarchicum, Ariſtocraticum, aut Domocraticum Principatum cooptare poteſt; qui quidem quoad primam poteſtatis inſtitutionem formaliter eſt immediatè à Deo. Deinde hominum conſenſu, id eſt jure electionis aut hæreditatis propagatur, huicque, aut illi Principi defertur. Hercle ad hanc definiendam controverſiam, ut os occluderetur Adverſariis, divino non humano conſilio factum videtur: ut Autores Articuli Tertii Ordinis nominatim de Regio Franciæ Principatu & Regno Articulum ita conciperent: *Regi ſupplicabitur, velit, jubeatque in conventu trium Ordinum Regni ſui pro lege fundamentali decerni, quod ſicut in ſuo Regno eſt ſupremus, neque ab alio quàm à Deo ſolo coronam, aut poteſtatem ſuam Regiam poſſidet: Ita nullam in terris exiſtere poteſtatem, quæcùmque illa ſit, temporalis aut ſpiritualis, quæ aliquid juris vel autoritatis in Franciæ regnum ſibi vendicare queat ad ſacras Regum perſonas exauctorandas, vel eorumdem ſubditos quocumque quæſito prætextu à fidelitatis ſacramento, quo Regibus ſuis naturaliter obligantur, abſolvendos.* Cùm ergo hîc explicatè de Regno & Regia poteſtate formaliter, non materialiter ſumptâ agatur, certè Cardinalis Perronius contra umbram ſuam velitatur.

VI. Quintò. Hæc clauſula: *Ideoque neceſſitate ſubditi eſtote; non ſolùm propter iram, &c.* Apprimè notanda venit, quia non de nuda & ſimplici obedientia, verùm etiam de ſubjectione præcipit, ut Chryſoſtomus, Auguſtinus, & alii Patres quos infrà laudabimus, docent. Quandoquidem obedientia plerumque ſimulatè, extrinſecè, ad oculum, & de facto tantum, per æquivocationes atque alias ejuſmodi illuſiones peragitur: Ut cùm aliquis metu pœnæ & coactionis Principi & Legibus Politicis obtemperat: Contrà autem ſubjectio à principio interno, hoc eſt ab ipſo jure, habitu, animo, & Lege conſcientiæ manat: Ideoque ſemper comitem habet dilectionem, reverentiam, atque honorem naturaliter debitum, & ex animo ſincero redditum: Idque ipſum eſt quod S. Petrus præcipit, ut Regem honorificemus cap. 2. prioris Epiſtolæ. Paulus verò cap. 6. ad Epheſios, & 3. ad Coloſſ. ut ὀφθαλμοδουλείαν vitemus, *non ad oculum, & de facto tantùm ſervientes.* Quibus benè perceptis & conſideratis facilè eſt videre non modò falſum, ſed etiam impium eſſe quod Bellarminus memorat in librorum ſuorum recognitione, & cap. 3. ac 21. adverſùs Barclaium: Puta *Apoſtolos & Eccleſiaſticos non de jure, ſed de facto tantum fuiſſe ſubditos Imperatoribus Ethnicis, & politicis poteſtatibus.* Quod certè eſt Reges atque poteſtates politicas reſpectu Eccleſiaſti-

corum *habere pro prædonibus.* Quam ad impietatem juvandam ars æquivocandi nuper adinventa eſt eludendis Judicum & Magiſtratuum politicorum interrogationibus: quaſi non eſſent legitimi Judices Eccleſiaſticorum. Etenim novi Theologi perhibent Eccleſiaſticos non teneri coram laicis judicibus reſpondere; idque unum eſt ex capitibus bullæ cœnæ Domini, de qua libro 4. infrà.

VII. Eadem quoque eſt ratio hujus ſententiæ B. Petri cap. 2. prioris Epiſtolæ: *Chariſſimi, obſecro vos, converſationem veſtram inter gentes habere bonam; ut in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum in die viſitationis: ſubjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum; ſive Regi quaſi præcellenti; ſive Ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, quia ſic eſt voluntas Dei, ut bene facientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam: quaſi liberi & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem: ſed ſicut ſervi Dei, omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorificate. Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis: hæc enim eſt gratia Dei ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis, triſtitias patiens injuſtè, &c.* Quæ quidem confirmant ſubjectionem Regibus, Principibus & Dominis aut Patribus familias jure naturali debitam à ſervis atque ſubditis, ſicut ex Paulo docuimus.

Et primùm quidem cauſam materialem deſignat, cùm omnibus Chriſtianis præcipit: *ſubditi eſtote omni humanæ creaturæ:* agitque de ſubjectione, non de nudo & ſimplici obſequio, ut paulò ante diximus: quæ verba indicant omnibus hominibus in aliqua dignitate conſtitutis eſſe obtemperandum, quos partium enumeratione dehinc explicat: *Sive Regibus, ſive Ducibus, ſive Dominis, &c.* Et hæc eſt cauſa efficiens ſecundaria politicæ poteſtatis. Secundò quod ait *Regi quaſi præcellenti, nos ſubjici oportere*, Græcus contextus habet: Εἴτε βασιλεῖ ὡς ὑπερέχοντι: *Regi quaſi ſuperhabenti.* Quibus verbis demonſtratur eminentia poteſtatis politicæ ſuper omnes alias poteſtates, quippe quæ armata ſit gladio ad conterendos repugnantes, ut jam obſervavi ſuperius. Tertiò per Duces intelligit Præfectos provinciarum, quos Imperatores conſtituebant: poſſunt etiam intelligi omnes inferiores Magiſtratus; Ita ut hæc verba Petri: *Sive Ducibus tanquam ab eo miſſis*; His Apoſtoli reſpondeant: *Non eſt enim poteſtas niſi à Deo, &c.* Quartò hæc formula: *ad vindictam malefactorum, laudem*

Digitized by Google

dem verò bonorum, cauſam finalem politicæ poteſtatis exprimunt, hiſque concordant: *Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali, &c.* Quintò τὸ *propter Deum*, vel ut Textus Græcus habet: propter *Dominum, & quia ſic eſt voluntas Dei, &c.* deſignant Deum eſſe cauſam efficientem primariam civilis poteſtatis, hiſque Pauli congruunt: *Ideoque neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam: non eſt enim poteſtas niſi à Deo: Princeps Dei miniſter eſt vindex in iram, &c.* Sextò hæc alia: *Quia ſic eſt voluntas Dei, ut benefacientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* Declarant perſuaſum fuiſſe gentibus, quod Chriſtiani prætextu Libertatis Euangelicæ, omnes politicas poteſtates exſcindere percuperent: unde me apud Arnobium legiſſe memini Chriſtianis datum opprobrio, quòd poſt Legis Euangelicæ promulgationem, tota hujus mundi compages quaſi ſuis cardinibus atque ſedibus revulſa collabi videretur. Quocircà S. Petrus Chriſtianis injungit ut tanquam ſervi Dei ſponte atque liberè politicis poteſtatibus ſerviant, *neque prætextum Libertatis Euangelicæ pro velamine malitiæ habeant:* vel ut ait Apoſtolus Galat. 5. *Libertatem Euangelii in occaſionem carnis vertant.* Quos locos novis Theologis, ut par eſt, conſiderandos relinquo, quando docere audent Eccleſiaſticos non eſſe politicis poteſtatibus ſubditos, quod propriè eſt *habere libertatem Legis Euangelicæ pro velamine malitiæ* 7. S. Petrus duabus de cauſis ſic concludit: *Deum timete, Regem honorificate.* Prior, ut demonſtret ſi quid à politicis poteſtatibus contra Dei legem percipiatur, tum potiùs Deo quàm hominibus obtemperandum. Poſterior, ad oſtendendum timorem Dei eſſe cauſam propter quam Principibus tanquam Dei miniſtris & vicariis obediamus, & tributa ſolvamus: ſiquidem honor Regi debitus cuncta obſequii politici genera complectitur.

Ut ergo ſummam hujus primi capitis faciamus: Qui canones ſcripturæ ex cap. 13. Epiſtolæ ad Rom. & cap. 2. prioris Petri cum articulo tertii Ordinis contulerit, exploratiſſimum habebit hanc formulam memorati articuli, ſcilicet: *Regem Franciæ ſuam Coronam aut Poteſtatem Regiam*, hoc eſt, *facultatem dirigendi & cogendi per merum Imperium à ſolo Deo poſſidere, nullamque in terris poteſtatem exiſtere, quæcumque illa ſit, ſpiritualis aut temporalis, quæ ſibi aliquid juris poſſit attribuere in Franciæ Regnum ad Reges exauctorandos.* Hanc, inquam, formulam juri divino & naturali planè congruere, & propterea contrariam opinionem, *quam Cardinalis Bellarminus Catholicam*; *Perronius autem probabi-*

babilem aſſerit, juri divino & naturali penitùs repugnare: continuòque tanquam impiam & deteſtabilem habendam, atque prohibendam à Principibus politicis: hoc enim ex officio facere tenentur, ſervatâ moderatione parabolæ zizaniorum, de qua ſtatim dicetur.

Caput II.

Patrum Explicationes conformes Analyſi textus Apoſtoli: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. *Puta*;

Tertuliani.	*Petri Lombardi.*
Origenis.	*Bernardi.*
Baſilii.	*Gloſſæ.*
Gregorii Nazianzeni.	*Thomæ Aquinatis.*
Chryſoſtomi.	*Cajetani.*
Optati Milevitani.	*Eſpenſæi.*
Ambroſii.	*Adami Sasbouth.*
Auguſtini.	*Guilliaudi.*
Theodoreti.	*Toleti.*
Theophylacti.	*Perrerii.*
Oecumenii.	*Guillelmi Eſtii.*
Bedæ.	*Cornelii à Lapide.*
Anſelmi.	

EXplicato Canone Scripturæ juxta regulam Patrum initio Capitis primi defixam, ſupereſt de Eccleſiæ Traditione dicamus, atque explicationem textus Apoſtoli, conſenſum totius Antiquitatis ad noſtra deductum ſæcula habere convincamus. Probandi verò initium ſummam à Tertuliano cap. 15. de Idololatria, ubi diſputat quatenùs Chriſtianis liceat Dominis atque Regibus Idololatris ſervire. *Igitur*, ait, *quod attinet ad honores Regum vel Imperatorum, ſatis præſcriptum habemus in omni obſequio eſſe nos oportere ſecundùm Apoſtoli præceptum ſubditos Magiſtratibus, & Principibus & Poteſtatibus, ſed intra limites diſciplinæ, quouſque ab Idololatria ſeparemur.* Audis hîc Tertulianum nulla politica Imperata excludere, ſed ea tantùm quæ Legi divinæ adverſantur, atque Idololatriam inducunt: Tum autem illud Petri reſponſum ad Phariſæos uſurpandum eſt: *Obedire magis Deo oportet quàm hominibus.* Actor. 5.

Origenes in Epiſtolam ad Romanos explicans cap. 13. *Monet me in*

Digitized by Google

in his Sermonibus Paulus, quod poteſtatem ſaculi & judicium mundi Dei miniſterium dicit; & hoc non ſemel, ſed ſecundò & tertiò repetit. Velim ergo requirere quomodo judex mundi, Dei Miniſter ſit. Reſpondet autemLege Euangelicâ ea non prohiberi quæ divinis & humanis legibus puniuntur: ideoque Actorum 15. Apoſtolos ea Chriſtianis non prohibuiſſe in Synodo Hieroſolymitana, quæ legibus humanis ſufficienter vetantur, & plectuntur, ſed illa dumtaxat, de quibus Lex divina Moſaica aut humana nihil caverat. *Ex quo apparet judices mundi*, ait, *partem maximam Legis Dei implere. Omnia enim crimina quæ vindicari vult Deus, non per Antiſtites & Principes Eccleſiarum, ſed per mundi judices voluit vindicari: Et hoc ſciens Paulus, rectè eum Miniſtrum Dei nominat & judicem in eum, qui quod malum eſt, agit.* Deinde aliquantò poſt: *Si enim ponamus verbi gratiâ credentes Chriſto poteſtatibus ſaculi non eſſe ſubjectos, tributa non reddere, nec vectigalia penſitare, nulli timorem, nulli honorem deferre: Nonne per hæc Rectorum & Principum meritò in ſemetipſos arma converterent: & perſecutores quidem ſuos excuſabiles, ſemetipſos verò culpabiles redderent? Non enim jam fidei, ſed contumaciæ cauſâ impugnari videntur: & eſſe eis cauſa quidem mortis, meritum verò mortis indignum. Hæc ergo Paulus per immenſam ſapientiam providens dicit: Reddite ergo omnibus debita, &c.* Quo Origenis teſtimonio duo docemur: Alterum; Principes politicos ideo Miniſtros Dei vocari, & magnam partem Legis Dei implere, etiam ante Euangelii promulgationem, quòd conſtituti ſint à Deo vindices & aſſertores Legis divinæ & naturalis per merum imperium, aut gladium materialem, qui Eccleſiæ Prælatis nullo modo convenire poteſt: Ubi notandum nomine Legis Dei, quam politici Magiſtratus implent, intelligere præcepta inſita in Decalogum, quæ juris ſunt divini & naturalis. Alterum quod diſcimus, eſt, niſi omnes Chriſtiani etiam Eccleſiaſtici neceſſitate ſubditi ſint politicis poteſtatibus, juſtam Magiſtratibus politicis præbere occaſionem oppugnandæ Chriſtianæ Religionis vi armatâ; adeò ut ipſi Chriſtiani hac ratione reddantur culpabiles & perſecutores Chriſtianorum excuſabiles: Sicque Chriſtiani gloriam martyrii amittunt; quoniam, ut ait Origenes, *tum non fidei, ſed contumaciæ cauſâ impugnabuntur, meritumque mortis indignum erit, &c.* Hercle, B. Petrum ad hæc reſpexiſſe cap. 4. prioris Epiſtolæ certo certius eſt: *Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis, &c. Nemo autem veſtrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: Si autem ut Chriſtianus non*

erubeſcat, glorificet autem Deum in iſto nomine, &c. Hîc rogatos velim oppugnatores articuli tertii Ordinis, nobis comiter abſque cavillationibus Sophiſticis oſtendant quâ ratione illi qui contendunt Papam pollere autoritate abdicandorum Regum, & Eccleſiaſticos non eſſe ſubditos politicis poteſtatibus etiam in civilibus, poſſint à criminibus quibus S. Petrus atque Origenes Chriſtianos liberos eſſe volunt, eximi? Putà ab alienorum appetentia, à furto, ab homicidio, ſeditionibus, &c. Utque innumeras cædes, excidia urbium, & Provinciarum ſacrilegia & populationes, quæ in Franciæ Regno Henrici III. & IV. parricidia ſequuta ſunt, prætermittam: Demus exempli causâ Jeſuitas, cæteroſque Chriſtianos qui hodiè ſub Turcico imperio vivunt, docere quæ habet Bellarminus lib. contra Barclaium cap. 3. Scilicet Eccleſiaſticos *ſolùm de facto, & non de jure ſubditos Neroni, Conſtantio, Juliano, &c. atque Eccleſiam illos Principes potuiſſe abdicare abſolvendo ſubditos à ſacramento fidelitatis; idque non feciſſe defectu juris, ſed poteſtatis, quia vires tum deerant Chriſtianis: Et quia Eccleſia hoc utiliter ſtatuere non poterat. Item quando Pontifex ſubditos Regum à ſacramento fidelitatis abſolvit & Principem Regia autoritate privavit, executionem ad alios pertinere cap. 7. contra Barclaium: ac Regem occidi poſſe mandato Papæ. Suares lib. 6. cap. 4. numero 18. defenſionis fidei Catholicæ. Item præceptum Apoſtoli de obtemperando Imperatoribus & politicis poteſtatibus fuiſſe temporaneum & proviſorium, quoad Chriſtiana Religio ſufficienter fundata eſſet. Bellarminus cap. 29. & 30. de Clericis, &c.* An quiſquam in Turcico Imperio erit, qui non prima fronte judicet ejuſmodi Curiæ Romanæ & Bullæ Cœnæ Domini dogmata viam ſternere ad pacem politicam conturbandam, & hominum internecionem; eamque ob cauſam ſtatuat Chriſtianam Religionem, cujus ferendæ & prorogandæ prætextu hæc vulgantur, eſſe omnino extirpandam, quaſi politicis poteſtatibus infeſtam & contrariam: unde meritò Origenes aſſerit, *Illos qui docuiſſent Chriſtianos poteſtatibus ſæculi non eſſe ſubjectos, neque ſanctos, neque martyres, ſed ſeditioſos atque perduelles habendos, & à Magiſtratibus politicis tanquam Legis conſcientiæ & naturæ violatores, ac tranquillitatis publicæ peſtes exſcindendos.* Sed abſit ut hoc de illis Sanctiſſimis Eccleſiæ primitivæ Chriſtianis cogitemus: cùm ſcripta Apoſtolorum, & Juſtini Martyris, Athenagoræ, Tertuliani, Minutii Felicis, Arnobii, Lactantii, & aliorum Apologiæ, cùm operibus omnium Patrum antiquorum perhibeant Legem de obediendo politicis poteſtatibus &

Re-

Digitized by Google

Regibus eſſe juris divini & naturalis omnino indiſpenſabilis, *atque inter Chriſtianos magis occidi quàm occidere ſemper licuiſſe.* Quæ omnia cauſis eſſentialibus Eccleſiaſticæ poteſtatis uſquequaque conſentiunt, ut lib. ſequenti probabitur.

S. Baſilius cap. 23. Conſtitutionum Monaſticarum: *Paulus Apoſtolus*, ait, *in ea epiſtola quam ad Romanos ſcribit, ipſis præcipit ut excellentioribus illi poteſtatibus omnibus ſubjecti ſint: poteſtatibus inquam, mundi non ſpiritualibus: atque hoc ex iis quæ deinceps adjecit, declaravit, cùm de Tributis & vectigali loquutus eſt: quo in loco qui vel minimùm poteſtati reſiſtit, eum*, ait, *Deo ipſi reſiſtere.* Hîc obſervas Baſilium nominatim perhibere Apoſtolum cap. 13. ad Romanos de ſolis poteſtatibus mundi, deque tributis & vectigalibus, non de ſpirituali aut Eccleſiaſtica autoritate loqui: meritò quidem, quoniam ad Litteram non ſophiſticis argutiis textum Pauli interpretatur more Bellarmini & aliorum recentiorum, qui luci manifeſtiſſimæ ſcripturarum cimmerias tenebras offundere nituntur, parum memores ſententiæ Auguſtini lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 31. lib. 3. cap. 28. Ubi notat, *Periculoſum eſſe rationibus exponere ſacram ſcripturam, & non autoritate; atque ſuper omnia in explicandis Scripturis vitandam ſophiſticen & argutias.*

Gregorius Nazianzenus oratione ad Cives Nazianzenos timore perculſos ob aliquod mandatum Imperatoris quod detrectarant, duo præſertim obſervat: Prius, ut populum ad obedientiam: Poſterius, ut Imperatorem iraſcentem ad miſericordiam flectat. De primo hæc narrat: *Subjiciamur tum Deo, tum alii aliis, tum iis qui Imperium in terra gerunt: Deo quidem omnibus de cauſis: Alii autem aliis propter charitatis fœdus: Principibus denique propter Ordinem, publicæque diſciplinæ rationem: Idque tantò etiam magis quantò clementioribus & moderatioribus illis utimur. Grave ac periculoſum eſt indulgendi aſſiduitate clementiam exhaurire, ne alioqui illorum aſperitatis & crudelitatis pœnæ tandem à nobis expetantur: ut qui ventis invectis tranquillitatem ſuſtulerimus, luci caliginem induxerimus, mellique abſynthium admiſcuerimus. Iam verò inter cæteras noſtræ doctrinæ Leges hanc quoque habemus valde laudandam, à ſpiritu præclarè conſtitutam: qui id quod præſtare poſſumus cum eo quod honeſti ratio expoſcit, exploravit, legeque ſanxit, ut ſervi heris ſuis, & uxores viris & Eccleſia Chriſto, & Diſcipuli Magiſtris ac Paſtoribus dicto audientes eſſe, atque obtemperare jubentur. Ita etiam nobis præſcribitur,* UT PRÆCELLENTIBUS POTESTATIBUS PAREAMUS, *non ſolùm*

ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam: ut qui pendendo tributo ſumus obnoxii: ne committamus ut ob ſcelera & flagitia noſtra legem odio inſectemur; ac vindicem gladium expectemus; quin potius id agamus ut per timorem purgati, laudem à poteſtate & Magiſtratu conſequamur, &c. Hæc de priore membro quo Nazianzenus per poteſtates præcellentes, ſolos politicos Magiſtratus, quibus tributa penduntur, deſignat, ſicut & S. Baſilius: atque ampliùs indicat quidnam ſit ſubjici omni humanæ creaturæ juxta mentem B. Petri; à qua ſubjectione nequidem ſeipſum aut alios Eccleſiaſticos immunem præſtat. *Nobis præſcribitur*, inquit, *ut præcellentibus poteſtatibus pareamus non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, ut qui pendendo tributo ſumus obnoxii, &c.* Sed ad alterum membrum tranſeo. *Quid verò vos Principes & Præfecti? Ad vos jam ſe noſtra convertit oratio, &c. Quid igitur dicitis? An me liberè loquentem æquo animo feretis? Nam vos quoque poteſtati meæ, meiſque ſubſelliis Lex Chriſti ſubjicit: Imperium enim ipſi quoque gerimus: addo etiam præſtantius ac perfectius: niſi verò æquum eſt ſpiritum carni faſces ſubmittere, & cœleſtia terrenis cedere. Cum Chriſto imperium geris; Cum Chriſto provinciam adminiſtras; ab illo gladium accepiſti, non tam ut eo utaris, quàm ut mineris ac terreas. Quare videndum eſt tibi ut illum tanquam donarium quoddam purum & integrum ei qui dedit, ſerves. Imago Dei es: flectat te naturæ cognatio; moveat te exemplar tuum: fac Deum imiteris, non mundi Principem, qui homicida erat ab initio, &c.* Hîc audis Nazianzenum vocare Principem, Dei imaginem, quoniam inſtar Dei poteſt abſolutè cogere quæcumque imperat, & contrà nemo eum poteſt cogere. Porrò mirabile eſt Cardinalem Bellarminum lib. 5. de Romano Pontifice hanc partem orationis Nazianzeni de ſubjectione corporis ſpiritui ad propoſitum ſuum detorſiſſe, nec obſervaſſe Nazianzenum Principem Epiſcopis & ſacerdotibus tantùm in foro ſpirituali animæ: Epiſcopos verò & Eccleſiaſticos in Tribunali politico abſolutè ſubjeciſſe: quo de loco amplius dicetur lib. 5. D. Chryſoſtomus homilia 14. in Epiſtolam ad Romanos: *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita ſit. Hujus rei plurimùm & in aliis epiſtolis meminit; quemadmodum famulos heris ſuis; ita & ſubditos Principibus ſubjiciens. Facit autem hoc ideò ut oſtendat Chriſtum Leges ſuas non ad hoc induxiſſe, ut politias evertat.* Item aliquantò inferius: *interea verò eas rationes quas commemoravi, non monet Apoſtolus, ſed eas quæ poteſtatibus ex debito obedire jubent; oſtendens quod iſta imperentur omnibus Sacerdotibus & Monachis non ſolùm*

lùm ſæcularibus. Id quod ſtatim in ipſo exordio declarat, cùm dicit: Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita ſit, etiamſi Apoſtolus ſis, ſi Euangeliſta, ſi Propheta, ſive quiſquis tandem fueris: Neque pietatem ſubvertit iſta ſubjectio; & non ſimpliciter dicit obediat; ſed ſubjecta ſit, &c. Non enim eſt poteſtas niſi à Deo. Quid dicis? iſtud, inquit, non dico: Neque enim de quovis Principum ſermo mihi nunc eſt, ſed de ipſa re. Quòd Principatus ſunt: quòd hi quidem imperant, iſti verò ſubjecti ſunt; quòd non ſimpliciter ac temerè cuncta feruntur, nec fluctuum inſtar populi huc atque illuc circumagantur, divina ſapientia opus eſſe dico. Propterea non dicit Apoſtolus; non enim Princeps eſt niſi à Deo: Sed non eſt enim poteſtas niſi à Deo: quæ verò ſunt poteſtates, à Deo ordinatæ ſunt, &c.

Quo ex Chryſoſtomi teſtimonio quinque præſertim colligimus. Primò Legem Euangelicam non inſtitutam à Chriſto, ut Politias everteret; quod non modò directè, verùm etiam indirectè eſt capiendum: quia æquè intereſt Principis ſi clanculùm, per ambages & cavillationes, quàm ſi vi apertâ de Regio throno dejiciatur. Imò verò ei magis conduceret vi apertâ & directè quàm indirectè oppugnari, quoniam ſibi faciliùs caveret. Porrò dogma eſt Catholicum & ſempiternæ veritatis, Legem Euangelicam neque directè neque indirectè naturam deſtruere, propter cauſas capite præcedenti explicatas. Secundò oſtendit in Lege Chriſtiana eodem modo ſubditos ſuis Principibus ſubjici, quo famuli Dominis quamquam Ethnicis & infidelibus: atque Apoſtolum non ſolùm obedientiam, verùm etiam ſubjectionem præcipere & inculcare. *Nam*, inquit, *non ſimpliciter dicit: obediat, ſed ſubjecta ſit, &c.* Idque pariter confirmatur ab Apoſtolo, ubi de debita ſubjectione ſervorum erga Dominos ſtatuit, cap. 6. ad Epheſios damnans ὀφθαλμοδουλείαν, *ſervitutem ad oculum.* Quando ſervi præſentibus atque intuentibus Dominis obtemperant, abſentes verò habent deſpectui: Et hæc maximi ſunt ponderis, quoniam ut in Analyſi textus Apoſtoli docuimus: Obedientia plerumque ſimulatè fit, & per illuſionem æquivocationum, aut etiam timore pœnæ: Contrà autem ſubjectio manat ab officio debito & Lege conſcientiæ, internoque habitu & dilectione. Et ita patet apud Patres Eccleſiæ primitivæ Bellarmini dogmata falſa atque impia eſſe tanquam Legi divinæ & naturali contraria, ſcilicet *Eccleſiaſticos tantùm de facto, non de jure ſubditos eſſe politicis poteſtatibus.* Quod eſt ſæpius inducendum. Nam inquit Chryſoſtomus: *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita ſit, etiam ſi ſis Apoſtolus, ſi Euange-*

liſta, ſi Propheta, ſive tandem quiſquis fueris, ſacerdos vel monachus, &c. Herclè iſta ſubjectio de facto, non de jure, Hypochriſim atque ὀφθαλμοδουλείαν damnatum ab Apoſtolo inter Chriſtianos auctorat. Tertiò non abs re dictum eſt à Chryſoſtomo: *Neque pietatem ſubvertit iſta ſubjectio.* Sic enim oſtendere voluit, quamquam Imperata politica in ſpeciem & indirectè pietati obeſſe, aut eam juxta hominum opinionem aliquomodò impedire videantur; nihilominùs propterea non ceſſandum à ſervitio politicis poteſtatibus debito, quia ejuſmodi ſubjectio non pietatem ſubvertit, & virtus Religionis Chriſtianæ in infirmitate perficitur. Unde S. Auguſtinus infrà exhibendus ſic in perſona Chriſti loquitur: *Audite gentes: audi circumciſio: audi præputium; non impedio Dominationem veſtram in hoc mundo: Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Itaque ſenſus eſt Chriſtianos numquam debere à reddendo obſequio politicis poteſtatibus debito abſtinere, niſi directè, & planè pietati, atque Religioni Chriſtianæ adverſetur. Nam alioqui homines cauſas detrectandi imperata politica pro animi ſui arbitrio comminiſcerentur, fingerentque Legem Euangelicam non directè ſed indirectè Legem naturæ abrogare: Quem in finem experimur artem æquivocandi cum aliis innumeris cavillationibus indignis hominum Chriſtianorum, his poſterioribus ſæculis excogitatas fuiſſe: Id autem quantum veræ pietati & Religioni Catholicæ noceat, dictu impoſſibile eſt. Si enim ſubjectio politicis poteſtatibus debita Euangelium aut pietatem minimè ſubvertit, ut clarè docet Chryſoſtomus, quâ facie pietatis oſtenditur Chriſtianos non de jure ſed de facto ſolùm tanquam prædonibus ſubditos fuiſſe Ethnicis Imperatoribus? Quaſi gratia naturam deſtrueret? ô Domine Jeſu Chriſte, quamdiu vulpeculas colore pietatis ſic *vineam tuam demoliri patieris?* cap. 1. Canticorum. Profectò nihil tam vulpeculis ſimile, quàm qui certatim Elenchos Sophiſticos atque æquivocationes contexunt, ut æternæ veritati illudant, & ſibi imperium abſolutum in Reges atque Principes politicos arrogent. Quartò monet Chryſoſtomus hîc agi de politicis poteſtatibus objectivè & formaliter, non tantùm ſubjectivè & quoad exiſtentiam: *Neque enim de quovis Principum ſermo mihi nunc eſt*, ait, *ſed de ipſa re: propterea non dicit Apoſtolus: Non enim Princeps eſt niſi à Deo, ſed; non eſt enim poteſtas niſi à Deo: quæ verò ſunt poteſtates, à Deo ordinatæ ſunt, &c.* Quintò ait, *divinæ ſapientiæ opus eſſe, quòd ſint Principatus, quòd hi quidem imperent, iſti ſubjecti ſint: quòd non ſimpliciter ac temerè cuncta*

cta

cta ferantur, nec fluctuum inſtar populi huc atque illuc circumagantur. Quam ſententiam fautoribus doctrinæ de abdicandis & occidendis Regibus prætextu tyrannidis conſiderandam relinquo: quippe qui ſuis dogmatibus ſeditioſis bella ex bellis conſerant; utque ſanguis Principum Chriſtianorum inſtar pullorum Gallinaceorum ſanguinis vileſcat, & populi quaſi fluctus maris æſtuantis huc & illuc circumagantur, atque invicem collidantur efficiunt. Hinc enim ſtrages & ruina Imperii Romani, quod munimentum atque ornamentum erat Chriſtianitatis adversùs infideles: Hinc etiam Gallicani Regni poſt Henrici Magni parricidium deploranda calamitas: Hinc mala & peſtes innumeræ, quæ humani non eſt ingenii cogitare, ne dum voce efferre. Ecquis non videt hæc certiſſima eſſe argumenta eorum quæ terribilem Domini adventum præceſſura ſunt? Matth. 24. Idem Homilia 2. ad Populum Antiochenum: *Imperator læſus eſt*, inquit, *qui non habet parem ullum ſuper terram, ſummitas & caput omnium ſuper terram hominum.* Hercle in poteſtate dirigendi & cogendi temporaliter Imperator ſupra omnes excellit mortales, eique ipſemet Papa ſubditus eſt.

Optatus Milevitanus lib. 3. contra Parmenianum: *Super Imperatorem non eſt niſi ſolus Deus, qui fecit Imperatorem.*

D. Ambroſius cap. 13. in Epiſtolam ad Romanos: *Quoniam cœleſtis juſtitiæ legem ſequendam mandavit, ne ab hac præſenti diſſimulare videretur, hanc quoque commendat: quippe cùm niſi hæc fuerit obſervata, illa cuſtodiri non poſſit: hæc enim quaſi pædagogus eſt quæ parvulos imbuit, ut poſſint potioris juſtitiæ viam ſequi. Nemini enim poteſt imputari miſericordia, niſi habuerit juſtitiam: Ut ergo jus & timorem legis naturalis confirmet, Deum autorem ejus teſtatur, & miniſtrantes eam, Dei ordinationem habere.*

Item aliquantò poſt: *Principes hos Reges dicit, qui propter corrigendam vitam, & prohibenda adverſa creantur:* DEI HABENTES IMAGINEM, *ut ſub uno ſint cæteri, &c. Ideo dicit & tributa præſtari vel quæ dicuntur fiſcalia, ut ſubjectionem præſtent, per quam ſciant non ſe eſſe liberos, ſed ſub poteſtate degere, quæ ex Deo eſt. Principi enim ſuo qui vicem Dei agit, ſicut Deo ſubjicitur, ſicut dicit Daniel Propheta: Dei eſt regnum, & cui vult, dabit illud: unde Dominus: Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: huic ergo ſubjiciendi ſunt ſicut Deo, cujus ſubjectionis probatio hæc eſt, quia illi pendunt tributa.* Sententia certè Ambroſio digniſſima, quando conformis eſt canoni ſcripturæ & ſententiæ omnium Patrum antiquorum, quatuorque notatu digna habet. Primò,

Digitized by Google

quòd Juſtitia civilis ſit tanquam Pædagogus & velut rudimentum Juſtitiæ Euangelicæ: Ideoque ab Apoſtolo commendetur. Secundò quòd ejuſmodi juſtitia civilis lege naturali conſtituatur: Ex quo relinquitur Apoſtolum non hîc aliquod jus novum introducere, ſed vetuſtiſſimum cum ipſa lege naturali conditum declarare. Tertiò Deum hujus juris Auctorem eſſe. Quartò Reges & Principes habere Dei imaginem ratione ſupremæ poteſtatis dirigendi & cogendi, quam diximus eſſe velut radium & particulam æternæ legis ac poteſtatis divinæ: quoniam præter Deum nullus condere potuit ſupremam poteſtatem dirigendi & cogendi per merum imperium: ſolus enim Deus jus habet vitæ & necis in homines, hocque politicis poteſtatibus communicavit, quæ eam ob cauſam Dei imaginem gerunt, ejuſque ſupremæ poteſtatis quodammodo participes fiunt. Huc & occurrunt quæ idem Ambroſius habet cap. 5. in Lucam, referunturque xI. quæſt.I. can. Magnum quidem eſt & ſpirituale documentum quo Chriſtiani viri ſublimioribus poteſtatibus docentur debere eſſe ſubjecti, ne quis conſtitutionem terreni Regis putet eſſe ſolvendam. *Si enim cenſum Dei Filius ſolvit, quis tu tantus es, qui non putes eſſe ſolvendum?* Item cap. 20. in Lucam ad hæc verba: *Licet nobis dare tributum Cæſari, an non?* Si ergo Chriſtus non habuit imaginem Cæſaris, cur dedit cenſum? Non de ſuo dedit, ſed reddidit mundo quod erat mundi. Et ſi tu vis non eſſe obnoxius Cæſari, noli habere quæ mundi ſunt: Sed ſi habes divitias, obnoxius es Cæſari: Si vis nihil Regi debere terreno, relinque omnia & ſequere Chriſtum. Et bene prius quæ Cæſaris ſunt, Cæſari reddenda decernit. Verùm ex duabus cauſis propter quas mortales Imperatoribus ſubditi ſunt, nempe ratione corporis, & bonorum temporalium, Ambroſius hoc in loco meminit tantùm ſubjectionis, quæ propter opes & fortunas debetur Imperatoribus: Alteram verò cauſam minimè attingit.

D. Auguſtinus in explicatione quarumdam propoſitionum Epiſtolæ ad Romanos: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: Non eſt enim poteſtas niſi à Deo: Rectiſſimè admonet*, inquit, *ne quis ex eo quod à Domino ſuo in Libertatem vocatus, eſt factus Chriſtianus, extollatur in ſuperbiam, & non arbitretur in hujus vitæ itinere ſervandum eſſe Ordinem ſuum, ut poteſtatibus ſublimioribus, quibus pro tempore rerum temporalium gubernatio tradita eſt, exiſtimet ſe non eſſe ſubdendum. Cùm enim conſtemus ex anima & corpore, quamdiu in hac vita temporali ſumus, etiam rebus temporalibus ad ſubſidium degendæ hujus vitæ utamur.*

Opor-

Digitized by Google

Oportet nos ex ea parte quæ ad hanc vitam pertinet, ſubditos eſſe poteſtatibus, id eſt hominibus res humanas cum aliquo honore adminiſtrantibus. Ex illa verò parte quâ credimus Deo, & in ejus regnum vocamur, nos non oportet eſſe ſubditos cuiquam homini id ipſum in nobis evertere cupienti, quod Deus ad vitam æternam donare dignatus eſt. Si quis ergo putet quoniam Chriſtianus eſt, non ſibi eſſe exhibendum honorem debitum eis qui hac curant poteſtatibus, in magno errore verſatur. Item ſi quis putat ſe eſſe ſubdendum, ut etiam in ſua fide habere poteſtatem arbitretur eum qui Temporalibus adminiſtrandis aliquâ ſublimitate præcellit, in majorem errorem labitur: Sed modus iſte ſervandus eſt, quem Dominus ipſe præſcribit, ut reddamus Cæſari quæ Cæſaris ſunt, & Deo quæ Dei ſunt. Quamquam enim ad illud regnum vocemur, ubi nulla erit poteſtas hujuſmodi: in hoc tamen itinere dum agimus, donec perveniamus ad illud ſæculum ubi ſit Evacuatio omnis Principatus & poteſtatis, conditionem noſtram pro ipſo rerum humanarum Ordine toleremus, nihil ſimulatè facientes, & in eo ipſo non tam hominibus, quam Deo qui hæc jubet, obtemperantes: Idem aliquantò inferius. Quod autem ait, Ideoque neceſſitate ſubditi eſtote, ad hoc valet, ut intelligamus quia neceſſe eſt propter hanc vitam ſubditos nos eſſe oportere, non reſiſtentes, ſi quid illi auferre voluerint, in quo ſibi poteſtas data eſt de temporalibus rebus, quæ quoniam tranſeunt, ideò & iſta ſubjectio non in bonis quaſi permanſuris, ſed in neceſſariis huic tempori conſtituenda eſt: Tamen quoniam dixit: neceſſitate ſubditi eſtote ne quis non integro animo & purâ dilectione ſubditus fieret hujuſmodi poteſtatibus, addidit dicens, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, id eſt non ſolùm ad iram evadendam, quod poteſt etiam ſimulatè fieri, ſed ut in tua conſcientia certus ſis illius dilectione te facere, cui ſubditus fueris juſſu Domini tui, qui omnes vult ſalvos fieri. Huc uſque Auguſtinus in cujus textu ſex potiſſimum obſervanda veniunt. Primò Apoſtolum ideo præcipere ſubjectionem atque ſervitium poteſtatibus politicis reddendum, ne Chriſtiani qui ad Euangelicam & Legis gratiæ libertatem vocabantur, ſe ideo minùs ſubditos Regibus & Magiſtratibus politicis arbitrarentur. Secundò hanc ſubjectionem ex cauſis eſſentialibus declarat: putà quòd homines quamdiu in hac vita mortali degunt, corpore & animâ rationali conſtent; & ratione corporis ac rerum temporalium omnes mortales ambitu Reipublicæ contentos, ne quidem clericis demptis, ſubditos eſſe poteſtatibus quoad directionem & coactionem. Nam, inquit Auguſtinus, *cùm anima & corpore conſtemus, oportet nos ex ea parte quæ ad hanc vitam pertinet, ſub-*

Digitized by Google

ditos eſſe poteſtatibus cum aliquo honore adminiſtrantibus. Ubi notandum Auguſtinum velut corpore terreno conſtantem, & propterea temporalibus indigentem ingenuè fateri ſe jure divino atque naturali ſubbitum Regibus. *Nam cùm animâ & corpore conſtemus oportet, &c.* Unde qui clericos tantùm de facto, & non de jure ſubditos Regibus prædicant, antè probent neceſſe eſt, illos inſtar Angelorum corporibus carere, nec rebus temporalibus indigere. Tertiò his verbis: *Cum aliquo honore adminiſtrantibus.* Indicat ſubjectionem extendi non tantùm ad Principes & Reges ſupremos; verùm etiam ad Magiſtratus quos inſtituerunt, atque alicujus honoris Principatus politici participes eſſe voluerunt. Quartò deſignat hujuſmodi ſubjectionem non ſimulationibus & æquivocationibus tegendam aut involvendam, quaſi de facto tantùm procederet. *Conditionem noſtram*, inquit, *pro ipſo rerum humanarum ordine toleremus, nihil ſimulatè facientes, & in eo ipſo non tam hominibus, quam Deo qui hæc jubet, obtemperantes.* Siquidem dixit Apoſtolus: *Neceſſitate ſubditi eſtote ne quis non integro animo & purâ dilectione ſubditus fieret hujuſmodi poteſtatibus; addidit dicens, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, id eſt non ſolùm ad iram evadendam, quod poteſt ſimulatè fieri, ſed ut in tua conſcientia certus ſis illius dilectione te facere, cui ſubditus fueris juſſu Domini tui, qui omnes vult ſalvos fieri.* Quæ verba Auguſtini dum apud me cogitatè reputo, & cum novorum Theologorum, præſertim Bellarmini placitis comparo, miror quidem illos adeò mente turbatos eſſe, ut ad clariſſimam Legis naturæ & gratiæ lucem, quaſi noctuæ caligent, & clericos tantùm de facto, non de jure ſubditos poteſtatibus dicere non perhorreſcant. Quintò hæc clauſula: *Illius dilectione te facere cui ſubditus fueris juſſu Domini tui, qui omnes vult ſalvos fieri.* Demonſtratur ſubjectionem quam Chriſtiani cum jure, dilectione & reverentia politicis poteſtatibus reddebant: tum demum incentino fuiſſe ipſis Imperatoribus, & politicis Magiſtratibus Ethnicis, ut Chriſtianam Religionem amplecterentur & ſalvi fierent. Quemadmodum ſi hodiè Jeſuitæ qui ſunt Conſtantinopoli & in Anglia, docerent, atque re vera ipſo effectu comprobarent ſe jure ipſo & non de facto tantùm ſubditos eſſe Regibus, cæteroſque Catholicos, ut idem præſtarent, cohortarentur, non dubium eſt quin progreſſu temporis & Turcas & Angliæ Regem ad Religionem Catholicam incenderent, quem ſuis ſeditioſis dogmatibus fugant, & ab Eccleſiæ Romanæ ingreſſu abſterrent. Sextò ratione animæ rationalis

quâ

Digitized by Google

quâ credimus Deo, & in regnum ejus vocamur, declarat nos non oportere eſſe ſubditos cuiquam homini idipſum in nobis evertere cupienti, quod Deus ad vitam æternam donare dignatus eſt, &c. Ideòque ſi Princeps aliquid adversùs Religionem imperet, nequaquam ei obtemperandum, ut idem Auguſtinus nominatim perhibet commentariis in Pſal. 124. *Non ideo Chriſtianus factus es, ut dedigneris ſervire: cùm enim Chriſto jubente ſervis homini, non illi ſervis, ſed illi, qui juſſit, & ait: obedite Dominis veſtris ſecundùm carnem cum timore & tremore, & in ſimplicitate cordis, non ad oculum ſervientes quaſi hominibus placentes, ſed quaſi ſervi Chriſti facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate: Ecce non fecit de ſervis liberos, ſed de malis ſervis bonos ſervos. O quantum debent Divites Chriſto qui illis componit domum, ut ſi fuit ibi ſervus infidelis, convertat illum Chriſtus, & non ei dicat: Dimitte Dominum tuum: Iam cognoviſti eum qui verus eſt Dominus! Ille fortè impius eſt & iniquus; tu autem fidelis & juſtus. Indignum eſt ut juſtus & fidelis ſerviat iniquo & infideli. Non hoc ei dixit, ſed magis ſerviat: & ut corroboraret ſervum, hoc dixit: Exemplo meo ſervi, quia ego prior ſervivi, &c. Quod autem dixi de Domino & ſervo, hoc intelligite de Poteſtatibus & legibus & de omnibus culminibus hujus ſæculi. Aliquando enim Poteſtates bonæ ſunt, & timent Deum: aliquando non timent Deum. Julianus extitit infidelis Imperator, nónne extitit Apoſtata, iniquus idololatra? milites Chriſtiani ſerviebant Imperatori infideli. Quando volebat ut idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi Deum: quando autem dicebat: producite aciem: Ite contra illam gentem, ſtatim obtemperabant: Diſtinguebant Dominum æternum à Domino temporali.* Vide Can. *Imperatores* §. *Si bonum eſt quod præcipit Imperator & præſes; jubentis obſequere voluntati: ſi verò malum eſt & contra Deum ſapit: Reſponde illi de Actibus Apoſtolorum: Oportet obedire Deo magis quàm hominibus.* Porrò quæ Bellarminus contra hos Sancti Chryſoſtomi & Auguſtini locos ſophiſticè cumulat, à me diruentur libro ſequenti, ubi diſputationem de Immunitatibus Eccleſiaſticorum inſtituemus. Idem Auguſtinus libro quæſtionum veteris teſtamenti, quæſtione 35. *Non neſcius David divinam eſſe traditionem officio Ordinis Regalis. Idcircò Saül in eadem adhuc traditione poſitam honorificat, ne Deo injuriam facere videatur, qui his Ordinibus honorem decrevit. Dei enim imaginem habet Rex, ſicut & Epiſcopus Chriſti. Quamdiu ergo in ea traditione eſt, honorandus eſt, ſi non propter ſe, vel propter Ordinem. Unde Apoſtolus inquit: Poteſtatibus ſublimioribus ſubditi eſtote: non eſt poteſtas niſi à*

Deo

Deo: quæ enim ſunt, à Deo ordinatæ ſunt. Hinc eſt ut Gentilem in poteſtate tamen poſitum honorificemus, licèt ipſe indignus ſit, qui Dei Ordinem tenens, gratias agit diabolo: Poteſtas enim exigit, quia meretur honorem. Nam ideo Pharaoni futuræ famis ſomnium revelatum eſt: Et Nabuchodonoſor aliis ſecum aſſiſtentibus ſolus filium Dei vidit in camino ignis, non utique merito ſuo, qui in Idolo ſe adorari voluit, ſed merito Ordinis Regalis. Qui textus Auguſtini ſpectat ad explicationem oraculi B. Pauli: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Hæcque capit notabilia: Primò Reges propter abſolutam poteſtatem cogendi, referre Dei imaginem: Epiſcopos verò ob poteſtatem miniſterialem ſpiritualem, Chriſti habere imaginem, de qua re aliàs ampliùs diximus. Secundò Regiam poteſtatem vocat Dei ordinationem, quoniam à Deo inſtituta eſt; eamque ob cauſam Davidem Saüli, quamquam ei necem intentaret, manus violentas inferre noluiſſe. Tertiò etiam infidelibus Regibus tametſi diabolo ſervientibus propter hunc divinum Ordinem illis creditum, eſſe obtemperandum in Politicis ſcilicet; quod pariter locum habet in hæreticis Principibus. Quartò ratione hujus Ordinis divini Deum ſæpe arcana ſua Regibus Ethnicis communicaſſe, ut Pharaoni, Nabuchodonoſori, &c.

Theodoretus comment. in cap. 13. ad Romanos: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Sive eſt ſacerdos aliquis, ſive Antiſtes, ſive monaſticam vitam profeſſus, iis cedat quibus ſunt mandati Magiſtratus. Clarum eſt autem, ſi cum pietate: Non enim ſi Dei præceptis repugnent, Magiſtratibus parere permittitur: Non eſt enim poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt poteſtates, à Deo ordinatæ ſunt, & ea à Dei providentia dependent. Ipſe enim communis Ordinis curam gerens, effecit ut hi quidem imperarent; illi verò parerent, veluti quoddam frænum iis qui ſe injuſtè gerunt, Magiſtratuum timorem incutiens. Porrò autem ſciendum eſt quod Magiſtratum gerere, eique parere à divina providentia pendere ſtatuit divinus Apoſtolus: Non autem ut hic vel ille ſit Magiſtratus: Neque enim iniquorum hominum poteſtas a Dei electione procedit, ſed ipſa Principatus diſpenſatio. Si ſit quidem certè propitius, dat Magiſtratus, qui juſtum colunt & obſervant.* Hic Commentarius Theodoreti nihil prorſus habet quod non quadret Chryſoſtomi & Auguſtini ſententiis, excepto quod ait, *iniquorum hominum poteſtatem à Dei electione non procedere:* Quod verum eſt de abuſu poteſtatis, non de poteſtate Regia, quæ iniquis Regibus jure electionis vel hæreditatis for-

Digitized by Google

formaliter defertur Principibus: ſiquidem poteſtas formaliter conſiderata etiam in Nerone erat à Deo, ut ſuprà oſtendimus.

Theophilactus ſuo more ſequitur Chryſoſtomum in cujus verba tanquam in ſolemne carmen juravit: ideóque de illo hîc ſilebimus, ne eadem iterare videamur.

Oecumenius Collectanea ex omnibus Græcis Patribus texuit ſuper Pauli Epiſtolas. Itaque ejus ſententia nobis omnium illorum ſententiam exhibet. Explicans autem caput 13. ad Romanos. *Omnem animam inſtruit, ſive Sacerdos ſit, ſive quiſpiam, ſive Monachus, ſive Apoſtolus, ut Magiſtratibus ſubdantur: Nam hæc ſubjectio non evertit pietatem. Admonet autem hoc Apoſtolus, oſtendens quod Euangelium non doceat defectionem, neque inobedientiam, neque ad ſubverſionem communis diſciplinæ Chriſti Leges eſſe, &c. Non enim eſt poteſtas niſi à Deo; non hæc de quocumque dicit Principe, ſed de ipſo Principatu: quoniam enim honoris ac conditionis æqualitas in omnibus res erat ſeditioſa; ideò Deus poteſtates inſtituit. Quid ais? eſt Princeps omnis à Deo traditus? non hoc, inquit, dico: neque mihi nunc de ſingulis Principibus ſermo, ſed de re ipſa. Principatus enim eſſe, & hunc quidem gubernare, alium verò gubernari, nec omnia ſurſum ac deorſum fieri, divinæ ſapientiæ opus eſſe dico. Siquidem non dixit: non eſt Princeps, ſed non eſt poteſtas niſi à Deo: quæ verò ſunt poteſtates, à Deo ordinatæ ſive factæ ſunt; ſive Patris erga filium: ſive viri erga uxorem, ſive àlias omnes etiam quæ in animalibus ſunt, puta apibus, gruibus ac piſcibus. Itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit: Ne abjecti viderentur Chriſti ſervi ſi Principibus ſubjicerentur, oſtendit quod parere oporteat, & non reſiſtere aut inobedientes eſſe Principibus: Nam qui hoc facit, Deo, inquit, reſiſtit, qui Principatus conſtituit, &c. Si autem malum feceris, time. Itaque Princeps non eſt cauſa timoris, ſed ipſum malè operari: non enim fruſtrà gladium geſtat. Vides quomodo & ſubditum terruerit, & Principem armaverit? nam Dei Miniſter eſt: qui enim malè viventes punit, Deo miniſtrat: Etenim ſi nullus eſſet Principis timor, provocat tamen conſcientia, ut illi obediamus & ſubjiciamur, non ſolum propter iram Dei quæ adverſus illos provocatur, qui non ſubduntur poteſtati; ſed etiam propter conſcientiam, hoc eſt, ne videaris conſcientiâ carere & ingratus & perfidus eſſe, qui benè de te merito ac Dei miniſtro non ſubdaris. Plurimis ſiquidem beneficiis afficiunt nos Principes; nam per eos vita noſtra conſiſtit, eo quod niſi ipſi eſſent, omnia perirent: Iis qui potentiores ſunt piſcium in modum minores devorantibus. Propter iram quidem pravi etiam nolentes*

ſubduntur: propter conſcientiam verò qui probi ſunt, ſubdi debent, & cum animi alacritate. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum, &c. non ſolum pecunias debemus, ſed & timorem, hoc eſt pudorem & reverentiam, ac ſubjectum honorem, &c. Timor ſiquidem duplex eſt: unus quidem quo timent delinquentes, qui ex mali conſcientia procedit, quem in ſuperioribus interdixit Apoſtolus: Alter verò quem habent diligentes erga eos quos diligunt: hic eſt excellens honor de quo dictum eſt; non eſt inopia timentibus eum: reverentiam enim hic indicat.

Idem Oecumenius explicans hunc locum prioris Epiſtolæ Petri cap. 2. *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſive Regi quaſi præcellenti, &c. Ait ergo ſubjecti eſtote humanis Principibus propter Dominum: Propter Dominum verò, id eſt quemadmodum Dominus juſſit. Quid autem præcepit Dominus? Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. Itaque in eo quod juſſerint extra Deum, id eſt quod præter ſive extra Dei conſtitutionem eſt, non eſt ipſis obtemperandum. Hoc autem omnino præcipit & Dominus & ipſius Diſcipulus: ne poſſent Græci dicere quod vitæ ac politiæ ſubverſionem afferat Chriſtianis, & in ordinationis ac confuſionis cauſa ſit. Addit autem propter Dominum etiam ob fideles. Veriſimile enim erat quoſdam ipſorum dicere: Quùm regno Cælorum nos dignos judices, magnamque ex eo dignitatem nobis addas; quare rursùm nos dejicis, mundanis nos Principibus ſubjiciens? Si quis igitur hoc dixerit, ſciat, inquit, non meum eſſe hujuſmodi præcepti ſermonem, ſed Domini. Subjungit autem Petrus cauſam ſubjectionis; quoniam & Dei voluntas, & noſtræ probitatis ſpecimen eſt in ſubjectione ad Principes. Quodque ampliùs eſt, incredulos pudefacit: cùm enim obloquuntur de nobis tanquam de arrogantibus & contumacibus ac inobedientibus, videndo nos & humiles & obſequentes in quibus oportet, illorum ora magis obturantur ac pudefiunt, quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem. Ordo talis eſt: ſubjecti eſtote tanquam liberi, & non velut prætextum habentes malitiæ libertatem, ſed etiam tanquam ſervi Dei, &c. Illud autem tanquam liberi Joannes Chryſoſtomus ita explicat dicens. Ne dicant: Liberati ſumus à mundo, cæleſtes cives facti ſumus, & tu nos rursùm ſubjicis Principibus, & obedire jubes?* Propterea dicit: *Ita obedite quaſi liberi, hoc eſt tanquam obtemperantes ei qui liberavit, & hoc facere præcipit. Ita enim non videbimini in mente habere malitiæ & inobedientiæ prætextum. Quoniam ergo in ſimulatione vitam tranſigere non liberi eſt, ſed ejus qui affectibus ſubjectus eſt, ſive aſſentationis, ſive cujuſvis alterius turpis voluptatis; propter quæ etiam ſimulationem prætendit*

Digitized by Google

tendit quiſpiam, ne id appareat quod eſt, &c. præcipit nunc ſubjectionem Principibus veris & non fictis moribus exhiberi: ne nos hoſtiliter erga illos habentes, quaſi coactam exhibeamus ſubjectionem: cumque talis lateat in nobis malitia, quod non certè ſincerum eſt ac ſimplex, faciamus prætextum ac velamentum morum apparentem ſubjectionem exhibentes, & non eam quæ ex affectu procedit. Huc uſque Oecumenius oſtendens Petrum illos apertè damnare, *qui corde & corde*, id eſt æquivocationum præſtigiis loquuntur, nec ſe ſincerè & ſimpliciter habent in obtemperando politicis poteſtatibus, ac libertatem Euangelicæ Legis in velamen malitiæ vertentes, prætendunt ſe tantùm de facto, non de jure Regibus atque Principibus ſubditos. Verùm Oecumenius fusè explicat quæ Chryſoſtomus paucioribus verbis eſt complexus, nihilque hac ſententiâ Græcorum Patrum Bellarmini placitis magis infeſtum & contrarium excogitari poteſt.

Beda venerabilis Commentariis in caput 2. Epiſtolæ prioris Petri ad hæc verba. *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ. Dicit omni dignitati hominum, omni perſonæ, omni Principatui, cui nos divina diſpoſitio ſubdi voluerit. Hoc eſt enim quod ait propter Deum, quia non eſt poteſtas niſi a Deo: Et qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit; ſive Regi quaſi præcellenti, &c. Docet ergo fideles famulos videlicet æterni Regis etiam mundi poteſtatibus ſubdi; ne vel in hoc fides & Religioni Chriſtianæ poſſit detrahi, quod per eam humanæ conditionis jura turbentur. Nam & ita poteſt rectè intelligi. Quod dictum eſt omni humanæ creaturæ, ut ſignificetur & fidelibus & incredulis rerum Dominis, &c. Quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem. At verò libertatem ſuam in velamen malitiæ vertunt, &c. Qui à dæmonica ſervitute redempti, qui filii Dei effecti, non tanto dono libertatis potiorem peccandi facultatem vel licentiam accepimus. Quin imò ſi peccamus, mox libertate perditâ ſervi efficimur peccati, & quiſquis ſe ad hoc liberatum à Domino putat, ut licentius peccet, talis ſuam libertatem in velamen malitiæ mutat. Vult autem nos Beatus Petrus liberos eſſe à ſervitio culparum, ut ſervi Creatoris noſtri boni & fideles permanere poſſimus. Unde ſubſequenter adjungit: Sed ſicut ſervi Dei omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorificate: monet ergo congruum cunctis impendere honorem, & juxta imperium Domini, Cæſari quæ ſunt Cæſaris, & Deo reddere quæ Dei ſunt.*

D. Anſelmus in caput 13. ad Romanos. *Rectè admonet ne quis ex eo quòd in libertatem vocatus eſt, factuſque Chriſtianus, extollatur in ſuper-*

perbiam, & non arbitretur in hujus vita itinere ſervandum eſſe Ordinem ſuum: & poteſtatibus quibus pro tempore rerum temporalium gubernatio tradita eſt, non ſe putet eſſe ſubdendum. Cum enim conſtemus ex anima & corpore: & quamdiu in hac vita temporali ſumus, etiam rebus temporalibus ad ſubſidium ejuſdem vitæ utamur, oportet nos ex ea parte quæ ad hanc vitam pertinet, ſubditos eſſe poteſtatibus, id eſt res humanas cum aliquo honore adminiſtrantibus, &c. Quæ Anſelmus verbum de verbo ſumpſit ex Auguſtino ſuprà prolato. Præterea addit: *Itaque omnis anima ſit ſubdita ſublimioribus poteſtatibus, id eſt, omnis homo ſit ſubditus primùm divinæ poteſtati, deinde mundanæ. Itaque ſi mundana poteſtas juſſerit quod non debes facere, contemne poteſtatem, timendo ſublimiorem poteſtatem; ipſos rerum humanarum gradus adverte. Si aliquid juſſerit Prætor, nonne faciendum eſt? tamen ſi contra Proconſulem jubeat, quid faciemus? numquid non Deus Imperatori eſt præferendus? &c.* Poſtea Anſelmus hæc ex Origene ſubnectit: *Ideo Princeps ſæculi eſt Miniſter Dei, ut vice ejus interim ultionem faciat, & judicium ejus præfiguret; quoniam fortia quæque crimina, quæ vindicari vult Deus, non per Antiſtites & Rectores Eccleſiarum, ſed per mundanos judices voluit vindicare. Et hoc ſciens Apoſtolus, rectè eum miniſtrum Dei nominat; & vindicem in eum qui malè agit. Subditi eſtote non ſolùm propter iram, ut effugiatis offenſionem hominum: ſed etiam propter conſcientiam, ut non ſimulatè quaſi ad oculum hominum iſta faciatis, ſed purâ dilectionis conſcientiâ propter Deum, qui omnes homines vult ſalvos fieri, &c. Si enim ponamus verbi gratiâ credentes in Chriſto poteſtatibus ſæculi non eſſe ſubjectos, tributa non reddere, neque vectigalia ſolvere, nulli timorem, nulli honorem deferre, nonne per hæc Regum & Principum meritò in ſemetipſos arma converterent; & perſecutores quidem ſuos excuſabiles, ſemetipſos verò culpabiles facerent? Non enim fidei, ſed contumaciæ causâ impugnari viderentur, & eſſent eis cauſa quidem mortis digna; meritum verò mortis indignum: Sic namque Judæi perire meruerunt gladio Romanorum.*

Petrus Lombardus Magiſter ſententiarum in caput 13. ad Romanos. *Omnis anima ſubdita ſit, id eſt omnis homo ſubditus ſit, quem nomine animæ ideò ſignifico, ut non ſolùm in corpore, & voluntate ſerviatis: ſubdita ſit poteſtatibus ſæcularibus bonis vel malis, ſcilicet Regibus, Principibus, Tribunis, Centurionibus, & aliis hujuſmodi. Si enim bonus fuerit qui tibi præeſt, nutritor tuus eſt: ſi malus fuerit, tentator tuus eſt; Et nutrimenta libenter accipe, & in tentatione approbare. Eſto ergo aurum, & attende mundum iſtum quaſi fornacem aurificis, &c. Itaque qui*

qui Poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit: Et hoc eſt quod dicit: quaſi diceret: Ideo debes ſubjici poteſtati, quia non eſt poteſtas alicui homini vel bono vel malo, niſi à Deo data. Unde Pilato Dominus ait: Non haberes in me poteſtatem, niſi datum eſſet tibi deſuper. Malitia hominum cupiditatem nocendi per ſe habet: poteſtatem ſi ille non dat, non habet. Ideoque Diabolus antequam aliquid tolleret Job, dicebat Domino: mitte manum tuam, id eſt da poteſtatem, quia etiam nocentium poteſtas non eſt niſi à Deo ſicut ſcriptum eſt loquente Sapientia: Per me Reges regnant, & Tyranni per me tenent terram. Unde Job Domino ait: Qui facit regnare hypocritam propter perverſitatem populi. Et de populo Iſrael dicit Deus: Dedi eis Regem in ira mea, &c. Nam per poteſtatem diabolo datam & Job probatus eſt ut juſtus appareret: Et tentatus eſt Petrus, ne de ſe præſumeret, & Paulus colaphiſatus, ne ſe extolleret, & Iudas damnatus, ut ſe ſuſpenderet. Hæc magna parte ex Auguſtino, Libro de natura boni adverſùs Manichæos. cap. 32.

D. Bernardus Epiſtola 42. ad Henricum Senonenſem Archiepiſcopum versùs finem. *Ut autem ſecurè præeſſe poſſitis, ſubeſſe & vos, ſi cui debetis, non dedignemini: Dedignatio quippe ſubjectionis, Prælationis reddit indignum, &c. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Si omnis, & veſtra. Quis vos excipit ab univerſitate?* SI QUIS TENTAT EXCIPERE, CONATUR DECIPERE. *Nolite illorum acquieſcere conſiliis, qui cùm ſint Chriſtiani, Chriſti tamen vel ſequi facta, vel obſequi dictis opprobrio ducunt. Ipſi ſunt qui vobis dicere ſolent: Servate veſtræ Sedis honorem: Decebat quidem ex vobis, vobis commiſſam Eccleſiam creſcere: Nunc verò ſaltem in illa quam ſuſcepiſtis, maneat dignitate. Et vos enim veſtro prædeceſſore impotentior? ſi non creſcit per vos, non decreſcat per vos. Hæc iſti loquuntur. Chriſtus aliter juſſit & geſſit: Reddite, ait, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo: quod ore locutus eſt, mox opere implere curavit. Conditor Cæſaris Cæſari non cunctatus eſt reddere cenſum. Exemplum enim dedit vobis, ut & vos ita faciatis.* Quo ex teſtimonio pronum eſt videre quàm S. Bernardus alienus ſit à Placitis Bullæ Cænæ Domini, quæ Eccleſiaſticos ſoli Papæ etiam in Temporalibus ſubjici prædicat: ſi quidem clarè demonſtrat Archiepiſcopo Senonenſi illos Divinæ Legi atque inſtitutis Chriſti manifeſtò adverſari, qui tales imbiberunt opiniones. *Qui vos tentat excipere, conatur decipere, &c.*

Gloſſa ordinaria cap. 13. ad Romanos. *Omnis anima, id eſt omnis homo à nobiliori parte totum: Deinde notat nomine poteſtatis ſignifi-*

cari & ipſam poteſtatem quæ datur à Deo, & ipſum hominem habentem & exercentem poteſtatem, idque Lectorem diligenter diſtinguere vult. Cæterùm Lyranus docet per poteſtates ſublimiores intelligi Prælatos in ſpiritualibus, & Principes terrenos in Temporalibus: atque poteſtatem ſæcularem portare gladium materialem Domini: & poteſtatem Eccleſiaſticam ſpiritualem: & utroſque Principes Miniſtros Dei appellari, quia ſunt Divinæ Juſtitiæ executores, ut Deo & hominibus Rempublicam conſervent Chriſtianam.

D. Thomas in caput 13. ad Romanos lectione primâ ſtatuit Regiam vel quamcumque aliam poteſtatem politicam tribus modis poſſe conſiderari: *Uno quidem quantum ad ipſum poteſtatem, & ſic eſt à Deo per quem Reges regnant, ait alio modo quantum ad modum adipiſcendi poteſtatem, & ſic quandoque poteſtas à Deo eſt, quando ſcilicet aliquis ordinatè poteſtatem adipiſcitur ſecundùm illud* Hebræorum 5. *Nemo ſibi honorem aſſumit, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Quandoque verò non eſt à Deo, ſed ex perverſo hominis appetitu, qui per ambitionem, vel quocumque alio illicito modo poteſtatem adipiſcitur.* Amos 6. *Numquid non in fortitudine noſtra aſſumpſimus cornua? 3. Poteſt conſiderari quantùm ad uſum ipſius, & ſic quandoque eſt a Deo, putà cùm aliquis ſecundùm præceptum Divinæ Juſtitiæ utitur conceſſâ ſibi poteſtate ſecundum illud* Proverbiorum 8. *Per me Reges regnant, &c. Quandoque autem non eſt à Deo, putà cum aliqui poteſtate ſibi datâ utuntur contra divinam Juſtitiam ſecundum illud* Pſal. 2. *Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum. Quod* B. Thomæ teſtimonium duo potiſſimùm nos docet: Alterum, poteſtatem politicam formaliter conſideratam, eſſe immediatè à Deo. Alterum, juxta ſecundam conſiderationem ejuſdem B. Thomæ Reges & Principes legitimè aſſumptos, putà jure hæreditario aut Electivo etiam eſſe à Deo. Ratio eſt quoniam quod dat eſſe, dat unà conſequentia ad eſſe: quare conſenſus & electio populi Regem adoptantis à Lege naturali, cujus autor eſt Deus, profluit. Cui ſententiæ Bellarminus etiam ſubſcribit libro de Laicis cap. 6. Notabili 1. & 3. nihilominùs contrarium aſſerit Libro de clericis cap. 28. ad calcem tertiæ propoſitionis. Sicut etiam idem B. Thomas II. 2. quæſt. 10. articulo. 10. ubi fruſtrà perſuadere molitur Dominationem politicam jure humano conſtitutam eſſe: ac proinde Eccleſiam poſſe Reges abdicare, ut pluribus infrà oſtendetur & confutabitur.

Idem B. Thomas II. 2. quæſt. 67. articulo 1. ad 2. docet Chriſtum pro-

Digitized by Google

propriâ ſponte humano judicio Pilati ſcilicet ſe ſubjeciſſe, quod eſt intelligendum ſecundùm ſtatum humilitatis & puri miniſterii quem aſſumpſit. Unde Cajetanus in eadem reſponſione hæc notat. *Pro quanto dicitur quòd Chriſtus ſponte ſe ſubdidit Pilato, adverte quòd non intelligitur quòd Chriſtus ſecundum quod homo Rex Regum commiſerit Pilato poteſtatem ſupra ſe: quoniam Chriſtus ſecundum quod homo, cum adminiſtravit regnum mundi ante reſurrectionem, ideo dixit: Regnum meum non eſt de hoc mundo: Sed quia Pilato præſidenti in Judæa, nomine Romani Imperii, Chriſtus Dominus ſe exhibuit ſicut unum de ſubditis: Nec Pilatus peccavit judicando Chriſtum peccato uſurpati judicii, ſicut judicans non ſibi ſubditum; quamvis peccaverit peccato iniqui judicii damnans innocentem, dicente ipſo: Ego nullam cauſam invenio in eo.* Quibus ex teſtimoniis liquet Pilatum fuiſſe legitimum judicem Chriſti, ratione inquam ſtatus miniſterialis & humilitatis, quem unum & ſolum Eccleſiaſticis reliquit Dominus. Quid ergo cavillatur Bellarminus Eccleſiaſticos non eſſe ſubditos Legibus politicis quoad coactionem? aut Chriſtum non ſubditum fuiſſe poteſtati judiciariæ Pilati? Certè hoc ipſum liquidò etiam confirmat Magiſter ſententiarum libro 2. diſt. 44. §. B. Explicans hæc verba Pauli. *Non eſt niſi à Deo, quod non de poteſtate boni tantum, ſed & mali intelligi oportet, cum Pilato etiam veritas dicat: Non haberes in me poteſtatem, niſi datum eſſet tibi deſuper. Malitia nempe hominum, ut ait Auguſtinus, cupiditatem nocendi per ſe habet, poteſtatem autem ſi ille non dat, non habet, &c.* Summa Collectionis Magiſtri eſt: *Quod poteſtas mali à Deo eſt, à quo eſt omnis poteſtas.* Ut enim alias ex Auguſtino notavimus: Deus aliquando ſceleratos regnare vult ad bonorum diſciplinam & exercitium.

Cardinalis Cajetanus Commentariis in Epiſtolam ad Romanos. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, &c. ait Apoſtolum uſum verbo animæ, ut intelligeremus non ſolum res noſtras aut corpora noſtra, ſed etiam animas debere ſubjici Principibus ſæcularibus in iis quæ poſſunt legitimè imperare.* Deinde ad hæc verba: *Non eſt poteſtas niſi à Deo: Licèt ſententia hæc ſolitaria vera ſit univerſaliſſimè accepta, ad propoſitum tamen Pauli non eſt niſi arctata ad poteſtatem de qua eſt ſermo, hoc eſt ad præcellentem nempe Principum ſæcularium.* Senſus eſt: quamquam certiſſimum ſit omnem poteſtatem eſſe à Deo, nihilominùs Paulum ſtrictè loqui de ſola præcellenti, id eſt politica poteſtate hoc in loco.

Eſpenſæus Commentariis in caput 3. ad Titum, digeſtione 10. in hæc

Digitized by Google

hæc verba: *Admone illos Principibus & Poteſtatibus ſubditos eſſe, obſervat Apoſtolos ad tollendum errorem quorumdam Judæorum, qui ſoli Deo, non Cæſari, & Magiſtratibus obediendum contendebant: utque nullam inquietudinem Eccleſiæ parerent, diligenter docuiſſe politicis poteſtatibus eſſe obediendum. Quod minùs obſervantes quidam turbulenti motâ inter Regnum & Sacerdotium controverſiâ, mirum quot quantaſque turbas utrinque dederunt. Atqui poſt Paulum tot ante hanc Camarinam annorum centenariis, & Chryſoſtomus, ut nihil unquam futurum tale ſuſpicans, ſimpliciter illud: Omnis anima enarrat: Etiamſi ſive Apoſtolus ſis, ſive Euangeliſta, ſive Propheta, ſive Sacerdos, ſive Monachus, quem illic ſequuntur Theodoretus, Theophilactus, Oecumenius, & qui non Græci. Et Gregorius I. ingenuè agnoſcebat Imperatori à Deo conceſſum non militibus ſolum ſed & Sacerdotibus quoque dominari lib. 2. Regiſtri Epiſtolâ 64. Et utroque poſterior Bernardus ad Henricum Senonenſem Archiepiſcopum Epiſtola 42. ſic colligit: Si omnis anima, & veſtra. Quis vos excipit ab univerſitate, &c.*

Adamus Sasbout Commentariis in caput 13. ad Romanos: *Quæ autem ſunt à Deo poteſtates, ordinatæ ſunt: id eſt inſtituta cum certo ordine obſervando inter gerentes poteſtates, & eos quibus illi præſident. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Item propter conſcientiam, &c. Hæc valde terrere debent; omnino enim ſonant tranſgreſſionem Legum humanarum eſſe peccatum mortale: Nomen enim conſcientiæ uſurpat Scriptura, ubi agit de peccato mortali, non ſic cum de veniali ſermo eſt: concluditque τὸ propter conſcientiam intelligi oportere, ne conſcientia propter inobedientiam rea fiat apud Deum violati Ordinis divini & Magiſtratus à Deo inſtituti.*

Magiſter Claudius Guilliaudus Doctor Pariſienſis Commentariis in caput 13. ad Romanos. *Omnis anima poteſtatibus &c. oſtendit Chriſti Euangelium non ad publica bona ordinationis ſubverſionem datum eſſe: quoniam intelligebat Paulus nonnullos Chriſtianos prætextu Religionis detrectare Principum juſſa; atque ita futurum ut Ordine perturbato ſurſum ac deorſum omnia miſcerentur: Præcipit ut quibuſlibet poteſtate publicâ præditis omnis homo obtemperet, dum nihil pietati & fidei adverſum mandatur, &c. Quin etiam, quod horribilius eſt, addit: Qui non obediunt; Deo qui condidit, inſtituitque Magiſtratus reſiſtunt, ſit igitur ut parent ſibi damnationem quam accipient.*

Alphonſus Salmeron diſputatione quartâ ſuper caput 13. ad Romanos, nequaquam conſentit doctrinæ Bellarmini docentis Apoſtolos

Digitized by Google

los tantùm de facto non de jure ſubditos Imperatoribus. Contrà autem ille nominatim ait, *S. Petrum ſubditum fuiſſe Principibus in civilibus antequam Eccleſiam intrarent.* Et aliquantò inferius: *Poteſtas Ethnici Principatus nondum Eccleſiæ incorporata; ſubditos habet omnes qui ad eam Rempublicam cui præſident, tanquam membra pertinent: ſive Ethnici, ſive Chriſtiani, ſive Laici, ſive Clerici, ſive Epiſcopi, ſive Apoſtoli; & hoc ex jure naturæ, ut modò Turcarum Princeps ſuper Chriſtianos & Epiſcopos eſt, qui in ſuis locis reſident.* Hic audis ejuſmodi ſubjectionem jure naturæ introductam, & conſequenter non tolli Lege Euangelicâ, quia gratia non deſtruit, ſed perficit naturam.

Cardinalis Toletus commentariis in caput 19. Joannis adnotatione 4. explicans hæc verba: *Non haberes poteſtatem adversùm me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper.* Diſertè perhibet Chriſtum ut hominem, id eſt ratione poteſtatis miniſterialis, ſe verò Pilato ſubjeciſſe, eique veram poteſtatem in ſeipſum dediſſe. *Attende Verbum: Non haberes poteſtatem in me ullam, quaſi diceret*, inquit Toletus, *Quantuſcumque ſis Præſes, & aliis omnibus præſideas, & in eos autoritatem habeas, nihil tibi eſſet poteſtatis in me, niſi ſingulari quadam divinâ ordinatione id datum eſſet. In hoc conſiſtit ſenſus reſponſionis Chriſti: Nam ſi in generali locutus eſſet hoc modo: Non haberes poteſtatem, niſi datum eſſet deſuper: nihil in hoc ſignificabatur quod ad rem faceret: Omnis enim poteſtas a Deo eſt*, Roman. 13. *At dum ſe ſolum excipit ab hac poteſtate quam in omnes alios habebat, ſe diſtinctum ab aliis omnibus ſignificat, & particularem divinam ordinationem & diſpoſitionem indicat, ſuamque potentiam & innocentiam maximè oſtendit, quaſi diceret: vide quis ego ſim: Tu enim nihil poſſes in me, niſi Divina diſpoſitio Patris permiſiſſet, quamvis Præſes eſſes. Unum tamen maximè dignum eſt conſideratione, nempe quomodo dicatur data à Deo hac poteſtas Pilato.* Chryſoſtomus homilia 83. *Permiſſionis eſſe verbum* dicit. *Aliter inquit, ſi non eſſet permiſſio, ſed conceſſio, non peccaſſet Pilatus: Tamen reſponſio & doctrina hac exacta non videtur: aliud eſt enim poteſtas, aliud uſus poteſtatis: poteſtas omnis bona eſt & à Deo: uſus tamen proveniens ex hominis voluntate, non ſemper bonus, nec à Deo eſt, ſed a propria hominis voluntate abutente poteſtate: quod doctè annotavit Gregorius libro 2. Moralium cap. 6. & lib. 18. cap. 3. exponens illud* primi Regum cap. 18. *ſpiritus Domini malus agitat Saül. Quomodo, inquit, Domini eſt, ſi malus dicitur? Reſpondet: Domini eſt, quia virtus & poteſtas quam habet & exercet, bona & juſta eſt; tamen voluntas mala, quia malè utitur eâ.*

Ita etiam nunc dicendum eſt: Poteſtas & autoritas Pilati à Deo erat data: voluntariè enim Chriſtus ſe ei ſubdidit, tamen uſus fuit iniquus. Non igitur illud datum permiſſionis, ſed conceſſionis reſpectu poteſtatis: permiſſionis autem reſpectu uſus poteſtatis. Juſta igitur erat & a Deo Pilati poteſtas, & ita docet Ireneus libro 4. *cap.* 34. Huc uſque Toletus, haſtam nobis amentatam contra eos ſuppeditans, qui docere audent perſonas Eccleſiaſticorum non eſſe ſubditas politicis poteſtatibus. Si enim Chriſtus ut homo ſubditus fuit, multò magis Apoſtoli atque Diſcipuli. Hoc telum invictiſſimum fruſtrà Suares lib. 4. defenſionis ſuæ fidei de immunitatibus Eccleſiaſticorum cap. 7. ſub finem declinare conatur: objiciens Chriſtum tanquam Dei filium nemini homini aut creaturæ ſubjectum. Sed reſpondet Toletus ſe ut hominem voluntariè & ſpontè ſubjeciſſe, ratione ſtatus humilitatis quem ultrò aſſumpſit. De quo infrà libro 3. Cæterùm quod Cajetanus paulò antè, paucis Toletus uberiùs explicat.

Pererius in caput 13. ad Romanos notat *aliquos in primitiva Eccleſia ſparſiſſe Chriſtianos liberos eſſe ab omni obedientia & ſubjectione Magiſtratuum & Principum ſæcularium: quod Dominus dixiſſet* Joannis 8. *Si filius vos liberaverit, verè liberi eritis: &* Matthæi 17. *Reges terræ accipere tributum ab alienis, non à filiis, &c. hancque falſam doctrinam Chriſtianos omnibus inviſos atque exoſos reddidiſſe, quaſi omnia dicerent & facerent ad evertendas poteſtates politicas. Quod ſcandalum ut Apoſtoli auferrent tum in Concionibus, tum in Epiſtolis diligenter docuiſſe Chriſtianos propter fidem non eſſe immunes ab obſequio & tributis ſolvendis Magiſtratibus & Principibus; atque S. Auguſtinum Epiſtola* 54. *ad Macedonium, Chryſoſtomum in hunc locum Pauli, & omnes fermè veteres intellexiſſe Paulum hic loqui de poteſtate tantùm ſeculari, quod ipſe contextus & ſeries verborum Apoſtoli ſatis indicat*, inquit Pererius.

Guilielmus Eſtius Commentariis in cap. 13. ad Romanos. *Omnis anima Poteſtatibus, &c. Sed propterea*, inquit, *de poteſtatibus, id eſt, Principibus repetere voluit, quod abſtractivè de poteſtate dixerat: ne quis excuſaret & diceret ſe poteſtatem quidem ipſam venerari, ſed eâ fungentes malos eſſe, proindeque indignos quibus obediatur. Quam excuſationem Apoſtolus hac parte excluſit affirmans ipſos Principes a Deo cum poteſtate inſtitutos.*

Item ad hæc verba: *Non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam: Græci conſcientiam hîc intelligunt beneficiorum, quæ populo à Principibus publicam pacem & quietem tuentibus proveniunt. Verùm ſi reſpi-*

Digitized by Google

reſpiciamus ad id quod proximè præceſſit; & ex quo Pericopen hanc totam infert Apoſtolus: Illud inquam, Dei Miniſter eſt, &c. nec non ad conſuetam ſignificationem vocabuli conſcientiæ in Scripturis: multò certè probabilior, imò vera omnino deprehendetur aliorum expoſitio: ſcilicet oportere nos Principibus ſubditos eſſe, non ſolùm propter iram, id eſt pœnam evadendam quam Leges minantur, ſed etiam maximè propter conſcientiam, id eſt, quia animus noſter lege naturali ac divinâ informatus hoc nobis dictat & loquitur Principibus obediendum eſſe tanquam Dei Miniſtris & Vicariis; ac proinde nos in Deum peccare, ſi minus illorum dictis & imperatis audientes fuerimus. Qui ſenſus eſt omnium ferè Latinorum; idemque planus & obvius manifeſtè ſequitur omnem Legem, & omne præceptum quod proficiſcitur ab humana legitima poteſtate ſive politica de qua nunc agitur: ſive Eccleſiaſtica, ſubditos obligare in conſcientia, id eſt coram Deo & non tantùm in foro, ut loquuntur, exteriori ſanè contraria huic doctrina ſcilicet eſſe aliqua præcepta legitimæ poteſtatis, quæ conſcientiam ſubditorum nòn teneant obſtrictam, non modò falſa eſt, & à ſenſu Scripturarum aliena; verum etiam noxia & pietati inimica; quippe quæ homines reddat hypocritas: & quod alibi vituperat Apoſtolus, ad oculum & non ex animo ſervientes. Quibus verbis Eſtius clarè damnat perverſum dogma Bellarmini: *Quod Apoſtoli fuerint tantùm de facto, & non de jure ſubditi Imperatoribus.*

Idem Eſtius 1 Petri 2. ad hæc verba: *Subditi eſtote ſive Regi quaſi præcellenti. Quo tempore ſcripta fuit hæc epiſtola,* inquit, *Princeps Imperii Romani erat Domitius Nero Chriſtianorum graviſſimus perſecutor, ſub quo Petrus ipſe qui hæc ſcribit & Paulus Martyrium ſubierunt. Liquet ergo ex doctrina Apoſtolica Principibus etiam infidelibus & valde malis obediendum eſſe in rebus ad politiam externam pertinentibus.*

Cornelius à Lapide Theologus Societatis ad hæc verba: *Non eſt enim poteſtas niſi à Deo, &c. Nota 1. poteſtatem ſæcularem eſſe à Deo mediatè: quia natura & recta ratio, quæ à Deo eſt, dictat & hominibus perſuaſit præficere Reipublicæ Magiſtratus à quibus regantur: Poteſtas verò Eccleſiaſtica immediatè eſt à Deo inſtituta, quia Chriſtus ipſe Petrum & Apoſtolos Eccleſiæ præfecit. Nota 2. Neronem, Diocletianum, Domitianum, alioſque ſimiles qui legitimè creati ſunt Imperatores, licèt tyrannicè* ***imperarint, tyrannos tamen non fuiſſe, ſed veros Imperatores, ideoque poteſtatem à Deo accepiſſe, cui proinde omnes etiam Chriſtiani in conſcientia parere debebant, quamvis ipſi hac poteſtate contra Chriſtianos, eos proſequendo & occidendo abuſi ſint.*** Quod ut confirmet, Auguſtinum

lib. 5. de Civitate cap. 21. laudat affirmantem *Deum dediſſe regnum terrenum Auguſto, & Neroni, Veſpaſiano, & Domitiano*, &c.

Cæterùm quod Cornelius à lapide primo ſuo notabili aſſerit poteſtatem ſæcularem eſſe mediatè à Deo, & Eccleſiaſticam immediatè ſuprà hoc capite numero 1. explicatum eſt.

Pergit Cornelius ad hæc verba: *Ideò neceſſitate ſubditi eſtote, &c.* aitque τὸ *conſcientiam, intelligi de obligatione & ordinatione divina, quæ conſcientiam ad hanc ſubjectionem obſtringit: Dei enim Miniſter eſt Magiſtratus: unde conſcientia dictat ei quaſi Dei Miniſtro eſſe obediendum: & conſequenter in Deum peccare illum qui ei non obedit. Nota ex hoc loco contra Gerſonem*, ait Cornelius à lapide, *Leges Eccleſiaſticas; & contra Almainum Leges Civiles etiam Gentilium impiorum & infidelium Principum ſecluſo quoque ſcandalo obligare in conſcientia ſub peccato mortali, ſi res gravis gravi obligatione vel interminatione præcipiatur ab eis. Apoſtolus enim loquitur de Legibus Imperatorum Romanorum qui tum erant infideles.* Hæc ille verè quidem de Legibus atque Imperatis Principum etiam infidelium, quatenus neceſſariam habent connexionem & affinitatem cum lege divina & naturali, ut disertè & clarè docet Gerſonius & Almainus: non autem de quibuſcumque Legibus, quæ nullâ neceſſitudine Legi divinæ aut naturali conjunguntur: de qua re accuratius in Analyſi tractatus Gerſonii, *de vita ſpirituali animæ.* Ubi oſtendimus Gerſonium quoad rem & ſubſtantiam nihil planè à communi doctrina Theologorum differre. Quòd ſi omnia imperata politica in re gravi abſolutè obligant ad mortale, cur Jeſuitæ docent aliquando licere Gabellam defraudare? Vide Emmanuelem Sa, verbo Gabella, ut alios innumeros prætermittam.

Summa hujus capitis ſecundi eſt juxta regulam Lirinenſis Catholica traditione Eccleſiæ, & generali Patrum atque Doctorum conſenſu liquere poteſtatem politicam formaliter & materialiter conſideratam, inſtitutam atque ordinatam eſſe à Deo, eique propterea omnem animam, id eſt, univerſos homines ambitu Reipublicæ contentos quoad directionem & coactionem in civilibus & temporalibus ſubditos eſſe. De argumentis Bellarmini & aliorum in contrarium poſtea diſputabitur.

Digitized by Google

CAPUT III.

I. *Catholicus Patrum conſenſus hunc verſum Pſalmi* 50. Tibi ſoli peccavi, *ita explicat, ut inde liqueat Principem ſupremum nemini ſubeſſe quoad directionem & coactionem in Civilibus & Temporalibus.*

II. *S. Gregorius ſe jure Reipublicæ ſervum dicit eſſe Mauritii Imperatoris: Et de ejus cade quam Deus ſeveriſſimè ultus eſt.*

III. *Quidnam ſit Regnum Legis Moſaicæ eſſe Sacerdotale; & Sacerdotium Legis Euangelicæ Regale contrà violentam Innocentii III. & Baronii interpretationem: Et de Regum Judæorum Poteſtate in Principes Sacerdotum.*

IV. *Principes in Temporalibus ſuperiorem nullum habere, quamvis in ſpiritualibus ſubjiciantur Sacerdotibus, ut ait Hector Pintus.*

I. AT verò cuncti Patres antiqui cauſis atque principiis duobus proximis capitibus explicatis innixi, conſtanter docuerunt Regem nullum ſupra ſe ſuperiorem agnoſcere in Temporalibus, & ſecundum à Deo exiſtere: atque in hoc genere dominationis univerſos mortales ambitu Regni aut Imperii contentos Regi in Civilibus ſubjici. Tertulianus capite 30. Apologetici: *Chriſtiani ſciunt quis Imperatoribus dederit Imperium: ſentiunt eum Deum eſſe ſolum, in cujus ſolius poteſtate ſunt, à quo ſunt ſecundi: poſt quem primi ante omnes. Inde eſt Imperator, unde & homo antequam Imperator: Inde poteſtas illi, unde & Spiritus.* Et cap. 33. nominatim ait: *Imperatorem ſecundum eſſe à Deo & cœlo minorem.* Item cap. ad Scapulam: *Sic & circa Majeſtatem Imperatoris infamamur: tamen numquam Albiniani nec Nigriniani, vel Caſſiani inveniri potuerunt Chriſtiani. Chriſtianus nullius eſt hoſtis, nedum Imperatoris, quem ſciens à Deo ſuo conſtitui, neceſſe eſt, ut & ipſum diligat & revereatur, & honoret, & ſalvum velit cum toto Romano Imperio, quouſque ſæculum ſtabit, tamdiu enim ſtabit. Colimus ergo & Imperatorem ſic quomodo nobis licet, & ipſi expedit, ut hominem à Deo ſecundum, & quicquid eſt à Deo conſecutum, & ſolo Deo minore hoc & ipſe volet. Sic enim omnibus major eſt, dum ſolo vero Deo minor eſt: ſic & ipſis Diis major eſt, dum & ipſi in poteſtate ſunt ejus. Itaque & ſacrificamus pro ſalute Imperatoris, ſed Deo noſtro & ipſius.* Qui locus Tertulliani quatuor capit notatione digna. Primùm nomine Albinianorum, Nigrinianorum, & Caſſianorum, quoſdam carpit perduelles, qui conjuraverant in caput Imperatoris: in quorum ſocietate nullus Chriſtianus umquam repertus eſt, quæ permaxima Eccleſiæ primitivæ gloria eſt: In cujus laudis conſortium ne plurimi Catholici veniant, hodie placita ſcholæ Ieſuitarum de abdicandis & occidendis Regibus prætextu Tyrannidis aut neglectæ Religionis

Digitized by Google

efficiunt. Alterum notabile eſt Chriſtianos ſcire Imperatorem à Deo ſuo conſtitui, eamque ob cauſam neceſſe eſſe ipſum diligi, revereri, honorari, &c. Quibus verbis ad hanc clauſulam Apoſtoli alludit: Ideòque neceſſitate ſubditi eſtote, &c. Sicque excludit omnem æquivocationem in ratione obedientiæ, aut ſubjectionis de ſolo facto, quam Bellarminus atque alii comminiſcuntur. Tertiò obſervat Romanum Imperium tamdiu duraturum, quamdiu & ſæculum, aut mundus: quod primi Chriſtiani ab Apoſtolo didicerunt cap. 2. poſterioris ad Theſſalonicenſes. *Qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat: & tunc revelabitur ille iniquus, &c.* Quem locum omnes Antiqui de Imperii Romani excidio interpretantur, ut aliâs fuſiùs dicetur. Quartò propter excellentiam & abſolutum Imperium, quod civili poteſtati eſſentialiter conjunctum eſt, ut inſtar Dei poſſit abſolutè cogere univerſos ambitu Regni aut Imperii contentos, nemine dempto, *vocat Imperatorem ſecundum à Deo, Cœlo & ſolo Deo vero minorem:* Quam Eminentiam poteſtati Eccleſiaſticæ tributam numquam reperimus. Quia, ut ſuprà oſtendimus, poteſtas eſt diminuta & miniſterialis, quæ abſolutè aut per vim externam ea cogere non poteſt quæ imperat ut ampliùs dicetur lib. 3. Cæterùm Juriſconſulti imitatione Anteceſſoris ſui Tertuliani, *Reges, Deos corporales nuncuparunt:* Quia, ut ſuprà dixi, omnes cogunt, & à nemine coguntur. Baldus Commentariis ad librum de Feudis, titulo de prohibita Feudi alienatione per Fridericum circa finem. *Quæro utrùm, ſicut debet in juramento fidelitatis excipi Imperator; ita excipi debeat Rex, putà Dominus Rex Francorum qui ſuper omnes Reges eſt? Reſpondeo: ſic; cùm ſit Dominus Jurantis, & ejus cui juratur, & quoad ſuos ſubditos ipſe ſit in regno ſuo* TANQUAM QUIDAM CORPORALIS DEUS.

Idem Baldus 3. parte Conciliorum, Concilio Petita venia 218. *Super omnes Reges Chriſtianorum Rex Francorum obtinet coronam Libertatis & gloriæ.* Inquit: Meritò quidem, quia poteſtate abſolutâ in omnes finibus ſui Regni contentos pollet. Ad hæc quoque faciunt teſtimonia Origenis, Chryſoſtomi, Auguſtini, Theodoreti, Oecumenii, & aliorum Patrum capite præcedenti expoſitorum.

His & lubet quorumdam Pontificum Romanorum ſententias attexere, ut Pelagii Papæ I. Epiſtola 16. ad Childebertum Franciæ Regem, tomo 2. Conciliorum Collectionis Binii, ubi profeſſionem ſuæ fidei Franciæ Regi mittit, eumque ſic alloquitur: *Quanto nobis*

Digitized by Google

nobis ſtudio ac labore ſatagendum eſt, ut pro auferendo ſuſpicionis ſcandalo, obſequium confeſſionis noſtra Regibus miniſtremus, quibus nos etiam ſubditos eſſe ſancta ſcriptura precipiunt. Hæc ille de ſubjectione Naturali, non de ſola obedientia æquivoca & de facto, quam Bellarminus impiè excogitavit.

II. S. Gregorius Epiſtola 61. lib. 2. editionis Sebaſtiani Nivellii anni 1571. Ad Mauritium Auguſtum. *Ego indignus pietatis veſtra famulus in hac ſuggeſtione neque ut Epiſcopus, neque ut ſervus jure Reipublica, ſed jure privato loquor, quia, Sereniſſime Domine, ex illo tempore Dominus meus fuiſti, quando Dominus non omnium eras, &c.* Quæ clauſula: *ſervus jure Republica* reſpondet periodo Apoſtoli: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: ideoque neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam proter conſcientiam*; Omniaque obſtruit Bellarmini effugia cap. 3. adversùs Barclaium poſt medium, ubi excipit S. Gregorium *non ſolius Imperatoris, ſed omnium fidelium ſervum ſe nominaſſe, quemadmodum Apoſtolus ſcribit ſe fuiſſe ſervum Corinthiorum, ſuper quos tamen poteſtatem habuiſſe dicit* 2 Corint. 4. & 13. *Servus enim dicitur qui ſervit aliorum utilitati, ſive id faciat obediendo, ſive imperando*, ait Bellarminus, malâ quidem fide & dolo: quoniam aliud eſt, *ſervum eſſe jure Reipublica*, & aliud in miniſterio Evangelico, aut Legis gratiæ & perfectæ libertatis, quæ vim & coactionem externam neſcit, quam civilis poteſtas neceſſariò conjunctam habet: ideòque dominatur, atque ſervitutem importat temporalem ad cogendum reſtitantes. Itaque putida ſunt Sophiſmata, quòd Bellarminus commemorat B. Gregorium de facto, non de jure obedientiam præſtitiſſe, atque virum S S. de Mauritio tanquam tyranno conqueri. Addat ſi velit, quæ leguntur lib. 2. Epiſtola 1. & 36. de Mauritii, omniumque ejus liberorum & amicorum internecione, ubi Gregorius Phocæ tyranno ſic congratulatur: *Lætentur Cæli, & exultet terra, & de veſtris benignis actibus univerſa Reipublicæ populus hucuſque vehementer afflictus hilareſcat, &c.* Certè miror tale Epinicium à S. Gregorio emiſſum, quale Patres Eccleſiæ primitivæ nequidem de hæreticis, & Juliano Apoſtata eciniſſe umquam legimus: Nam hæc ejus congratulatio nequaquam legi gratiæ & perfectæ manſuetudinis, quam alias ſæpe æmulatur Gregorius, congruit: ſiquidem Evangelium nos edocet tyrannos tolerandos eſſe, ut ſtatim probabimus. Unde S S. Vir aliquid humani paſſus in hac parte, quæ eſt mortalium conditio, creditur, fuerit

Mau-

Digitized by Google

Mauritius Tyrannus. At ipſemet Phocas Tyrannus percuſſor Mauritii, ipſo Mauritio longè deterior extitit, ac paulò pòſt lege Talionis juſto Dei judicio ſublatus eſt. Profectò Evagrius lib. 6. Hiſtoriæ cap. 1. narrat *Mauritium optimum fuiſſe Principem, in eoque veram pietatem & felicitatem coiviſſe; neque ſe id adulationis gratiâ dicere, cùm hæc ſcribat defuncto Mauritio.* Idem quoque teſtatur Paulus Aquileienſis Diaconus. Theophylactus verò Simocata lib. 8. refert Deum ſeſe ultorem cædis Mauritii geſſiſſe, atque ex tanta multitudine quæ in eum conſpiraverat, nullum extitiſſe qui non ferro, peſte, aut igne cælitùs miſſo perierit. Cauſa autem cur Exercitus in Mauritium conſpirarit duce Phoca, fuit quia militare ſtipendium minimè procederet; neque alia necis Mauritii cauſa ſatis veroſimilis affertur ab Hiſtoricis. Porrò, quod ait Bellarminus S. Gregorium Pſal. 101. tanquam de Tyranno loqui, eò quòd caput omnium Eccleſiarum Romanam ſibi vendicet, atque in Dominam gentium Jus terrenæ poteſtatis uſurpet: cùm ibidem non nominet Mauritium, probabilius eſt de Agilulpho Rege Longobardorum agere, quoniam iſte ſub Gregorii Magni Pontificatu urbem obſedit, atque Romanos extrema quæque pati coëgit, ut ſuprà jam obſervavi. Cæterùm Baronius annô 593. numero 18. Feſtivus eſt, dum perhibet Gregorium Magnum conteſtari *ſe non ut Epiſcopum iſta ſcripſiſſe, ſed jure privato loqui, quod ſatis ad excuſationem eſſe poteſt: cùm aliam agat perſonam tanquam in ſcena, ubi cujus quis perſonam induit, uti verbis debet inquit.* Contra, Baroni, more circulatorum, & tuæ & dignitatis Gregorii immemor, & cauſarum Eſſentialium miniſterialis poteſtatis Eccleſiæ, & propoſiti ſanctiſſimi Pontificis ignarus, præſtigias effutis. Enim verò Gregorius in hac Epiſtola Cæſarem alloquitur, partim ut Imperatorem, quando ſe ſervum jure Reipublicæ meminit: partim ut valde amicum & familiarem, qualis erat antequam fieret Cæſar. Quocircà hæc clauſula: *Sed jure privato loquor, quia ex illo tempore Dominus meus fuiſti, quando Dominus non omnium eras.* Mauritio revocat in memoriam illud tempus, quo Gregorius eo tanquam amiciſſimo & familiariſſimo utebatur: quaſi diceret, pro jure privato familiaritatis, quæ mihi tecum pridem interceſſit, antequam ad Imperium conſcenderes. B. Gregorius Turonenſis lib. 5. cap. 18. Hiſtoriæ ad Chilpericum Galliarum Regem, quem memorat voluiſſe Epiſcopos Conventus habere in cauſa prætextati Rothomagenſis Epiſcopi, quem Brunechildis jure vel injuriâ perdere volebat. *Si*

quis

Digitized by Google

quis de nobis, ô Rex, inquit Gregorius, *Juſtitiæ tramitem tranſcendere voluerit, à te corrigi poteſt: ſi verò tu exceſſeris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi: ſed ſi volueris, audis: ſi autem nolueris, quis te condemnabit, niſi is qui ſe pronuntiavit eſſe juſtitiam?* Quæ ſententia cauſis eſſentialibus utriuſque poteſtatis congruit. Cùm enim ſola civilis poteſtas jus habeat dominandi & cogendi per merum imperium, Rex Franciæ verbi causâ poteſt in Eccleſiaſticos peccantes jure animadvertere etiam gladio, ſi res poſtulet: ſi verò ipſe Rex peccaverit, Eccleſia eum cenſuris à communione Eccleſiaſtica poteſt excludere: pœnâ verò aut externâ coactione neque directè neque indirectè ullo modo plectere valet: quoniam Eccleſia ſolâ poteſtate miniſteriali ſpirituali prædita eſt. Quibus de cauſis omnes antiqui Patres & recentiores Doctores, qui commentaria in Pſalmos lucubrarunt in explicatione hujus clauſulæ Pſal. 50. *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci.* Nominatim perhibent Regem nullum ſupra ſe agnoſcere ſuperiorem in Temporalibus. Sunt autem innumeri Autores, quia nullus eſt liber ſacræ Scripturæ, cui enucleando plures Auctores oleum atque operam ſuam dependerint. Ego autem brevitatis ſtudio aliquos delectu habebo, ordiarque ab Arnobio: *Tibi ſoli peccavi. Omnis,* inquit, *qui ſub judicio vivit, cùm deliquerit peccat Deo: peccat & Legibus mundi. Hic autem Rex ſub nullo alio niſi ſub Deo ſolo agens ipſum ſolum ſuper poteſtatem ſuam metuens, Deo ſoli peccavit.*

B. Hieronymus epiſtolâ 46. ad Ruſticum. Canonizatâ de pœnitentia, diſt. 3. can. totum: *Tibi ſoli peccavi. Rex enim erat, alium non timebat, alium non habebat ſuprà ſe.*

S. Ambroſius in Apologia David cap. 4. *Qui tenentur Legibus, audent ſuum negare peccatum; dedignantur rogare indulgentiam quam petebat qui nullis Legibus tenebatur humanis.* Item cap. 10. *Tibi ſoli peccavi. Rex utique erat, nullis ipſe Legibus tenebatur, quia liberi ſunt Reges à vinculis delictorum: neque enim ullis Legibus ad pœnam vocantur, tuti Imperii poteſtate. Homini ergo non peccavit, cui non tenebatur obnoxius.*

Gloſſa ordinaria ex Caſſiodoro: *Tibi ſoli peccavi; quia Rex omnibus ſuperior tantùm à Deo puniendus eſt.* Item Lyranus: *Tibi ſoli peccavi tanquam judici, & punire potenti.* Peccaverat enim contra Uriam, & alios occaſione hujus interfectos: tamen quia Rex erat, non habebat judicem ſuperiorem, qui poſſet eum punire, niſi Deum. Quem locum B. Thomas citat 1. 2. quæſt. 96. articulo 5. ad 3. *Dicendum eſt,* ait, *quòd Princeps dicitur eſſe ſolutus à Lege quantùm ad vim coacti-*

vam legis: nullus enim propriè cogitur à ſeipſo: Lex autem non habet vim coactivam niſi ex Principis poteſtate. Sic igitur Princeps dicitur eſſe ſolutus à Lege, quia nullus in ipſum poteſt judicium condemnationis ferre, ſi contra Legem agat. Unde ſuper illud Pſal. 50. *Tibi ſoli peccavi, dicit gloſſa quod Rex non habet hominem, qui facta ſua dijudicet; ſed quantum ad vim directivam Legis, Princeps ſubditur Legi propriâ voluntate.*

III. Cardinalis Bellarminus inſtar omnium nobis eſſe debet, Commentariis in Pſal. 50. *Tibi ſoli peccavi*, ait: *Non dicit contra te ſolum peccavi; peccaverat enim contra Uriam quem occiderat, & contra Bethſabeam quam adulteraverat, & contra populum quem ſcandalizaverat.* Sed dicit: *Tibi ſoli peccavi nimirum ut judici apud quem ſolum convinci poterat. Nam nec alium judicem habebat.* Hæc ibi. Quod autem cap. 8. adversùs Barclaium occupat verſum *tibi ſoli peccavi*, de ſæculi, non de Eccleſiæ Legibus intelligi oportere, ultrò concedo. Nimirum Principes politicos teneri Eccleſiæ Legibus; & ſi parere detrectent, cenſuris poſſe appeti ſervatâ moderatione parabolæ zizaniorum, de qua libro ſequenti. Sed contendo ampliùs excommunicationem eſſe ultimam, & omnium pœnarum maximam, quam Eccleſia poteſt irrogare, ut paulò poſt demonſtrabitur. Summa ergo ſententiæ omnium autorum qui Pſal. 50. Commentariis illuſtrarunt, eſt, *Regem à ſolo Deo judicari & puniri poſſe temporaliter, neque alium ſupra ſe Judicem agnoſcere, qui aliquâ pœnâ ſæculari per modum coactionis illum in ordinem cogere valeat.* Primus omnium Gregorius VII. jus & poteſtatem Reges Chriſtianos abdicandi ſibi arrogavit, quem deinde ſucceſſores ſequuti ſunt & imitati in mala cauſa. Unde Innocentius III. Commentariis in Pſal. 50. blandiente cathedrâ hæc memorat: *Sanè aliud eſt in aliquem, & aliud alicui peccare: In aliquem peccat, qui committit in illum offenſam: alicui peccat, qui ejus ſubjacet ultioni: Rex itaque ſoli Deo: Cæteri verò & Deo peccant & Regi. Quid ergo non poſſunt Eccleſiarum Prælati, maximè Summus Pontifex punire Principes ſæculares, ſi moniti contempſerunt ſatisfacere de Commiſſis, tanquam ipſi Deo ſoli, & non homini peccent? Nam & cor Regis in manu Dei eſt, & quocumque voluerit, vertet illud. Poſſunt quidem, quoniam ex quo Jeſus Nazarenus fuit unctus oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis, & factus eſt Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, regnum non dedignatur Sacerdotio ſubjacere. Quod etiam inde patet quia unctio Sacerdotis remanſit in capite: unctio verò Regis à capite deſcendit in humerum. Unde cùm priùs eſſet regnum Sacerdotale, ſicut Moſes, inquit in Lege:*

Digitized by Google

ge: Nunc Sacerdotium eſt Regale, ſicut Petrus in epiſtola ſua dicit: Et qui dixit B. Petro: quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis. Dicendo quodcumque, nihil excipit: ut oſtenderet manifeſtè quòd tam Reges quàm alios traditâ ſibi poteſt auctoritate ligare, quamvis in hoc illis praemineat vice Dei. Quare cum Princeps hoc modo peccat Pontifici, peccat nihilominus ſoli Deo, &c.

Hæc Innocentius in propria cauſa, quem pariter Baronius tomo priore Annalium ad annum Chriſti 34. imitatur, hunc textum 1 Petri cap. 2. ad ſuum propoſitum adducens. *Vos autem genus electum, Regale Sacerdotium, gens Sancta, populus acquiſitionis, &c.* Hinc enim laborioſiſſimus Scriptor Annalium probare anhelat, *Regnum David unà cum Pontificatu tranſlatum & collatum Pontificibus Eccleſiæ Catholicæ.* Idque ex Epiphanio perperam munire tentat hæreſi 29. Sed profectò miror homines obnoxios tam fragilibus & arundineis uti poſſe argumentis contra Leges dogmaticæ Theologiæ, & genuinum Scripturæ ſenſum. Primùm autem obſervatione dignum eſt Deum, Exod. 19. præcipere Moſi *ut hæc dicat domui Iſraël, ſi audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea eſt enim omnis terra: Et vos eritis mihi Regnum Sacerdotale & gens ſancta. Hæc ſunt verba quæ loqueris ad filios Iſraël.* Quâ loquendi formulâ nihil aliud Deus oſtendere voluit quàm eos, qui ejus mandata ſervant, ei eſſe in delitiis maximis. Gloſſa interlinearis: *Eritis mihi in peculium de cunctis populis, id eſt, ſpecialis populus quem paſcam, defendam, & ſicut gregem proprium nutriam: & vos eritis mihi in regnum Sacerdotale & gens ſancta. Unde Petrus: Genus electum, Regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis.*

Primæ Petri 2. Lyranus: *Eritis mihi in peculium, &c. Per hoc intelligitur quòd Iſraël inter omnes populos ſit magis approbatus & ſpecialis ipſi Deo, ſi legem obſervet, & hoc magis patet in textu Hebræo, ubi habetur ſic: Eritis mihi amicabilitas de cunctis populis; id eſt excellenter dilectus populus: quod ſignificat per nomen abſtractum, ut ſi quis diceret de aliquo, quod non ſolùm eſt liberalis, ſed ipſamet liberalitas: Et vos eritis mihi in Regnum ſacerdotale, id eſt in Regnum maximum, quia nomine ſacerdotii aliquando majoritas intelligitur apud Hebræos, ut Exodi 2. Erant autem Jethro ſacerdoti Madian ſeptem filiæ, id eſt magnati & Principi Madian.* Item 2 Regum cap. 8. *Filii autem David Sacerdotes erant, id eſt majores & primi poſt Regem.* Ad hunc ergo textum & formulam loquendi Moſis S. Petrum alluſiſſe tam certum, quàm

Digitized by Google

quod certiſſimum eſt: voluit enim phraſi Hebræis propriâ deſignare omnes Chriſtianos tam Laicos quàm Clericos qui Legem Dei ſervarent, eſſe ſingulariter in delitiis Chriſto, ſicut quondam fuerat populus Iſraël: quem, ut ait Moſes Exodi 19. *Deus portaverat tanquam ſuper alas ſuas.* Id eſt ſibi privatim tutandum & gubernandum delegerat de cunctis nationibus & populis. Gloſſa in hæc verba Petri: *Vos autem genus electum, Regale ſacerdotium, &c. Hoc teſtimonium laudis quondam antiquo populo per Moyſen datum, gentibus dat Apoſtolus, qui in Chriſtum credunt, qui veluti lapis angularis in eam quam Iſraël ſalutem in ſe Chriſtum habuerat, gentes adunavit.* Profectò textus integer Petri omnem ambigendi occaſionem tollit: *Vobis igitur credentibus honor: non credentibus autem lapis quem reprobaverunt ædificantes hic factus eſt in caput anguli, & lapis offenſionis, & petra ſcandali his qui offendunt verbo, nec credunt in quo & poſiti ſunt. Vos autem genus electum, Regale ſacerdotium, gens ſancta, Populus acquiſitionis, ut virtutes annuntietis ejus qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum: Qui aliquando non populus Dei, nunc autem populus Dei: qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſequuti, &c.* Huc quoque referri debet illud Apocalypſeos 1. *Jeſus Chriſtus qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & fecit nos Regnum & ſacerdotes Deo & Patri ſuo, ipſi gloria & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.* Item cap. 5. *Et redemiſti nos Deo in ſanguine tuo ex omni Tribu, & Lingua, & Populo, & Natione, & feciſti nos Deo noſtro Regnum, & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram, &c.* Lyranus ad hæc verba Petri: *Vos autem genus electum, &c. ſupple eſtis per Baptiſmum, in quo facti eſtis filii Dei adoptivi & per conſequens de genere ejus. Regale ſacerdotium, id eſt, conformati Chriſto qui eſt Rex & Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchizedech, qui fuit Rex & Sacerdos.* Geneſis 14. *Et ſic eſt de veris Chriſtianis qui ſunt Reges per ſubjectionem paſſionum, & Sacerdotes per orationis devotæ ſacrificium:* Ideo dicitur Apocalyp. 5. *Feciſti nos Deo noſtro Regnum & Sacerdotes, &c.* D. Thomas in caput 2. Epiſtolæ Jacobi ad hæc verba: *Si tamen legem perficitis Regalem, id eſt, adimpletis Legem Evangelii, quæ dicitur Regalis ab effectu, quia Reges facit.* Apocalyp. 5. *Feciſti nos Deo noſtro Regnum & Sacerdotes.* Et 1 Petri 2. *vos eſtis genus electum, Regale Sacerdotium, &c.* Hæc ergo eſt vera atque genuina notio literalis ſenſus harum vocum: *Sacerdotium Regale, & Regnum Sacerdotale.* Quibus oſtenditur Deum illos ipſos quos ad ſui cognitionem evexit, ad quam-

Digitized by Google

quamdam Regiam dignitatem ſpiritualem præ aliis hominibus efferre: *Ita ut ſibi ipſis & lex & norma rectè vivendi exiſtant:* nec humanis legibus metu pœnæ, ſed virtutis amore ſubjiciantur: *quia juſto non eſt lex poſita.* Prioris ad Timoth. 1. Ex quo fit ut Chriſtiani ſuo etiam modo ſint Reges, ſicut de ſtoicorum ſapiente imaginario circumferunt. Ideoque D. Jacobus Euangelium vocat Legem perfectæ libertatis cap. 1. Et cap. 2. Legem Regalem. Joannes de Pariſiis cap. 19. de poteſtate Regia & Papali ſtatim initio reſpondet ad Innocentii III. argumentum, aitque Sacerdotium Legis Euangelicæ *dici Regale à Regno Cæli non mundi, quia ad illud, non ad hoc dirigit. Et ſecundùm intentionem B. Petri hoc dici de omnibus fidelibus, qui in quantum ſunt unum cum Chriſto capite, in ipſo ſunt Reges & Sacerdotes, attribuendo membris, quod eſt capitis ſecundùm regulam Tyconii.* Et hæc quoad primum. Ad ſecundum de Epiphanio & Baronio concedimus Chriſtum miſiſſe Sacerdotes in ſui regni poſſeſſionem & gubernationem. Lucæ 22. *Ecce vobis diſpono regnum ſicut diſpoſuit mihi Pater, &c.* Quod regnum planè ſpirituale eſt, caretque omni dominio, & abſolutâ poteſtate cogendi temporaliter, ut ſtatim patebit. Tertiò annuimus pariter Innocentio, Chriſtum, quando dixit: *quodcumque ligaveris.* Nihil quidem excepiſſe quoad poteſtatem ſpiritualem ligandi & ſolvendi animas à vinculis peccatorum: quoniam, ut ait S. Bernardus: *Poteſtas Eccleſiæ ſita eſt in criminibus, non in poſſeſſionibus aut rebus temporalibus.* Quartò quod ait: Poſtquam Chriſtus factus eſt ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchizedech, Regnum non dedignari ſubjacere ſacerdotio, verum eſt in ſpiritualibus, ut jam dixi reſponſione ad 3. Quintò hæc verba Innocentii: *Unctio Sacerdotis remanſit in capite; unctio verò Regis à capite deſcendit in humerum.* Sunt planè allegorica, nihilque cauſam abſolutæ Monarchiæ apud rectè ſentientes juvant. Cæterùm quæ D. Petrus cunctis Chriſtianis piè in Chriſto viventibus ex æquo tribuit, ad unius Papæ abſolutam Monarchiam ſtabiliendam trahi ab Innocentio nemo mirabitur; qui reſciverit abſoluto Monarchæ, qualem ſe hîc poſt Gregorium VII. venditat Innocentius, quodcumque libuerit, licitum eſſe. Ex quo fit ut hi de indubitatis & clariſſimis canonibus ſcripturæ in privatum commodum ſæpiſſimè ludant, quod propriis locis demonſtrabimus. Equidem dum ad Curiæ Romanæ ſolertiam attendo, magna me inceſſit admiratio. Cùm enim Reges abſolutâ civilis poteſtatis Majeſtate ſic jure divino & naturali obvallatos perſpiceret, ut univerſos ho-

Digitized by Google

homines ambitu regni ſui judicare, & à nemine judicari poſſent: hoc quidem Regibus ſæculi detraxit, ut Romano Pontifici contra jus divinum & naturale arrogaret: quæ metamorphoſis omnes omnium Poëtarum transformationes longè exſuperat.

Hercle communis eſt Doctorum ſententia: *quod in Veteri Teſtamento Regnum præeminebat Sacerdotio.* Quocircà Abulenſis Epiſcopus non modò Aaronem Moſi, verùm etiam Eleazarum ſummum Sacerdotem, Joſue tanquam Regi ſubjicit, Commentariis in 27. caput Numerorum explicans hæc verba: *Ad verbum ejus egredietur & ingredietur ipſe, & omnes filii Iſraël.* Primùmque quæſt. 41. *Ad petitionem Joſue Eleazar Sacerdos inquiret à Domino reſponſionem de his quæ facere deberet Joſue; & ſic obligabatur Eleazarus conſulere Dominum quandocumque Joſue diceret ut conſuleret, &c.* Item quæſt. 47. *Ad verbum ejus egredietur, &c. Id eſt Eleazarus Sacerdos ſerviet ad præceptum Joſue, ſcilicet faciendo quicquid ipſe juſſerit: Accipitur autem egredi & ingredi ex modo loquendi pro omni operatione, &c. Conſiderandum autem quòd hic præponitur Joſue, quia erat princeps ſæcularis ſummo Sacerdoti directè, ita ut teneretur Eleazarus obedire Joſue in omnibus quæ juberet, ſicut cæteri de populo. Et ſic fuit tempore Moyſi, quia ipſe non erat Sacerdos, Aaron tamen qui erat ſummus Sacerdos, obediebat illi, quia erat Princeps populi. Et ſic fuit in toto Veteri Teſtamento quod Sacerdotes ſummi eſſent ſub Regibus.* Huc uſque Abulenſis. Rectè quidem; quod verò ſubjungit: *Nunc è contrario, quia omnis ſæcularis poteſtas obedit Summo Pontifici, qui eſt inter omnes viros Eccleſiaſticos ſicut ſummus Sacerdos inter omnes Sacerdotes & Levitas Hebræorum: Nunc autem ſunt duæ Juriſdictiones totaliter diſtinctæ, &c. In Veteri Teſtamento erat unica Juriſdictio omnium, & tam Sacerdotes quàm ſæculares eiſdem legibus judicabantur, ut utriſque in criminalibus poterat infligi pœna ſanguinis, &c.* Quod inquam hæc ſubjungit, cum grano ſalis Euangelicæ Legis ſunt capienda, nimirum Eccleſiaſtica Eccleſiaſticis, & ſæcularia ſæcularibus eſſe relinquenda, & Eccleſiaſticos quoad civilia & temporalia Magiſtratibus politicis eſſe ſubditos, niſi jure humano eximantur, quoniam certiſſimum eſt jure divino & naturali ſubjici.

Cæterùm mirari fortè poterit aliquis teſtatum aſſerere Moſem non fuiſſe Sacerdotem, cum Pſal. 98. contrarium doceatur: *Moſes & Aaron in Sacerdotibus ejus.* Sed reſpondet Toſtatus Moſem jure extraordinario fuiſſe Sacerdotem, & *poſtquam Sacerdotes conſecravit qui miniſtrare poſſent, numquam dehinc miniſtraſſe* cap. 29. in Exodum quæſt. 4.

Idem

Digitized by Google

Idem 3 Regum cap. 2. quæſt. 31. docet Salomonem jus habuiſſe vitæ & necis in Abiatharem ſummum Sacerdotem. *Dicendum quod Salomon non peccavit privando Abiathar ſummo Sacerdotio, quia cum poſſet Salomon occidere eum juſtè, à fortiori poterat ei infligere quamlibet aliam pœnam, quia qualibet alia pœna eſt minor quàm mors, &c. Cauſa autem pro qua privavit eum Sacerdotio, fuit quia Abiathar commiſit crimen læſæ majeſtatis: ſcilicet quia cùm Adonia & Joab participabat in machinationibus & conſpirationibus contra Salomonem, & pro iſto crimine quilibet meretur mortem: ſubjungit Salomonem habuiſſe juriſdictionem ſuper omnes Iſraëlitas tàm laicos quam Sacerdotes, quia apud Hebræos non fuit diſtincta Juriſdictio Eccleſiaſtica & ſæcularis ſicut hodie.* Eadem quoque confirmat 4. Regum cap. 12. quæſt. 8. circa medium, ubi explicat quomodo Joas potuerit ſe immiſcere regendis collectionibus quæ fiebant pro ſartis tectis Templi. Ad 2. *Dicendum ait quod Rex ſe intromittebat de Juriſdictione ſuper Sacerdotes: nec propter hoc ſe intromittebat de Juriſdictione aliena, quia non erant diſtincta in Veteri Teſtamento Juriſdictio Eccleſiaſtica & ſæcularis, ſed erat unica Juriſdictio, & Rex præerat huic Juriſdictioni: Ideo ipſe habebat poteſtatem ſuper Sacerdotes, & poterat eos occidere pro crimine, ſicut quoſcumque laicos, & à fortiori privare eos officiis ſuis & dignitatibus, quantumcumque illæ eſſent ſpirituales, & Deus ſubjecerat Sacerdotes popularibus. Patet* Numerorum 27. *Ubi conſtitutus eſt Joſue in principem ſæcularem, quia non erat de ſtirpe Sacerdotali nec Levitica, ſed de Tribu Ephraïm* Numerorum 13. *Et tamen Deus dixit quod Eleazarus ſummus Sacerdos faceret omnia quæ juberet Joſue. A fortiori ergo Reges haberent poteſtatem ad intromittendum ſe ſuper Sacerdotes, cùm major fuerit poteſtas Regum, quàm Joſue, ut declaratum eſt in prologo primo ſuper primum librum hujus.*

IV. Hector Pintus Hiſpanus Commentariis in Ezechielem cap. 45. ad hæc verba: *Sufficiat vobis, Principes Iſraël, &c. Aſpicis igitur altiores eſſe Sacerdotes Regibus & Principibus in rebus animam concernentibus: At in rebus profanis Reges non ſubjiciuntur Sacerdotibus: nec verum eſt quod dicere poſſunt nonnulli, fuiſſe Hebræorum Reges à Sacerdotibus electos, quales fuerunt Saul & David. Nam neuter eorum fuit à Sacerdote aliquo electus, & in Regia dignitate conſtitutus, ſed à Deo, etiamſi electio illa à Sacerdote fuerit publicè oſtenſa, ſi fortaſſe Samuel erat Sacerdos.*

Deinde poſt pauca Pintus ſic pergit: *Et quamvis Sacerdos fuerit Samuel, numquam tamen invenies & Saulem aut Davidem in Temporalibus*

pa-

paruiſſe: nec ullum Hebræorum Regum quoad ea fuiſſe ſubditum Sacerdotibus, quatenus Sacerdotes erant, etiamſi Samueli & aliis, quatenus juſti & ſapientes erant, & Dei nuncii parere tenerentur in rebus juſtis à Deo præceptis. At hoc non erat Sacerdotibus obtemperare, ſed Deo: Habent enim Reges in Temporalibus ſuperiorem neminem, etiamſi in ſpiritualibus Sacerdotibus ſubjiciantur.

Caput IV.

I. *Variorum Conciliorum decreta de ſuprema Regum auctoritate in Temporalibus.*
II. *De Gallorum fidelitate in ſuos Principes, antequam Jeſuitæ Scholas ſuas aperuiſſent.*
III. *Nefas eſſe de ſalute Principis aliquid perſcrutari.*
IV. *De duplici clave, nimirum Juriſdictionis & diſcretionis: quarum hæc Laicis etiam competit: & nihil ineſſe articulo tertii Ordinis quod juri divino, naturali & Catholico conſenſui Patrum, ac praxi Eccleſiæ primitivæ non conſentiat.*

I. UT univerſalis Eccleſiæ Traditionem altiùs vindicemus, ſuperioribus Patrum teſtimoniis aliquot Canones Conciliorum adjungam, quibus edocemur capita Regum ſemper fuiſſe Chriſtianis ſacro-ſancta, nec licitum prætextu Tyrannidis in illos violentas manus injicere: quandoquidem Patres quarti Concilii Toletani anno Chriſti 633. hæc ſtatuerunt adverſus Regum Aſſaſſinos: *Multarum quippe gentium, ut fama eſt, tanta erat perfidia animorum, ut fidem ſacramento promiſſam Regibus ſuis ſervare contemnant, & ore ſimulent juramenti profeſſionem, dum retineant mente perfidiæ impietatem. Jurant enim Regibus ſuis, & fidem quam pollicentur, prævaricant; nec metuunt volumen illud judicii Dei, per quod inducitur maledictio, multaque pœnarum criminatio ſuper eos qui jurant in nomine Dei mendaciter. Quæ igitur ſpes talibus populis contra hoſtes laborantibus erit? quæ fides ultrà cum aliis gentibus in pace credenda? quod fœdus non violandum? quæ in hoſtibus jurata ſponſio ſtabilis permanebit? quando ipſis propriis Regibus juratam fidem non ſervant? Quis enim adeo furioſus eſt, qui caput ſuum manu ſuâ propriâ deſecet? Illi, ut notum eſt immemores ſalutis ſuæ propriâ manu ſeipſos interimunt, in ſemetipſos, ſuoſque Reges proprias convertendo vires. Et cum Dominus dicit: Nolite tangere Chriſtos meos. Et David: Quis, inquit, extendet manum ſuam in Chriſtum Domini, & innocens erit? Illis nec vitare metus eſt perjurium, nec Regibus ſuis inferre exitium. Hoſtibus quippe fides pacti datur, nec violatur: Quod ſi in bello fides valeat, quanto magis in ſuis ſervanda eſt*

ſacri-

Digitized by Google

ſacrilegium quippe eſt, ſi violetur à gentibus Regum ſuorum promiſſa fides, quia non ſolùm in eos fit pacti tranſgreſſio, ſed & in Deum in cujus nomine pollicetur ipſa promiſſio. Indè eſt quod multa regna terrarum cœleſtis iracundia ita permutavit, ut pro impietate fidei & morum alterum ab altero ſolveretur: unde & cavere oportet caſum hujuſmodi gentium, ne ſimiliter plagâ feriamur præcipiti, & pœnâ puniamur crudeli, &c. Quod ſi divinam iracundiam vitare volumus, & ſeveritatem ejus ad clementiam provocare cupimus, ſervemus erga Deum religionis cultum atque timorem: cuſtodiamus erga Principes noſtros politicam fidem atque ſponſionem: Non ſit in nobis ut in quibuſdam gentibus infidelitatis ſubtilitas impia, non ſubdola mentis perfidia, non perjurii nefas, nec conjurationum nefanda molimina: Nullus apud nos præſumptione regnum arripiat: nullus excitet mutuas ſeditiones civium: nemo meditetur interitus Regum. Sed defuncto in pace Principe, Primates gentis cum Sacerdotibus regni concilio communi conſtituant: ut dum unitatis concordia à nobis retinetur, nullum patriæ gentis diſſidium per vim atque ambitum moliatur. Quod ſi hæc admonitio mentes noſtras non corrigit, & ad ſalutem communem cor noſtrum nequaquam perducit, audi ſententiam noſtram. Quicumque ergo ex nobis vel totius Hiſpaniæ populis qualibet conjuratione vel ſtudio Sacramentum fidei ſuæ, quod pro patriæ, gentiſque Gothorum ſtatu vel conſervatione Regiæ ſalutis pollicitus eſt, temeraverit, aut Regem nece attrectaverit, au poteſtate regni exuerit, aut præſumptione tyrannicâ regni faſtigium uſurpaverit, anathema ſit in conſpectu Dei Patris & Angelorum; atque ab Eccleſia Catholica quam prophanaverit perjurio, efficiatur extraneus, & ab omni cœtu Chriſtianorum alienus cum omnibus impietatis ſuæ ſociis, quia oportet ut una pœna teneat obnoxios, quos ſimiliter error invenerit implicatos, &c. Quod Patrum Toletanorum Decretum quatuor capit notabilia. Primum, Gothos pridem ante in Hiſpanias vi armorum invaſiſſe, eaſque ſubegiſſe: quo tempore hæreſi Arrianâ contaminati erant; atque Reccaredum Gothorum Regem tum demùm in Concilio Toletano, abjurato Arrianiſmo, nomen dediſſe Religioni Catholicæ cum tota ſua gente circa annum Chriſti 627. ſub Gelaſio II. Papa; eamque ob rem Hiſpanos Recaredo fidelitatem juraviſſe. Unde cum Patres quarti Concilii Toletani anno Chriſti 633. obſervaſſent quibuſdam furioſis perſuaſum eſſe, quod minimè licitum eſſet fidem ſervare Regibus Gothorum, hunc canonem condiderunt. Herclè cum ad placita Directorii Inquiſitorum attendo, quæ filios hæreticorum quamquam

Digitized by Google

maximè Catholicos ad ullum Principatum, Magiſtratum aut officium Eccleſiaſticum admitti, & hæreticis fidem datam ſervari prohibent, ut libro 4. oſtendetur, mihi facilè perſuadeo quoſdam in Hiſpania furioſos extitiſſe, qui Regibus Gothis tametſi ad Religionem Catholicam converſis fidem ſervari oportere negarent; quam impietatem Patres Toletani damnant, & illos qui talia venditant dogmata, Eccleſiam perjurio prophanaſſe decernunt. Porro cum ſacramentum fidelitatis non Regibus aut politicis poteſtatibus formaliter & in genere, ſed privatim huic & illi Principi Henrico, Ludovico, &c. id eſt politicis poteſtatibus exiſtentibus, ut loquitur Apoſtolus, tantùm præſtari queat. Miror quidem Bellarminum cap. 31. adverſus Barclaium, Scholæ diſtinctione auſum veritati ſempiternæ fucum facere, aſſerendo juris eſſe divini, ſervire atque obedire Regi: juris autem humani hunc aut illum Regem habere. Quæ argutia ſi in Regibus admittatur, locum pariter habebit in Papa: diceturque juris eſſe divini obedire Pontifici in genere, ſed juris humani hunc aut illum habere Papam, ſcilicet Petrum, Paulum, Clementem, &c. Herclè ſi Dominus huic aut illi Regi nominatim & ſigillatim obediendum eſſe præcepiſſet, Artifices æquivocationum exciperent præceptum non eſſe Catholicum & de omni, ſed ad hunc aut illum Regem perſonaliter reſtringi debere: ſicque nullus umquam eſſet apud illos, ut revera nullus eſt finis cavillandi. Proculdubio cùm omnia præcepta Legis Euangelicæ ſint Catholica & de omni, ſicut Lex divina & naturalis, cui politicæ poteſtates innituntur, ad omnes Reges legitimè aſſumptos ſingulares & exiſtentes debent extendi. Quemadmodum præceptum generale, ne cuiquam homini noceamus, nominatim & privatim quoque de Petro & Paulo intelligi debet, An non in ſpecie individua ſynonimè comprehenduntur? Et quoniam in ſacramentum fidelitatis incidimus, pretium eſt ſcire non illos tantùm ejuſmodi ſacramento obſtringi, qui illud explicitè coram Magiſtratibus emiſerunt: verùm etiam quotquot ambitu alicujus Principatus & Reipublicæ jure & titulo ſubjectionis continentur. Nam omnes coactioni & directioni Magiſtratus politici jure divino & naturali ſubjiciuntur: Certumque eſt ſacramentum quod ſuper ea re editur coram Principe aut Magiſtratu politico, non aliquod jus novum aſtruere, ſed vetus explicare, niſi fortè cùm Principes jure gentium ſibi jus novum in aliquam gentem aut nationem devictam comparant. Quocirca hæc ſolemnitas ſacra-

Digitized by Google

ſacramentorum nihil aliud conſignat aut exhibet præter publicum teſtimonium, cujus ope illi qui ſuo Principi parere detrectant, ſolemniter perjurii atque rebellionis argui & convinci poſſunt, ut fit in publicis contractibus qui violantur.

II. Secundum notabile eſt, illos qui fidem Principi ſuo juratam violant, publicæ pacis fundamentum, & ſocietatis humanæ vinculum omnino exſcindere, quoniam fides eſt dictorum, factorumque conſtantia, & ſimplex, minimeque fucata veritas. Quare Patres Toletani ſic in perfidos decernunt: *Quæ enim ſpes talibus populis contra hoſtes laborantibus erit? Quod ſi in bello adverſus hoſtem fides valeat, quanto magis Regibus ſuis ſervanda?* Concluduntque permagnum eſſe ſacrilegium fidem Principi datam non ſervare. Profectò antequam Gallia novis atque exoticis Jeſuitarum technis, quæ libro 4. ex eorum libris & inſtituto fideliter explicabuntur, imbuta eſſet, Gallorum candor, fides, & ingenuitas tum erga Principes ſuos, cùm erga omnes ubique nobilitabatur, & ſuſpiciebatur ab univerſis gentibus, quæ hodie fabulæ atque ludibrio nos habent, maximè ob cædem duorum fortiſſimorum & optimorum Regum noſtrorum. Enimverò qui Principi ſuo fidem non ſervat, quomodo eam alienis & exteris ſervabit? Quanto autem amore & fidelitate olim Galliæ populi Principes ſuos proſequerentur, partim domeſticis, partim externis teſtimoniis facilè eſt comprobare; ordiarque ab externis, id eſt, ab Onuphrio, Panuino in præfatione libri 4. de Imperatoribus. *Mirum illud obſervandum eſt*, ait, *quod cùm nulla gens umquam fuerit, quæ aut externos Principes non admiſerit, aut aſſumptos interdum non expulerit, ſæpe etiam per ſummum ſcelus non occiderit, ſolis Francis hoc peculiare eſt ac proprium, nullos umquam exteros Reges pati, ſuos autem uſque adeò amare & colere, ut pro eorum dignitate ac majeſtate tuenda, non opes tantùm, ſed & vitam profundere ſoleant. Hinc eveniſſe credendum eſt, ut per mille & ducentorum ferè annorum intervallum nonniſi ex tribus familiis tot Reges Francis orti ſint.*

Eadem quoque ante Onuphrium Baptiſta Egnatius in præfatione libri primi Imperatorum enarravit. Domeſticum teſtimonium extat inter Acta & ſuaſiones trium Ordinum Conventuum Regni Franciæ editum Turonibus ſub Carolo VIII. quod hic exſcribam ex editione Gallioti à Prato Typographi Pariſienſis anno 1558. fol. 2. verſo. *La premiere cauſe pour laquelle il a plû au Roy noſtre Souverain Seigneur mander les Deputez par les Etats de ſon Royaume & parties adjacentes, eſt*

 pour

Digitized by Google

pour la loyauté, obéiſſance & ſubjection que tous les Etats de ſon peuple de France ont montré envers luy en ſon joyeux advenement & deſirée ſucceſſion au Royaume, comme toûjours ont eu envers les Roys ſes predeceſſeurs plus que nul autre peuple du monde. Idem fol. 64. recto. *Quartement les diviſions viennent pour l'inſtabilité, mauvaiſtié & deſloyautè du peuple comme en Angleterre ils ont ſouvent mis à mort leurs Roys, ce que ne fit jamais le bon & loyal peuple de France, duquel, Sire, vôtre feu pere a fort experimenté la loyauté.*

Tertium notabile eſt, illos qui propriis Regibus manus ſceleratas inferunt, meritò furioſis qui ſibi ipſis propriâ manu caput deſecant, comparari: cujus rei certiſſima exempla vidimus in Galliis poſt Henricum III. & IV. parricidio interemptos: ne in externis exemplis quærendis immoremur. Deus bone, quantum inde cladis, calamitatis & miſeriarum totum hoc regnum privatim & publicè hauſit? Quartò Patres Toletani docent impia dogmata de abdicandis aut occidendis Regibus perfamiliarem & conjunctiſſimam habere artem mentiendi & æquivocandi. Nam initio hujus Canonis habetur: *Perfidos ore ſimulare juramenti profeſſionem, & mente retinere perfidiæ impietatem.* Deinde aliquantò poſt: ejuſmodi conatus nefarios alere *impiam ſubtilitatem infidelitatis, ſubdolam mentis perfidiam, perjurii nefas, & conjuratorum nefanda molimina.*

Equidem homines qui ſeſe tam execrandis facinoribus peragendis devovent, tanquam Cameleontes perfidos, & verſipelles ac callidos Protheos in arte ſimulandi & ſubtiliter mentiendi egregiè inſtructos eſſe oportet, ut cautiùs Reges quos perdere volunt, aggrediantur. Quam in rem Joannes Mariana arcana præcepta condidit, ut ſaluti perfidorum Aſſaſſinorum conſuleret libro 1. de Principis inſtitutione cap. 7. Etenim cenſet tutius eſſe veneno quàm ferro Principes tollere. Quæ etiam in officina inſtructus fuit Rideconius Dominicanus Gandavenſis, qui ut faciliùs & abſque ulla fraudis & doli mali ſuſpicione Henricum IV. invaderet ac interimeret, conſilio Jeſuitæ cujuſdam directoris ſui, ſeſe priùs in arte tractandi arma, choræaſque ducendi, &c. informandum tradiderat: quod ego ab ipſis illis judicibus accepi, qui litem capitalem in Rideconium inſtruxerunt, eumque hæc ipſa, pluraque alia confitentem audierunt. Nam Rideconius dum captus eſt, Aulici, non religioſi veſtimenta gerebat. Certè nulla pars eſt hujus doctrinæ peſtilentis quam Jeſuitæ docent, quæ Canone Scripturæ, & traditione Catholicâ Eccleſiæ uni-

Digitized by Google

univerſalis non planè damnetur. 5. Patres Toletani cùm decretis 4. Concilii Toletani hominum nefariorum audaciam minimè reprimi viderent, in 5. Concilio Toletano circa annum Chriſti 636. plura alia decreta in eamdem cauſam ediderunt, quorum hîc unum ex cap. 2. adſcribam: *Conteſtamur omnes præſentes & abſentes, vel etiam futuris temporibus ſubſequentes coram Deo & Angelis ejus, quod ſi quiſquam noſtræ conteſtationis temerator extiterit, & quacumque argumentatione odiosè Reges moleſtare, aut in aliquo fuerit conatus lædere, ſit anathema in Chriſtianorum omnium cœtu, atque ſuperno condemnetur judicio: ſit exprobrabilis omnibus Catholicis, & abominabilis ſanctis Angelis in miniſterio Dei conſtitutis: ſit in hoc ſæculo perditus, & in futuro damnatus qui tam rectæ proviſioni noluit præbere conſenſum.*

Cap. 4. *Ergò quia & Religioni inimicum, & hominibus conſtat eſſe ſuperſtitioſum futura illicitè cogitare, & caſus Principum exquirere, ac ſibi in poſterum providere; cum ſcriptum ſit: non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta quæ Pater poſuit in ſua poteſtate: hoc decreto cenſemus ut quiſquis inventus fuerit talia perquiſiviſſe, & vivente Principe in alium attendiſſe pro futura Regni ſpe, aut alios in ſe propter id attraxiſſe, à Conventu Catholicorum excommunicationis ſententia repellatur.*

Cap. 5. *Sed & hoc pro peſtilentioſis hominum moribus ſalubri ordinatione cenſemus, ne quis in Principem maledicta congerat: Scriptum eſt enim à Legiſlatore: Principem populi tui non maledices. Quòd ſi quis fecerit, excommunicatione Eccleſiaſticâ plectatur. Nam ſi maledici regnum Dei non poſſidebunt, quantò magis talis ab Eccleſia neceſſariò pellitur, qui divinæ violator ſententiæ invenitur.*

Cap. 7. *Propter malarum mentium facilitatem & memoriæ oblivionem, hoc ſacratiſſima ſtatuit Synodus: ut in omni Concilio Epiſcoporum Hiſpaniæ univerſalis Concilii decretum, quod propter Principum noſtrorum eſt ſalutem conſtitutum, peractis omnibus in Synodo, publicâ voce debeat pronuntiari: quatenus ſæpè ſupplicatum auribus, vel aſſiduitate iniquorum mens territa corrigatur, quæ ad prævaricandum & oblivione & facilitate producitur.*

Item cap. 17. ſexti Concilii Toletani anno Chriſti 638. *Quamquam in Concilio anteriori, quod anno primo glorioſiſſimi Principis noſtri habitum eſt, de hujuſmodi re fuerit promulgata ſententia, tamen placet iterare quod convenit cuſtodire. Itaque Regis vitâ conſtante nullus ſibi aliquo opere vel deliberatione ſeu cujuſcumque dignitatis Laicus, ſeu gradus Epiſcopatus, Presbyteri aut Diaconi conſecratus, cæteriſque clericatus officiis*

ciis deditus Regem provideat contra viventis Regis utilitatem & proculdubio voluntatem nullo blandimento vel ſuaſione pro eadem ſpe aut alios in ſe trahat, aut ipſe in alium acquieſcat. Iniquum enim & valdè execrabile Chriſtianis debet haberi, futuris temporibus illicita proſpicere, & vita ſua ignaros ventura diſponere. Quod ſi quiſquam jam talia iniquâ deliberatione cum quocumque eſt meditatus, hoc ſibi noverit eſſe ſacerdotali moderatione conceſſum, ut veniabiliter poſſit hoc ſine mora præſentis Principis auribus publicare. Si autem obſtinatâ deliberatione ſua machinamenta noluerit dicere, peſſimo plectatur anathemate. Rege verò defuncto nullus tyrannicâ præſumptione Regnum aſſumat: nullus ſub Religionis habitu detonſus, aut turpiter decalvatus, aut ſervilem originem trahens, vel extraneæ gentis homo, niſi genere Gothus & moribus dignus, provehatur ad apicem Regni. Temerator autem hujus præceptionis ſanctiſſima feriatur perpetuo anathemate.

Cap. 18. *Jam quidem in antecedenti univerſali Synodo pro ſalute noſtrorum Principum conſtat eſſe conſultum: ſed libet iterare benè ſancita, & dignâ autoritate munire ſalubriter ordinata. Ideoque conteſtamur coram Deo & ordine Angelorum, coram Prophetarum atque Apoſtolorum vel omnium martyrum choro, coram omni Eccleſia Catholica, & Chriſtianorum cœtu, ut nemo intendat in interitum Regis; nemo vitam Principis attrectet, nemo Regni eum gubernaculis privet; nemo tyrannicâ præſumptione apicem regni ſibi uſurpet: nemo quolibet machinamento in ejus adverſitate ſibi conjuratorum manum aſſociet. Quod ſi in quidpiam horum quiſquam noſtrorum temerario caſu præſumtor extiterit, anathemate divino perculſus, abſque ullo remedii loco habeatur condemnatus æterno judicio. Is autem qui ejus ſedem fuerit aſſequutus, ſi vult tanto expiari piaculo, quaſi proprii Patris ejus ulciſcatur interitum, in cujus defenſionis auxilium univerſi Regni Gothorum conſentiat fortitudo. Si autem deſidiæ causâ & minori zelo tam funeſtum noluerit vindicare ſcelus, ſint omnes ex noſtra ſententia opprobrium cæteris gentibus.*

III. Porrò non abs re eſt quod Patres Toletani de Regum ſuorum ſalute tantopere ſolliciti ſunt, quando omnium noſtrûm totiuſque Reipublicæ ſalus Principis ſalute continetur, qua de cauſa quemquam de ſalute Principis aliquid perſcrutari vetant: hoc enim capitale & rerum novarum peſtilens ſeminarium exiſtit. Unde Tertullianus in Apologetico: *Cui autem opus eſt perſcrutari ſuper Cæſaris ſalute, niſi à quo adverſus illam aliquid cogitatur, aut poſt illam ſperatur & ſuſtinetur.* Item Paulus Juriſconſultus 5. ſententiarum titulo

titulo 21. §. 9. *Qui de ſalute Principis, vel ſumma Republica Mathematicos, Ariolos, Aruſpices, Vaticinatores conſulit, cum eo qui reſponderit, capite punitur.* Hacque de cauſa idem Patres Toletani iis qui conſilia de ſalute Principis cum aliis communicarint, præcipiunt ut ea Principi deferant & revelent ſub pœna Anathematis. Quæ dum apud me cogito, Hercle, Petri Cotoni ſodalis Jeſuitæ confidentiam ſatis mirari nequeo: ſi quidem anno 1604. dum Pariſiis Adrianam Du Freſne puellam diœceſis Ambianenſis à dæmone poſſeſſam exorciſmis liberare tentaret, unà dæmonem ſuper Henrici IV. ſalute conſuluit. Quo id jure ſi quæras? illo ipſo reſpondebo: quo hæc nova ſocietas ſibi omnia in cœlo & in terra licita opinatur: quid enim Sociis Jeſu permiſſum non foret? An non Societas omnis pro dote & fundamento æqualitatem habet? Tanti ergo Socium Jeſu eſſe refert! Verùm hîc tacitus præterire non poſſum, quod cap. 18. ſexti Concilii Toletani Patres inculcant: nimirum *Reges qui Regibus interemptis ſucceſſerunt, non aliter ad ulciſcendam necem prædeceſſorum ſuorum obſtringi, quàm ſi eſſent cæſorum Regum liberi, hocque niſi faciant, ſuſpicione criminis non carere, quaſi patratæ cædis conſortes forent.* Quæ utinam aliquando Ludovicus XIII. cæterique Principes Regii ſanguinis apud ſe reputent, ac ſeſe cædis Henrici Magni ultores gerant: quem principem fortiſſimum ideò culpandum multi arbitrantur, quod Henrici III. parricidium expiari minimè curarit: ſic enim & propriæ & liberorum ſuorum ſaluti conſuluiſſet, forſanque hodie adhuc ſuperſtes eſſet, ſi pœnam ad paucos complices, metum verò ad omnes propugnatores doctrinæ peſtilentis de abdicandis & occidendis Regibus prætextu Tyrannidis pervenire voluiſſet. Quod pernecеſſarium eſt: atque in hoc ſtudium cuncti Magiſtratus politici debent aſſiduò incumbere, quando ejuſmodi doctrinam certatim conſeri & propagari vident.

Concilium Pariſienſe ſub Ludovico & Lothario Imperatoribus lib. 2. cap. 5. cujus hoc eſt argumentum: *Regnum non ab hominibus, ſed à Deo, in cujus manu omnia regna conſiſtunt, dari. Nemo Regum à Progenitoribus regnum ſibi adminiſtrari, ſed à Deo veraciter atque humiliter credere debet dari: qui dicit meum eſt conſilium & æquitas: mea eſt prudentia & fortitudo: per me Reges regnant, & Legum Conditores juſta decernunt.* Proverb. 8. *Quod autem non ab hominibus, ſed à Deo regnum terrenum tribuatur Daniel Propheta teſtatur cap. 4. Dicens in ſententia vigilum decretum eſt, & ſermo Sanctorum & petitio, donec*

co-

Digitized by Google

cognoſcant viventes quod dominetur Excelſus in regno hominum, & cuicumque voluerit, dabit illud, & humillimum hominem conſtituet ſuper illud. Item cap. 5. Idem loquens de Nabuchodonoſor ad Balthaſar. Donec cognoſceret, inquit, quod poteſtatem haberet Altiſſimus in regno hominum, & quemcumque voluerit, ſuſcitabit ſuper illud! Et per Jeremiam cap. 27. Hæc dicit Dominus Exercituum Deus Iſraël: Hæc dicetis ad Dominos Veſtros: Ego feci terram, & hominem & jumenta quæ ſunt ſuper faciem terræ in fortitudine mea magna, & in brachio meo extenſo, & dedi eam ei qui placuit in oculis meis. Hi verò qui à progenitoribus ſibi ſuccedere regnum terrenum, & non potius à Deo dari putant, illis aptantur quos Dominus per Prophetam improbat, dicens: ipſi regnaverunt & non ex me. Principes extiterunt & non cognovi. Oſeæ 8. *Ignorare quippe Dei, proculdubio reprobare eſt. Quapropter quiſquis cæteris mortalibus temporaliter imperat, non ab hominibus, ſed à Deo ſibi commiſſum regnum credat: multi namque munere divino, multi etiam Dei permiſſu regnant. De talibus Dominus per Prophetam*, Oſeæ 13. *Dabo tibi, inquit, Regem in furore meo.* Et Job 34. *Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi. Ut enim Iſiodorus exponit, iraſcente Deo talem Rectorem populi ſuſcipiunt, qualem pro peccato merentur. Conſtat ergo quia non actu, non voto, neque brachio fortitudinis humanæ, ſed virtute, imo occulto judicio diſpenſationis divinæ Regnum confertur terrenum. Et idcirco cuicumque ab eo committitur, ita & illud ſecundùm ejus voluntatem diſponere & gubernare procuret, quatenùs cum eo à quo illud ſuſcepit, feliciter in perpetuum valeat regnare: quoniam nihil prodeſt cuipiam terreno regno principari, ſi, quod abſit, contigerit eum æterno extorrem fieri.* Quod Synodale teſtimonium indicat omnes Reges verè aut tacitè atque interpretativè dari à Deo propter ejus occultam voluntatem, quæ moribus populi attemperatur & ſpecificatur, ut in Scholis loquuntur. De qua re amplius infrà cap. proximo.

Synodus Meldenſis habita anno 845. Canone 15. *Si quis poteſtati Regiæ, quæ non eſt juxta Apoſtolum niſi à Deo, contumaci ac inflato ſpiritu contra autoritatem & rationem pertinaciter contradicere præſumpſerit, & ejus juſtis & rationabilibus imperiis ſecundùm Deum & autoritatem Eccleſiaſticam, ac jus civile obtemperare irrefragabiliter noluerit, anathematizetur.* Quo in textu dignum obſervatione occurrit, Imperata politica quæ Legi divinæ & naturali non repugnant, eſſe rationabilia ſecundùm Deum, ſecundùm Eccleſiaſticam autoritatem & juri civili congruere, eiſque propterea intrepidè obtemperandum. Nam

ut

ut ſuprà ex Chryſoſtomo & Auguſtino docuimus: Imperata politica ejuſmodi pietati non officiunt.

Synodus Oxonienſis circa annum Domini 1222. *Item omnes illos excommunicationis ſententiâ innodamus, qui pacem & tranquillitatem Domini Regis & Regni injurioſè perturbare præſumunt, & qui jura Domini Regis detinere contendunt.* Certè cum Apoſtolus Romanor. 13. doceat *Principibus obedientiam deberi, ut in pace vivamus, eamque ob rem illis tributa dependi, nemo abſque pacis publicæ violatione honorem Regibus debitum poteſt violare*, Conſule cap. 2. Prioris ad Timotheum.

Moguntinenſis circa annum 1406. cap. 5. *Statuimus atque autoritate Eccleſiaſticâ confirmamus eos qui contra Regem vel Eccleſiaſticas dignitates, ſive Reipublicæ poteſtates in unoquoque ordine legitimas diſpoſitiones conſtitutas, conjurationes & conſpirationes, rebelliones & repugnantias faciunt, à communione & conſortio clericorum veram pacem amantium ſummovendos, & niſi per pœnitentiam & emendationem paci ſe Eccleſiaſticæ incorporaverint, ab omnibus filiis pacis Sancimus extorres.* Qui omnes Canones declarant quantùm ſolliciti fuerint Patres Eccleſiæ de publica pace ſervanda. Hìc autem Canon Moguntinenſis videtur privatim intelligi de quibuſdam Eccleſiaſticis pacem publicam quæ juris eſt divini naturalis, conturbantibus, quos proinde à conſortio clericorum veram pacem amantium nominatim excludit.

IV. Verùm pro coronide quatuor capitum ſuperiorum obſervabit Lector, quamquam ſoli Eccleſiaſtici gloriari poſſint ſe clavem autoritatis aut poteſtatis neceſſariæ ad aliquid de novo ſtatuendum habere; attamen certum eſſe non ſolùm Clericos clavem ſcientiæ & diſcretionis poſſidere; quæ diſcretio tanquam cauſa ſine qua non, neceſſariò debet clavem poteſtatis præire ac dirigere: ita ut qui hanc abſque diſcretione expedit, cæco de coloribus judicanti perſimilis ſit. Unde Gloſſa & Lyranus ad hæc verba: *Tibi dabo claves. Claves ſunt diſcernendi ſcientia & potentia, quâ dignos recipere & indignos excludere debet à regno Cœlorum ſecundùm verum judicium præhabitum: quia debent indigni excludi & digni recipi. Et ſuppoſito hoc in terra debito uſu clavis, Deus illud approbat in Cœlis; aliter non.* Quibus & concordat Canon *ipſe ligandi* 2. *quæſt.* 3. & *can. manet* 24. *quæſt.* 1. At verò Judicium diſcretionis etiam Laicis competit, modò ingenio, prudentiâ & ſcientiâ polleant: quarum ope cognoſcere atque inducere poſſint quidnam ſacris Scrpituris Catholico Patrum conſenſu & praxi Eccleſiæ comprobatum & declaratum ſit. Quare Gerſonius

Digitized by Google

de Examine Doctrinarum parte 1. conſideratione 5. ait, *Fieri poſſe ut aliquis ſimplex non autorizatus eſſet tam excellenter in ſacris Scripturis eruditus, quod plus eſſet credendum in caſu doctrinali ejus aſſertioni quàm Papæ Declarationi.* Videndus quoque tractatus ejuſdem Gerſonii inſcriptus: *Declaratio veritatum quæ credendæ ſunt de neceſſitate ſalutis.* Poſt medium ubi hæc documenta ponit: *Sequitur ex his omnibus*, ait, *quod judicium & concluſiones fidei, licet auctoritativè ſpectent ad Prælatos & Doctores, ſpectare tamen poſſe ad alios quàm ad Theologos deliberationem, ſicut & cognitionem ſuper his quæ fidem reſpiciunt: Ita etiam ut ad Laicos hoc poſſet extendi, & plus aliquando quàm ad multos Clericorum.* Quocircà ſicut Conſtantino Magno, utrique Theodoſio, Juſtiniano, Carolo Magno, atque aliis Imperatoribus tanquam juris Divini Naturalis & Canonici executoribus, Canones jam pridem latos in Conciliis adverſus hæreſes, atque alios abuſus gliſcentes licuit in ſuos codices & capitularia congerere, & executioni mandare: quid ni etiam fas erit Regibus Franciæ & Magiſtratibus politicis Patrum Sanctiones & Leges jam pridem pro ſuprema auctoritate, & ſalute Regum vindicanda colligere, promulgare, & contra factiones atque conſpirationes hodiernas in rem judicatam mittere; nec non etiam in illos qui novas atque exoticas opiniones Canoni Scripturæ & conſenſui Catholico Eccleſiæ contrarias diſſeminant, tanquam adversùs impios, deteſtabiles, ac læſæ Majeſtatis reos in primo gradu decernere, ſicut articulo Tertii Ordinis nominatim cavetur? In quo quidem nihil ineſt quod non clarè atque apertè ex ſacra Scriptura, Patrum autoritatibus, Canonibus Conciliorum, & praxi Eccleſiæ primitivæ colligatur.

Caput V.

I. *An jus ſit populo Reges abdicare ſicut & creare, ut quidam volunt perſuadere: quorum argumenta examinantur & depelluntur.*

II. *Pacem & tranquillitatem publicam eſſe juris divini & naturalis, quam proinde nemini licet violare: cum etiam bellum aliâ lege gerere non liceat quàm ut pax habeatur.*

III. *Propter ſola Temporalia licitum bella facere.*

IV. *In moralibus & politicis quæcumque cum periculo magno & difficultate fiunt, accenſeri impoſſibilibus, ac longè ſatius eſſe tyrannum perferre, quàm pacem atque tranquillitatem publicam violare, ut ille tollatur.*

V. *Reipublicæ ſufficientiam non in eo verſari, ut pacem publicam concutiat, ſed accurate ſervet: & de hæreditarii, atque Electivi Principatus diſcrimine.*

VI. *In contractibus publicis cum Rege initis, cur hæc formula Becani & Cardinalis Perronii: Frangenti fidem fides frangatur eidem: Locum habere non poſſit, ſicut in privatorum pactis.*

VII. *Prin-*

VII. *Principis officium eſſe, primò & directè bellum gerere pro conſequenda aut pro aſſerenda pace, & impedienda diviſione ſtatus politici.*

VIII. *Machabaeos tanquam principes politicos arma ſumpſiſſe in Antiochum potius ratione ſtatus politici Judaici, quàm Religionis: Et de intima utriuſque conjunctione in lege Moſaica.*

IX. *Gentes cùm ſolo jure humano Reges conſtitui ducerent, pari quoque ratione illos abrogari poſſe opinabantur: Contrà autem Chriſtiani, cùm didicerint à Deo propitio vel irato bonos aut malos Principes tribui: ideò illos qualeſcumque ſint, tolerare, non interimere debent.*

X. *Utrum Davidi Saulem occidere licuerit: & de S. Auguſtini & Joannis Mariana ſententia in eam rem.*

XI. *Captivitatem populi Judaici* Jeremiæ 27. *fuiſſe velut figuram eorum quæ Chriſtianis contingere debebant ſub Ethnicis, Apoſtatis & Hæreticis Principibus.*

XII. *In Lege Euangelica quoties de obedientia politicis poteſtatibus debita agitur, clarius oraculum aut reſponſum, quàm quod lege divinâ & naturali atque praxi Eccleſiæ primitivæ clariſſimè demonſtratur, non eſſe quærendum.*

XIII. *Gerſonium aliquando ſenſiſſe cum Ethnicis Philoſophis jus eſſe interimendi Tyrannos: ſed dehinc re accuratius examinata, & uſu factum prudentiorem, mutaſſe ſententiam.*

XIV. *Becani opinionem de Roboami abdicatione, & decem Tribuum ſeceſſione ſacris Scripturis adverſari.*

XV. *Nullomodo è re Chriſtianæ Religionis eſſe, ut Romano Pontifici contra cauſas eſſentiales poteſtatis Eccleſiaſticæ, poteſtas Regum abdicandorum tribuatur.*

XVI. *Epilogus & ſumma totius libri ſecundi.*

XVII. *Argumenta Antonii de Dominis Spalatenſis Epiſcopi examinantur, quibus probat Reges atque Principes ab ipſomet Deo immediatè conſtitui.*

I. QUando explicatione cauſarum eſſentialium politicæ poteſtatis liquet Principem donatum à Deo ſupremâ autoritate dirigendi & cogendi per merum imperium erga & ſuper omnes cives ambitu Reipublicæ aut Principatus ſui contentos, ne quidem Eccleſiaſticis demptis, conſiderandum reſtat an hujuſmodi ſuprema poteſtas ita uni & ſoli Principi conveniat, ut in populo & Regni Ordinibus quoad habitum minimè remaneat, quando permultis Philoſophis, Theologis & Canoniſtis (quos inter Navarrus cap. Novit de Judiciis) perſuaſum fuit quo jure populus Regem ſupra ſe conſtituit, eodem quoque & Regem exauctorare poſſe, ſi modò Rex fini, propter quem inſtitutus eſt, non inſerviat, & bonum publicum privato poſtponat. In cujus rei fidem tale poteſt inſtrui argumentum.

Quemadmodum unicuique homini privato datum eſt à Deo & natura ut ſeſe contra invadentem bona, honorem & vitam tueatur (nec ullus eſt hominum in terris qui genus humanum hac facultate privare queat): Similiter omnis Reſpublica & civilis Societas jure divino & naturali poteſtate ſeſe conſervandi & Regem conſtituendi atque

Digitized by Google

abdicandi ſi opus eſt, inſtruitur, cùm ipſa ſibi ſit ſufficiens. Unde cùm in Rege creando & cooptando quædam forma contractus & pacti; inter Regem atque populum intercedat: Continuò hoc vulgare Adagium: *Frangenti fidem fides frangatur eidem*, locum ſibi meritò vendicat: maximè verò ſi Princeps Catholicam ejuret Religionem, cujus ſervandæ causâ ſeſe voto & ſacramento peculiari cum ipſo populo, totaque Republica obſtrinxit. Quæ pariter comprobantur hoc communi axiomate Theologorum: *Gratia non deſtruit, ſed perficit naturam.* Nam cum jure divino & naturali ſuprema poteſtas dirigendi & cogendi priùs atque immediatiùs populo aut civili Societati quàm Regi inſit quoad habitum: Certè priùs atque immediatiùs Societati civili datum eſt ut ſeſe gubernet, quàm uni homini & Monarchæ, ut totam regat Societatem. Ratio eſt quia populus explicitè aut implicitè, verè atque interpretativè Monarcham & Magiſtratus ſibi deligit, quibus exercitium & actum regiminis confert. Quocircà relinquitur populum qui ſub lege naturali, poteſtate eligendi & abdicandi Regem præditus fuit; eodem pariter jure naturali hac auctoritate nullo modo privari potuiſſe in lege Euangelica; quando, ut dictum eſt, *gratia non deſtruit, ſed perficit naturam.* Quibus rationibus permotus Gerſonius poſt Ariſtotelem, Ciceronem, Senecam & alios veteres Philoſophos aſſeruit *nullam gratiorem victimam poſſe Deo offerri quàm Tyrannum:* Sermone quem habuit tum pro univerſitate Pariſienſi coram Carolo VI. & D. Delphino: tum in decem conſiderationibus contra adulatores Principum. His etiam de cauſis Martinus Becanus in controverſia Anglicana editione prima Joannis Albini 1612. pagina 120. contendit populum, legitimo hærede prætermiſſo, ſibi alium poſſe Regem deligere, ſi minùs Rex idoneus ſit Regno capeſcendo, idque exemplo Roboami & Jeroboami lib. 3. Regum cap. 2. confirmat. At Franciſcus Suares opere quod inſcripſit: Defenſio fidei Catholicæ lib. 3. cap. 3. nec non lib. 6. cap. 4. hæc etiam fuſiùs tractat, ſuntque omnium validiſſima argumenta, quæ ſuper hac controverſia poſſunt excogitari: & tamen ad libram dogmaticæ Theologiæ ponderata, planè ruinoſa ſunt.

Porrò Curiæ Romanæ ſcriptores, quibus mos eſt omnia in ſuum privatum dominatum abducere, memorant ad ſeditiones vitandas, quas inter populum facilè eſt excire, multò ſatiùs eſſe Regum abdicandorum poteſtatem Eccleſiæ & Summo Pontifici, quàm populo, qui bellua eſt multorum capitum, deferre: adduntque hoc eſſe perne-

Digitized by Google

neceſſarium, ut Reges & Principes quodam contrario & quaſi fræno in gyrum rationis deducantur: atque Romanos Pontifices maturiùs quàm populum cauſam abdicationis Regum examinare conſueviſſe: quod præcipuum eſt Cardinalis Perronii argumentum in ſua ſuaſione ad 3. Ordinem.

II. Quæ Collectiones decem continent dubia, quibus antequam ſigillatim ſatisfaciam, tria pro certiſſimo fundamento figenda cenſeo. Primùm, pacem, unionem, & tranquillitatem publicam juris eſſe divini & naturalis, ac finem civilis vitæ, & humanarum actionum, conſequenterque numquam eſſe turbandam quacumque de cauſa aut prætextu. Unde Auguſtinus Epiſtolâ 207. ad Bonifacium *conjectâ in corpus Canonicum* 23. *quæſt.* 1. *Can. Noli. Ideo Belligerandum*, ait, *ut pax habeatur.* §. *Non pax quæritur, ut bellum excitetur: ſed bellum geritur, ut pax acquiratur. Eſto etiam bellando pacificus.* Secundò quoties in Republica Chriſtiana aliquid emergit diſſidii, ſemper ſervari oportere præceptum Domini, *de non extirpandis zizaniis, ne fortè unà eradicetur & triticum.* Matth. 13. Quod effatum præcepto negativo æquipollet, ac proinde pro ſemper & ad ſemper retinendum eſt. Quare multò ſatiùs eſt mala & tyrannidem unius perpeti, quàm turbas atque ſeditiones edere, incendium incendio extinguere, & publicam pacem à fundamentis ſollicitare.

III. Tertiò ex principiis & cauſis eſſentialibus, utriuſque poteſtatis innoteſcere propter ſola Temporalia non Religionis causâ bello certandum eſſe: quod tertium notabile mihi tanquam verum & certum dari concedique poſtulo: quoniam infrà libro tertio ampliùs probabitur.

His autem præſtitutis, ad primi dubii ſolutionem tranſeo: utque libenter annuo unicuique privato licitum contra alium hominem privatum, qui ejus bona, honorem & vitam invaderet, ſeſe tueri: ita contendo longè diverſam eſſe rationem hominum ſingulorum, & Reipublicæ: quia dum ſe aliquis privatus ſervato moderamine inculpatæ tutelæ defendit, nihil quidem pax & tranquillitas publica, quæ juris eſt divini naturalis periclitatur. Contrà quàm evenit, ubi de abdicandis Regibus prætextu tyrannidis agitur, quia numquam auditum eſt tyrannum aliquem, niſi graviori tyrannide, & pace publica detrimentum magnum capiente, de medio ſublatum fuiſſe.

IV. Accedit præterea in Moralibus & Politicis quæcumque magno cum periculo & difficultate fiunt, meritò impoſſibilibus accen-

Digitized by Google

ſeri; tumque parabolam de non extirpandis zizaniis locum habere. Quocirca omnes ſapientes docent longè ſatiùs eſſe Principes qui in tyrannos degenerarunt, perferre, quàm crebris mutationibus aſſueſcere, atque incertam, inconſtantem & inſtabilem, imò verò nullam penitùs efficere Rempublicam. Præſtare etiam unicum & ſolum, quàm multos tyrannos habere, ſicut in ſeditionibus & bellis civilibus uſu accidit: dum omnia cæde hominum, populationibus, incendiis, ſtupris, & ſacrilegiis deformantur, ac pro unico & ſolo innumeri intolerabiliores tyranni furunt & debacchantur, ſicut Magiſtra ſtultorum experientia comprobat.

V. Ad ſecundum dubium concedo omnem Rempublicam Jure divino & naturali ſibi eſſe ſufficientem, & ſi ſtatum aut Principatum electivum cooptet, quo jure omnium civium conſenſu ſibi liberè & pace publicâ ſervatâ Principem deligit: pari quoque jure eumdem Principem poſſe abrogare, modò in abrogando pax & tranquillitas publica non violetur. Si enim pax detrimentum capiat, ſatiùs quidem eſt unius quàm multorum tyrannidem & expilationes perpeti, conformiter ad præceptum Domini de non evellendis zizaniis cum frumenti jactura. Neque verò eſt exiſtimandum Reipublicæ ſufficientiam in eo verſari, ut pacem publicam concutiat. Cæterùm in hac controverſia longè videtur diſpar cauſa hæreditarii Principatus armis quæſiti, ab Electivo Principatu, quoniam in illo victores victis, quamcumque volunt legem edicunt atque imperant. Contrà autem electus Princeps Leges capit à Republica quæ illum cooptat. Omitto quoque hæc inter ſeſe minimè converti. Populus habet poteſtatem eligendi; ergo & abdicandi Reges. Nam Cardinales Papam eligunt, eis tamen jus non eſt Papam exauctorare, ut omnes tenent.

VI. Ad 3. reſpondeo: Cùm Princeps à populo cooptatur, quamdam ſpeciem pacti & contractus divini exurgere, certumque eſſe Principem & populum de Religione ſervanda poſſe invicem paciſci. Sed abſolutè nego quoties Princeps conditiones pacti initi non ſervat, eam ob cauſam licere populo in Principem manu armatâ inſurgere: Et hoc commune Becani & Perronii adagium, ***Frangenti fidem, fides frangatur eidem***, locum habere, ſicut in privatis contractibus, in quibus ſtatim plana atque evidens eſt cauſa violationis fidei, nec eam ob rem pax publica labefactatur; ſecus quàm accidit in publicis contractibus, qui inter Principem & populum intercedunt: dumque ibi fides aut ſacramentum datum violari dicitur, violatio

Digitized by Google

latio hæc ab multis concauſis & circumſtantiis obſcuris & incognitis hominibus proficiſcitur: ita ut cui culpa ejus rei primùm & præcipuè adſcribenda ſit, non promptum ſit dijudicare. Contendo inſuper abſque ſeditionibus, bellis civilibus & magna hominum ſtrage tantis malis mederi non poſſe: quæ generis humani peſtes ut plurimùm eaipſa quæ vitare cupimus mala exacerbant. Quid dicere attinet ipſius populi & Eccleſiaſticorum peccata frequenter eſſe in cauſa totius mali, & ſacramenti aut Religionis orthodoxæ violatæ? Procul dubio Euſebius libro octavo cap. 1. hiſtoriæ narrat ambitionem Eccleſiaſticorum anſam crudeliſſimis perſecutionibus quæ ſub Diocletiano extiterunt præbuiſſe, haſque omnes antecedentes acerbitate ſuperaſſe: utque tam vetera omittamus, nemo neſcit depravatos curiæ Romanæ mores cauſam ſchiſmatis faciendi Luthero ſuppeditaſſe. Ampliùs attexo matrimonium quod eſt genus contractus, non admittere Becani proverbium: quia altero conjugum fidem violante, non propterea alteri fidem frangere licet: ſiquidem Chriſtus docuit libellum repudii ad cordis duritiem tantùm permitti Judæis. Præterea Ratio ipſa & praxis Eccleſiæ primitivæ confirmant nefas eſſe arma ſumere, & publicam convellere tranquillitatem, eo ipſo ſolùm quòd Princeps avitam Religionem deſerat vel opprimat, niſi fortè unà & pacem cum ſtatu regni corrumperet. Iam enim dixi, & libro ſequenti demonſtrabitur armis temporalibus Chriſtianam Religionem neque ſeri, neque propagari aut defendi velle. Quod ſi quiſpiam objiciat Auguſtinum Epiſtola 48. ad Vincentium Rogatianum, & 50. ad Bonifacium Comitem docere Conſtantinum Magnum, Donatiſtas, & Theodoſium alios hæreticos pœnis temporalibus coëgiſſe in ordinem; continuòque licitum eſſe Principi politico hæreticos capitalibus pœnis afficere, ac proinde ſequi Religionem armis cogi poſſe.

VII. Rependam officium Principis politici eſſe, ut directè, propriè & ſolidè pacem publicam armis tueatur & conſervet: ac proptereà etiam indirectè omnia impediat quæ pacem interturbant, cujuſmodi ſunt diviſiones & ſchiſmata quæ in Religione naſcuntur, quæque publicam tranquillitatem labefactant. Quocircà dum Princeps politicus directè & ſolidè communi bono & publicæ quieti propter Deum ſtudet, unà etiam Religioni Catholicæ plurimùm inſervit, neque ſuo caret præmio: quoniam pax Eccleſiæ paci temporali ſicut contentum continenti incumbit: Ideoque Apoſtolus cap. 1.

prio-

Digitized by Google

prioris ad Timotheum: *Obſecrat omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate.* Quem ad locum Ambroſius: *Perturbatio enim & captivitas nec pietatem ſervat, nec caſtitatem. Unde enim pius, qui nudus eſt? & unde caſtus, ubi poteſtatis ſuæ non eſt? ut ergo hæc ſervari poſſint, quies neceſſaria eſt, ut placida Deo reddantur obſequia.* Cæterùm Philippi Auguſti Franciæ Regis ad Gallum Innocentii III. Legatum reſponſio, de qua lib. 1. cap. 3. clarè demonſtrat licitum eſſe Principi ſtatum & publicam pacem ſecundùm leges fundamentales regni conſtitutam evertendi armis obſiſtere.

VIII. Et hinc acceſſio fit ad ſolutionem argumenti Cardinalis Perronii in ſua ſuaſione, qui poſt Bellarminum cap. 6. in Barclaium urget Machabæos Sacerdotes populi Judaici Religionis propugnandæ causâ, adversùs Antiochum arma ſumpſiſſe, eamque ob cauſam pro martyribus celebrari ab Eccleſia. Sed reſpondeo, quamquam ultrò concederemus licuiſſe Judæorum Sacerdotibus Religionis tuendæ causâ belligerare, attamen propter Moſaicæ & Legis gratiæ differentiam, de qua lib. 5. diſputabitur, idem concludi non poſſe de Chriſtianis Sacerdotibus. Ratio eſt quoniam ſtatus politicus Judæorum intimè conjunctus erat cum Religione, adeò ut unus abſque alio avelli aut propugnari non poſſet. Ex quo contingebat ut Machabæi ſicut & Moſes non modò eſſent Principes politici, verùm etiam Sacerdotes: & idcirco velut Duces militares, non ut ſimplices Sacerdotes pro gente Judaïca & ritibus patriis decertabant contrà Antiochum, qui non modò Religionem Judaicam; verùm etiam ſtatum politicum Judæorum evertere nitebatur. Porrò cum Machabæi ſemper tributa ſolverint Aſiæ Regibus 1 Machabæorum cap. 10. verſ. 29. non poſſum ſatis intelligere quod aliqui perhibent illos jugum obedientiæ penitùs excuſſiſſe. Ut ut ſit, claret ſub lege gratiæ ſtatum politicum eſſentialiter diſtinctum & ſeparatum eſſe à ſtatu Sacerdotali, ſicut poteſtatem miniſterialem ſpiritualem ab abſoluta poteſtate politica, quæ corporibus & temporalibus dominatur.

IX. Ad 4. fateor gratiam non deſtruere, ſed perficere naturam: unde cum gentes lumine Legis Euangelicæ vacuæ Reges ſolo jure humano atque inſtinctu naturali conſtitui opinarentur, unà quoque eodem jure illos tolli & abdicari poſſe exiſtimabant. Nos verò in ſckola Legis gratiæ divinitùs informati, cùm didicerimus Principes dari

Digitized by Google

dari à Deo, atque Religionis conſtituendæ aut conſervandæ gratiâ bella ſeri non oportere, nihil exemplis aut rationibus gentilium moveri, neque publicam tranquillitatem colore tyrannorum tollendorum concutere, ſed in ſola obſervatione mandatorum Dei omnem ſufficientiam noſtram, & inde gloriam aucupari, atque ex Libris Sacris imitatione primorum Chriſtianorum conſolationem haurire debemus: maximè verò quòd hæc certiſſima habeamus à Deo oracula: *Meum eſt conſilium & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo. Per me Reges regnant & Legum Conditores Juſta decernunt. Per me Principes imperant & Potentes decernunt Juſtitiam.* Proverb.8. & 16. *Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem.* Et 21. *ſicut diviſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud. Non eſt ſapientia, non eſt prudentia; non eſt conſilium contra Dominum.* Item Eccleſiaſtis 10. *Væ tibi terra cujus Rex puer eſt*, hoc enim fit propter peccata populi. Et ſapientiæ 6. *Melior eſt ſapientia quàm vires, & vir prudens quàm fortis. Audite ergo, Reges, & intelligite; dicite Judices finium terræ; præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis Nationum: quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur. Quoniam cum eſſetis miniſtri Regni illius, non rectè judicaſtis, nec cuſtodiſtis legem juſtitiæ, neque ſecundùm voluntatem Dei ambulaſtis: horrendè & citò apparebit vobis, quoniam judicium duriſſimum in his qui præſunt, fiet: Exiguo enim conceditur miſericordia: potentes autem potenter tormenta patientur, &c.* Item Job. 12. *Baltheum Regum diſſolvit, & præcingit fune renes eorum: effundit deſpectionem ſuper Principes, & eos qui oppreſſi fuerunt, relevans: qui multiplicat gentes, & perdit eas, & ſubverſas in integrum reſtituit: Qui immutat cor Principum populi terræ, & decipit eos ut fruſtrà incedant per invium. Palpabunt quaſi in tenebris, & non in luce, & errare eos facit quaſi ebrios.* Item cap. 34. *Qui dicit Regi, Apoſtata: Qui vocat Duces impios: Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Et Eſaiæ 30. *Et dabo pueros Principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.* Item cap. 10. *Aſſur virga furoris mei & baculus ipſe eſt in manu ejus indignatio mea.* Prætereà Oſeæ 13. *Dabo tibi Regem in furore meo, & auferam in indignatione mea.* Item Danielis 4. *Cognoſcent viventes quoniam dominabitur Excelſus in regno hominum, & cuicumque voluerit, dabit illud.*

Quibus ex divinis teſtimoniis colligimus: ſicut annonæ atque

Digitized by Google

frugum abundantiam & caritatem, ſterilitatem & imbres nimios, cæteraque mundi bona aut mala: ita etiam bonos & malos, ſapientes ac fatuos, fortes atque imbelles, pueros & ſenes, juſtos atque tyrannos Principes à Deo irato vel propitio dari hominibus. Quocircà Principes qualeſcumque ſint, patienter ferre, noſque coram Deo humiliare debemus. Unde 1 Regum cap. 8. Jus Regium ſic à Samuele deſcribitur: *Ut quamquam Reges duriſſimo jugo ſervitutis populum opprimant, huic tamen nequaquam liceat occaſionem rebellandi captare:* Quoniam ut benè docet Gerſonius ſermone quem nomine Univerſitatis Pariſienſis habuit coram Carolo VI. & D. Delphino Franciæ. *Non ideò Princeps cenſendus eſt tyrannus, quod pluribus in caſibus graviſſimis ſit peccator; cùm ea quæ facit non manifeſtè pugnant contra finem Dominii politici, & in boni communis ſubverſionem.*

Et ſi enim Rex ea omnia quæ à Samuele de jure Regio ſcribuntur, exerceat: nihilominùs cùm alioqui ſtatum politicum & ſubditos in pace & à vi externa tueatur, tyrannus haberi non debet. Hîc ſileo poſt Saulem à Deo exauctoratum 1 Regum cap. 13. & 15. Poſtque Davidem à Samuele inunctum, atque Regem Iſraël deſignatum cap. 16. Verumtamen numquam Davidem potuiſſe animum adjicere, ut violentas manus uncto Domini inferret: quamquam eſſet pervagatiſſimum & omnibus notiſſimum Saulem à dæmone palam obſideri; quod multò erat gravius, quàm cenſuris à Papa feriri. Prætermitto quoque Saulem ſæpiſſimè magna cum injuria & ingratitudine in capitis periculum Davidem conjeciſſe: hunceque facilè & nemine conſcio Saulem neci dare potuiſſe. 1 Regum 24. & 26. Quapropter S. Auguſtinus lib. 1. quæſtionum veteris & novi Teſtamenti. Quæſt. 35. *David Saul Regem honoravit vivum & vindicavit occiſum.* Item contra Adimantum Manichæi Diſcipulum cap. 17. verſus finem: *Certè*, inquit, *inimicum & perſequutorem ſuum nimis ingratum & nimis infeſtum Saulem Regem accepit David in poteſtatem, ut ei faceret quod vellet, & elegit parcere potius quàm occidere: non enim erat juſſus occidere, ſed neque prohibitus: Imo etiam & divinitùs audierat ſe impunè facere quicquid vellet inimico, & tantam poteſtatem ad manſuetudinem contulit. Dicatur mihi quem timuerit, cum interficere noluit? Nec hominem poſſumus dicere timuiſſe, quem acceperat in poteſtatem, nec Deum qui dederat. Ubi ergo nec difficultas fuit occidendi, nec timor, dilectio profecit inimico. Ecce David bellator implevit præceptum Chriſti quod accepimus, ut diligamus inimicos.*

X. Hæc

Digitized by Google

X. Hæc Auguſtinus affirmans Davidem divinitùs accepiſſe ut inimico impunè facere poſſet quicquid vellet. Quare Joannes Mariana lib. 1. de inſtitutione Regis cap. 6. perſuadere vult Auguſtinum aſſerere Davidi licuiſſe occidere Saulem tanquam tyrannum. Sed profectò hujus rei quam B. Auguſtinus refert, nullum extare video in libris ſacris veſtigium, niſi forſan aliquis ex mente & propoſito ſervorum David hoc inducat lib. 1 Regum cap. 24. verſu 5. Vel etiam ad ſenſum Abiſai, qui hoc Davidi ſuadere, atque haſtâ Saulem confodere volebat, niſi à Davide impeditus fuiſſet cap. 26. primi Regum. At eo ipſo quod Deus Saulem in manus Davidis tradidiſſet, non inde ſequitur unà factam Davidi à Deo poteſtatem Saulis interimendi, ut Abiſai hallucinabatur: quem propterea David tanquam certiſſimus Divinæ voluntatis interpres meritò corripit, & à tanto ſcelere avocat, cum apprimè ſciret abdicationem Saulis non alium habere ſenſum, quàm quòd ejus progenies non eſſet regnatura ſuper Jſraël, quoniam in munus Sacerdotale involarat. 1 Regum cap. 13. *Stultè egiſti*, inquit Samuel Sauli, *nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quòd ſi non feciſſes, jam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Jſraël in ſempiternum: Sed nequaquam regnum tuum ultrà conſurget: quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum, &c.*

Equidem Prophetæ qui tam ſeverè impios Reges & populum ipſum ad Regum impietatem atque idololatriam clauſis oculis currentem reprehendunt, cùm numquam legantur populum corripuiſſe, quod arma in ſuos Reges impios & tyrannos minime ſumpſerit: hoc argumento eſt certiſſimo, Prophetas cenſuiſſe populum minimè præditum autoritate Reges abdicandi. Si enim id habere poteſtatis crediidiſſent, non dubium eſt quin populum ceſſantem ad arma expedienda in Reges idololatras exciviſſent: ſicut olim Moſes Levitas in vituli aurei cultores incenderat, Exodi 32. Ut igitur huic quarto dubio finem imponamus: quando Lex gratiæ, quæ naturæ & gentium jura perficit, non deſtruit, nos edocet bonos atque malos, juſtos & tyrannos, pios atque impios Principes nobis ex æquo dari à Deo, certè perferendi ſunt. At ſi quiſpiam contra inferat, quando & mali Principes dantur à Deo velut annonæ caritas aut peſtilentia, compertumque eſt licitum eſſe caritati annonæ & peſtilentiæ mederi: ſequi pariter permiſſum tyrannis obſiſtere. Reſpondebis in ſublevanda annonæ penuria & avertenda peſtilentia nullum ſubeſſe jacturæ pacis publicæ, ſicut in tyrannide repellenda periculum.

Porrò hìc pro appendiculo attexendum Theologos duplicem conſtituere voluntatem: permiſſivam ſcilicet quoad mala culpæ: & efficacem quoad mala pœnæ, quâ poſteriori voluntate formaliter concurrit ad actionem: hæcque poſterior voluntas Dei ejus ingenio, moribus & temperamento cum quo concurrit, eſt attemperata: Ita ut ab ejuſmodi temperamento voluntas Dei determinetur & ſpecificetur, ſicut à cauſis ſecundis cauſæ univerſales ſpecificari conſueverunt. Itaque ad hoc genus voluntatis divinæ hi atque ſimiles loci Scripturæ referendi ſunt. *Per me Reges regnant, &c. Dabo vobis Reges in furore meo. Aſſur virga furoris mei, & ipſe baculus in manu ejus indignatio mea, &c.* Statuendum autem omnium miraculorum maximum, quod generi humano in Civili Societate viventi poteſt contingere, eſſe optimum Regem, quem Deus propitius indulget, ſicut iratus dat malum Principem.

XI. Quintò notandum quemadmodum Lex vetus eſt umbra & figura eorum quæ futura erant Chriſtianis in Lege Euangelica. Hebr. 10. Ita nobis ſpecimen eorum exhibere, quæ Chriſtiani ſub Ethnicis, Apoſtatis & hæreticis Principibus pati debebant cum expreſſo & peculiari mandato illis obtemperandi congruenter ad præceptum Pauli Rom. 13. & 1 Pet. 2. itaque Jer. 27. *Hæc dicit Dominus Deus Exercituum Deus Iſraël, &c. Ego feci terram, & homines, & jumenta quæ ſunt ſuper faciem terræ in fortitudine mea magna, & in brachio meo extento, & dedi eam ei qui placuit in oculis meis: Et nunc itaque ego dedi omnes terras iſtas in manu Nabuchodonoſor Regis Babylonis ſervi mei: Inſuper & beſtias agri dedi ei, ut ſerviant illi, & ſervient ei omnes gentes & filio ejus, & filio filii ejus: & ſervient ei gentes multæ & Reges magni. Gens autem & Regnum quod non ſervierit Nabuchodonoſor Regi Babylonis; & quicumque non curvaverit collum ſuum ſub jugo Regis Babylonis; in gladio, & in fame, & in peſte viſitabo ſuper gentem illam*, ait, *Dominus. Vos ergo nolite audire Prophetas veſtros & divinos, & ſomniatores, & augures, & maleficos, qui dicunt vobis: Non ſervietis Regi Babylonis, quia mendacium prophetant vobis, ut longè vos faciant de terra veſtra, & ejiciant vos, & pereatis. Porrò gens quæ ſubjecerit cervicem ſuam ſub jugo Regis Babylonis, & ſervierit ei, dimittam eam in terra ſua, dicit Dominus, & colet eam, & habitabit in ea. Et ad Sedeciam Regem Juda locutus ſum ſecundùm omnia hæc verba hæc dicens: ſubjicite colla veſtra ſub jugo Regis Babylonis, & ſervite ei, & populo ejus, & vivetis. Quare moriemini tu & populus tuus gladio & fame & peſte,*

ſicut

Digitized by Google

ſicut locutus eſt Dominus ad gentem quæ ſervire noluerit Regi Babylonis: nolite audire verba Prophetarum dicentium vobis: Non Servietis Regi Babylonis, quia mendacium ipſi loquuntur vobis, &c. Item cap. 29. *Quærite pacem civitatis ad quam tranſmigrare vos feci, & orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vobis. Hæc dicit Dominus Exercituum Deus Iſraël: Non vos ſeducant Prophetæ veſtri qui ſunt in medio veſtrum, & divini veſtri, & ne attendatis ad ſomnia veſtra, quæ vos ſomniatis.* Quamobrem cap. 1. Baruch: *Filii Iſraël qui degebant Babylone, collegerunt pecunias, miſeruntque in Jeruſalem, ut holocauſtomata offerrent pro peccato ad aram Domini, & orarent pro vita Nabuchodonoſoris Regis Babylonis, & pro vita Balthaſaris filii ejus, ut ſint dies eorum ſicut dies cœli ſuper terram: Et ut det Dominus virtutem captivo Populo, & illuminet oculos ejus, ut vivat ſub umbra Nabuchodonoſor Regis Babylonis, & ſub umbra Balthaſar filii ejus, & ſerviat ei multis diebus, & inveniat gratiam in conſpectu eorum, &c.* Item cap. 2. *Exaudi, Domine, preces noſtras & orationes noſtras, & educ nos propter te, & da nobis invenire gratiam ante faciem eorum qui nos abduxerunt, &c. Quod ſi non feceritis, nec audieritis vocem Domini Dei veſtri operari Regi Babyloniæ, defectionem veſtram faciam de civitatibus Juda, & foris Jeruſalem, & auferam à vobis vocem jucunditatis, & vocem gaudii, & vocem ſponſi, & vocem ſponſæ, & erit omnis terra ſine veſtigio ab habitantibus in ea. Et non audierunt vocem tuam, ut operarentur Regi Babylonis: & ſtatuiſti verba tua quæ loquutus es in manibus puerorum tuorum Prophetarum, ut transferrentur oſſa Regum noſtrorum, & oſſa Patrum noſtrorum de loco ſuo. Et ecce projecta ſunt in calore ſolis, & in gelu noctis, & mortui ſunt in doloribus peſſimis, in fame & in gladio, & in emiſſione, &c.* Ibidem cap. 4. *Animæquior eſto populus Dei memorabilis Iſraël: Venundati eſtis gentibus non in perditionem, ſed propter quod in ira ad iracundiam provocaſtis Deum, traditi eſtis adverſariis. Animæquiores eſtote filii, & clamate ad Dominum, & eripiet vos de manu Principum inimicorum, &c.* At verò ſicut Prophetæ Judæis imperant, ut in politicis & temporalibus obtemperent Nabuchodonoſori: Ita diligenter cavent ne eorumdem impietati & idololatriæ aſſentiantur. Baruch 6. *Nunc autem videbitis in Babylonia Deos aureos & argenteos, & lapideos & ligneos in humeris portari, oſtentantes metum gentibus. Videte ergo ne & vos ſimiles efficiamini factis alienis, &c. Viſa itaque turba de retro & ab antè adorantes dicite in cordibus veſtris: Te oportet adorari Domine.* Item Danielis 3. Tres pueri Sidrach, Miſach, & Abdenago in ignem propterea conjiciendi,

Digitized by Google

quòd Deos Nabuchodonoſoris venerari nollent, forti animo reſpondent ſe auream ſtatuam numquam adoraturos. His & concordant quæ habet Auguſtinus lib. 5. de civitate Dei cap. 21. *Deus dat felicitatem in regno cœlorum ſolis piis: Regnum verò terrenum & piis & impiis, ſicut ei placet, cui nihil injuſtè placet, &c. Ille igitur verus Deus qui nec judicio nec adjutorio deſerit genus humanum, quando voluit, & quantùm voluit, Romanis regnum dedit: qui dedit Aſſyriis; vel etiam Perſis, &c. Qui Mario, ipſe & Caio Cæſari: qui Auguſto, ipſe & Neroni: qui Veſpaſianis vel patri & filio, ſuaviſſimis Imperatoribus, ipſe & Domitiano crudeliſſimo. Et ne per ſingulos ire neceſſe ſit: qui Conſtantino Chriſtiano, ipſe Apoſtatæ Juliano, cujus egregiam indolem decepit amore dominandi ſacrilega & deteſtanda curioſitas.* Idem Commentariis in Pſalmum 124. *Aliquando injuſti perveniunt ad honores ſæculi: cùm pervenerint, & facti fuerint Judices vel Reges, quia hoc facit Deus propter diſciplinam populi ſui, non poteſt fieri niſi ut exhibeatur illis honos debitus poteſtati.* Quæ poſtrema verba: ut exhibeatur illis honos debitus poteſtati, omne genus civilis atque temporalis obſequii & ſubjectionis complectuntur, ut jam ſuprà monui.

Porrò quæ ſuperiùs commemoravi, Judæis quidem acciderunt in figuram eorum, quæ Eccleſiæ Chriſti ſub Imperatoribus & Principibus alterius quàm veræ atque orthodoxæ Religionis contingere debebant. Et ita confirmatum relinquitur Chriſtianos Regibus cujuſcumque ſint Religionis obſequi debere in rebus temporalibus. Nam ſicut virtute & ſummâ conſtantiâ Judæorum captivorum in Babylonia ſed præſertim trium puerorum, quos Nabuchodonoſor in fornacem ignis conjici voluit, Reges Babylonis venerunt in cognitionem veri Dei: ſimiliter humilitate, vitæ ſanctimoniâ, & patientia primorum Chriſtianorum maximè Eccleſiaſticorum, tandem Imperatores ad Chriſtianam Religionem ſunt allecti: Imo etiam innumeræ Nationes barbaræ, quas Dei providentia in Europam effudit, quæ tum erat Imperii & Chriſtianæ Religionis ſedes præcipua (Franci nimirum, Burgundi, Gothi, Vandali, Heruli, Longobardi, Hunni, Nortmanni, &c.) hac via converſæ ſunt ad Chriſtianam Religionem. Cùm enim perdifficile eſſet Chriſtianis in extremas regiones Septentrionales, Sarmathiam, Scythiam, Daniam, &c. penetrare ad promulgandum Euangelium, tum demum ſumma Dei bonitas illas gentes excivit, ut ſeſe in Europam conjicerent, ac ſedes fortunis ſuis conſtituendis quærerent, atque unà Chriſtianam Reli-

Digitized by Google

Religionem paulatim imbiberent, & ad ſuas provincias magno Dei judicio hominibus occulto tranſmitterent. Sed hîc fortè cauſabitur aliquis teſtimonia ex veteri Teſtamento hauſta docere Iſraëlitas non paruiſſe Principibus infidelibus, niſi poſt privatum Dei mandatum à Prophetis Jeremia & Baruch promulgatum: ac proinde à ſimili in Lege Euangelica eſſe petendam atque expectandam Romani Pontificis voluntatem conformiter ad cap. 17. Deuteronomii: *ſi difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris, &c.*

XII. Reſpondeo diverſam eſſe rationem regiminis Eccleſiæ & Synagogæ, ut proprio loco dicetur: & quæ gerebantur à Prophetis, ad extraordinariam; quæ autem à Sacerdotibus Legis Moſaicæ fiebant, ad ordinariam gubernationem ſpectaſſe. In Lege autem Euangelica totum Eccleſiæ Regimen ambitu Legis Divinæ & naturalis (cujus Papa eſt ſolummodo Interpres & Exequutor) circumſcribi & contineri. Unde cum Lege Divina & naturali (quam ſupra Apoſtolus cap. 13. ad Romanos, & 1 Petri 2. declaravit, totiusque Antiquitatis conſenſus & praxis Eccleſiæ primitivæ confirmavit) edoceamur *omnem animam neceſſitate ſubditam eſſe poteſtatibus politicis non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Maximè verò quod Imperata politica pietatem atque religionem non evertant, ut demonſtratum eſt; ſequitur nullo modò eſſe audiendum Pontificem Romanum, ſi contra juris divini & naturalis oracula praxi Eccleſiæ primitivæ roborata aliquid ſtatuat, cùm ejus poteſtas ſit duntaxat miniſterialis ſpiritualis in ædificationem, non in deſtructionem data, *ut veritatem tueatur, non labefactet.* 2 Cor. 13. verſ. 8. Ego memini tempore bellorum civilium poſt Henricum III. interemptum, Lutetia graviſſimis afflicta calamitatibus, plurimorumque annorum obſidione, & præſertim morbo ſcrofularum vehementer preſſa, Magiſtros Renatum Benedictum Curionem S. Euſtachii, atque N. Savignacum Curionem S. Sulpicii Doctores Theologiæ, frequentes habuiſſe conciones de recipiendo in Regem Henrico IV. atque teſtimonia Jeremiæ & Baruch, nec non Auguſtini ſuprà laudata cum praxi Eccleſiæ primitivæ in exemplum & ſententiæ ſuæ confirmationem produxiſſe, eamque ob cauſam, quia vera dicerent & præſagirent, ſibi grandem invidiam & periculum conflaviſſe; tumque demum habitos inſtar Prophetarum, hoc etiam crebris uſurpabant ſermonibus: Cùm ſacris Scripturis edoceamur Reges atque Principes nobis à Deo propitio vel irato concedi. Si forſan uſu veniat

niat Principem eſſe crudeliorem erga populum, aut Religionem orthodoxam deſerere; non eſſe propterea cum illo armis certandum, aut bellis atque ſeditionibus tranquillitatem publicam, ut Religionem propugnemus, concutiendam, ſed Deum placandum vitæ emendatione, & ejus mandatorum obſervatione hæreſim eſſe morbum animi, cui non ferro, ſed medicamine ſpirituali medendum eſſet: atque arma non hæreticos convertere, ſed facere hypocritas. De qua re pluribus infrà. His autem accuratè conſideratis liquet quam in partem hoc effatum: *Gratia non deſtruit, ſed perficit naturam*, capiendum ſit in hac parte.

Sextò fateor ſupremam poteſtatem dirigendi & cogendi prius atque immediatius Societati civili, quàm Regi ineſſe. Sed contendo poſtquam populus tacito aut implicito conſenſu eam alicui Principi detulit, ſi Princeps tyrannus evadat, non propterea tollendæ tyrannidis cauſa licere pacem publicam concutere, ut præcedentibus dubiis reſponſum eſt.

XIII. Septimò, quæ de Gerſonio memorantur, ſic habent: Anno 1405. *Ille nomine Univerſitatis Pariſienſis vulgari linguâ concionem habuit coram Rege & D. Delphino. De triplici vita Regis: naturali ſcilicet, politica, & ſpirituali*: Quæ Concio poſt exceſſum Gerſonii verbum de verbo in linguam latinam converſa eſt, hodièque adhuc Gallicè edita legitur. In hac Concione Pariſienſis Cancellarius *Dialogiſmum inter diſſimulationem, ſeditionem & diſcretionem ſic inſtruit, ut diſſimulatio omnia mala & calamitates publicas diſſimulandas & patienter tolerandas ſuadeat: contrà autem ſeditio detonat nullum Deo Sacrificium gratius offerri quàm tyrannorum. Demum Diſcretio mediam incedens viam, vetat quicquam fieri oportere pacis publicæ diſpendio. Propria Gerſonii verba exſcribam. Concludamus*, ait, *quod ſi caput aut aliquod civitatis membrum tale incurreret inconveniens quod Tyrannidis mortale venenum ſorbere vellet, membrum quodlibet ſuo in loco, toto poſſe obviare debere, quod verum eſt per media convenientia, & talia per quæ non pejus ſequatur. Non congruit quod ſi caput parvo afficiatur dolore, manu ipſum percutere: hoc enim fatuum eſſet, nec convenit ipſum ſtatim abſcindi, aut à corpore ſeparari, ſed in omni dulcedine medicari tam per bona verba, quàm aliter ad bonorum medicorum exemplum. Nec quicquam eſſet irrationabilius & crudelius, quàm per ſeditionem tyrannidem impedire velle. Seditionem voco popularem rebellionem abſque cauſa & ratione, quæ ſæpe numero pejor eſt tyrannide. Sylla vocatus fuit Romam, ut tyranni-*

rannidem Marii auferret, & pejus Mario egit: Exceſſit medicina modum: immoderata medicina grauior eſt, ut ait Lucanus, principali infirmitate. Opus eſt mirum in modum magna diſcretione, prudentiâ, & temperantiâ ad tyrannidem expellendam: propter quod audiendi ſunt, & fides adhibenda eſt ſapientibus Philoſophis, Iuriſperitis, Legiſtis, Theologis hominibus bonæ vitæ, bonæ naturalis prudentiæ & magnæ experientiæ. In ſenibus eſt experientia: Non enim ſubitò Dominus aliquis tyrannus judicandus eſt, ſi peccator ſit pluribus in caſibus, cùm tamen non ſit hoc manifeſtè contra Dominii ſui finem, & in boni communis ſubverſionem. Poteſtas, ſicut dicit Apoſtolus, non eſt data cuiquam Domino in ſubverſionem, ſed in ædificationem potius, &c. Huc uſque Pariſienſis Cancellarii Concio: quem pariter ad ſenſum capiendæ ſunt decem conſiderationes, quas eodem tempore ſcripſit contra Principum adulatores: id eſt tres circiter annos priuſquam Dux Aurelianenſis à Duce Burgundo fuiſſet occiſus. Porrò cùm Magiſter Joannes Parui immane facinus Burgundi propugnaret, id Pariſienſi Cancellario incentivo fuit, ut ſeſe in conſilium diligentiùs adhiberet, atque priorem ſententiam, quam de tyrannis tollendis juxta Ariſtotelis, Ciceronis, Senecæ, & aliorum veterum Philoſophorum opinionem evulgarat, non modò mitigaret, verùm etiam omnino mutaret: affirmando potiùs hac in parte Chriſtianis quàm Paganis aſſentiri oportere: quandoquidem Lex gratiæ naturam illuſtrat ac perficit. Quare poſtrema Gerſonii ſententia & veriſſima & tutiſſima eſt, quam leges prima parte operum tractatu inſcripto; *Aſſertiones contentæ in propoſitione defuncti magiſtri Joannis Parui, & forma condemnationis earumdem, &c. Quod ſi aliquis eſſet notoriè tyrannus & incorrigibilis per ſuperiorem, & intolerabilis per ſubditos,* inquit, *nihilominùs S. Thomas in ſuo tractatu de Regimine Principum ad Regem Cypri. Nicolaus Oresmius in tranſlatione ſua circa principium 5. Politicorum & aliorum plures dicunt & deducunt ex intentione, quod talis tyrannus eſt magis judicio Dei reſervandus, quàm per privatam autoritatem vel ſeditionem occidendus. Videantur eorum Reſponſiones. Conſtat autem in hac parte magis credendum eſſe Catholicis Doctoribus, quàm Philoſophis infidelibus; ſi forſitan aliter ſentiunt in factis vel in ſcriptis, quemadmodum judicabant eſſe opus fortitudinis ſemetipſum occidere, & multa ſimilia quæ Lex Chriſtiana condemnat.* His ergo rationibus permotus Gerſonius anno 1415. nihil non peregit in Synodo Conſtantienſi, ut has duas ſeditioſiſſimas propoſitiones Synodicè damnari curaret. Prima. *Populares poſ-*

Digitized by Google

ſunt ad ſuum arbitrium Dominos delinquentes corrigere, *ſeſſione* 8. *articulo* 17. *errorum Joannis Wicleff.* Secunda propoſitio: *Quilibet tyrannus poteſt & debet licitè & meritoriè occidi per quemcumque Vaſſallum ſuum vel ſubditum etiam per clanculares inſidias, &c. ſeſſione* 15.

XIV. Octavò Sacræ Litteræ longè aliter loquuntur de Roboamo & Jeroboamo quàm Becanus tinnit: ſiquidem Regnum Iſraeliticum poſt mortem Salomonis, non popularis auræ arbitrio, ſed ſingulari mandato Dei, & extraordinariâ poteſtate ſciſſum eſt: in cujus rei hieroglificum, Prophetes Achias novum ſuum pallium in duodecim partes ſcidit, quarum unâ ſibi reſervatâ, decem alias Jeroboamo auferendas dedit lib. 3. Regum cap. 2. Deinde cùm Roboam ingentem conſcripſiſſet exercitum adversùs Jeroboam, Dominus illi per Semeiam Prophetem ſignificavit ut armis ſuperſederet: quoniam illa decem tribuum ſeceſſio ſuâ voluntate atque Imperio facta eſſet. 3 Regum cap. 12. & 2 Paralippom. cap. 2. Cæterùm lib. 5. infrà demonſtrabitur non ſemper bene duci argumenta à veteri Teſtamento propter Legis Moſaicæ & Euangelicæ diſcrimen.

XV. Nonò. Quod oſtenditur ad Reges in officio continendos ſatiùs expedire ſummo Pontifici quàm populo, aut Ordinibus Reipublicæ poteſtatem Regum abdicandorum deferre: uno verbo depellitur ab Almaino de poteſtate Eccleſiaſtica & laica quæſtione 1. cap. 9. circa medium. *Quia* inquit, *eſſet occaſio quòd ratione talis poteſtatis Papa efferretur in maximam ſuperbiam*, *& illa plenitudo poteſtatis eſſet multùm damnoſa ſubjectis: ideò illa plenitudo poteſtatis eſſet nociua Papæ & ſubjectis: & ſic non eſt veriſimile quòd Chriſtus ei talem contulerit poteſtatem.* Hæc ille. Sed Licitatione factâ ampliùs contendo certiſſimum eſſe ex cauſis eſſentialibus poteſtatis Eccleſiaſticæ, de quibus ſequenti libro Papam non habere ejuſmodi poteſtatem, neque ei talem poſſe tribui abſque ſumma rerum conturbatione. Quicquid enim fit contra jus divinum & naturale, hoc ſummam parit confuſionem, & impietatem redolet. Quod autem ſpecioſè prætexitur hac viâ poſſe faciliùs ſeditiones, tumultuſque civiles impediri, verba ſunt & voces: quoniam eſt experientiâ comprobatum nullo alio colore quàm Religionis aut pietatis ſpecie, populum ceſſantem poſſe ad arma & ſeditiones expeditiùs concitari, tum publicè in concionibus, tùm privatim & ſecretò aliis colloquiis atque arcanis cohortationibus confeſſionum. Ne autem hîc avita & peregrina quæramus, ſæculum noſtrum atque Henrici III. & IV. Gallorum Regis

Digitized by Google

gis vita & interitus, funeſtiſſima teſtimonia nobis, abundè ſuggerunt. Accedit inſuper ſi quid fortè ſubditi in Principem ſuum moliantur, hunc proprio marte poſſe in ordinem ſubditos cogere: contrà verò ſi Pontifex exemplo Gregorii VII. Innocentii IV. Bonifacii VIII. & Julii II. aliquid adversùs Principes Chriſtianos architectetur; atque ope quorumdam emiſſariorum ſubditos ad arma & defectionem injecto metu Religionis ſollicitet: tum Principes Chriſtianos vix quicquam ſui tuendi cauſâ audere in Pontificem ſtatuere (quamvis tamen à Deo & natura donati ſint poteſtate ſe & ſua cum moderatione inculpatæ tutelæ defendendi) cujus rei fidem hiſtoria vitæ Magiſtra uberrimè facit: atque ipſemet Bellarminus cap. 13. in Barclaium ſub finem. *Quòd autem dicis*, inquit, *injuſtam ſententiam non lædere eum in quem fertur, verum eſt, quando is in quem fertur, eam humiliter tolerat & obſervat, donec injuſtitia, vel potius nullitas ejus manifeſtè ſe prodat, &c.* Quamobrem illos vel meros eſſe adulatores, vel communi ſenſu planè carere neceſſe eſt, qui Pontificis Romani poteſtatem numquam ſatis pro Eccleſiæ bono ampliari poſſe garriunt. An non ſatis eſt, ut ait S. Bernardus II. ad Eugenium cap. 5. ex recenſione Gerardi Voſſii: *Si Pontifex contentus ſit menſurâ quam ei menſus eſt Deus: nam quod ampliùs eſt, à malo eſt, &c. Forma Apoſtolica hæc eſt: Dominatio interdicitur, indicitur miniſtratio, quæ & commendatur ipſius exemplo Legiſlatoris: ſi utrumque ſimul habere voles, perdes utrumque. Alioquin non te exceptum illorum numero putes, de quibus queritur Deus ſic: Ipſi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & ego non cognovi eos. Iam ſi regnare ſine Deo juvat, habes gloriam, ſed non apud Deum.*

Verùm menſura cujus vir ſanctiſſimus atque ultimus Patrum Eccleſiæ hîc meminit, non ambitioſis titulis quos homines obnoxii Romanis Pontificibus arrogant, ſed cauſis eſſentialibus Poteſtatis Eccleſiaſticæ æſtimanda eſt. Cauſæ verò eſſentiales nequaquam patiuntur aliquam poteſtatem jure divino Papæ adſcribi, quam ſolummodo poſſidet jure purè humano, ut demonſtrabitur: quique ſecùs faciunt, naturæ omnino repugnant: Et ſicut veteres de gigantibus dicebant: *Cœlo bellum inferunt.*

XVI. Porrò ſummam hujus libri 2. ſeptem articulis definiemus, quorum primus erit: *Cunctas poteſtates politicas, quocumque modo, hoc eſt ſive Monarchicè, Ariſtocraticè aut Democraticè exerceantur, immediatè inſtitutas eſſe à Deo cum ipſa hominis creatione: ac proinde ſummam poteſta-*

Digitized by Google

tem dirigendi & cogendi per merum imperium omnium Regnorum & Principatuum eſſe invariabilem atque immutabilem, eique univerſos Clericos & Laicos æquè ſubjici: neque ſitum eſſe in Principis poteſtate, quempiam ſibi Majeſtate Imperii & Principatus ſubjectum, ab hac ſubjectionis obligatione liberare. Secundus articulus *hanc politicæ poteſtatis ſupremam dignitatem aut majeſtatem, neminem ſupra ſe in temporalibus judicem aut ſuperiorem agnoſcere, qui eam jure ſubjectionis, & coërcitionis abdicare poſſit.* 3. Apoſtolum Romanor. 13. & S. Petrum cap. 2. *Prioris Epiſtolæ hoc jus meri imperii politicæ poteſtatis planè atque apertè declarare.* 4. *Etiam Catholico Patrum conſenſu & praxi Eccleſiæ illam imperii politici majeſtatem liquidò confirmari congruenter ad articulum tertii Ordinis: & propterea hanc doctrinam meritò Catholicam, contrariam verò impiam atque deteſtabilem haberi.* 5. *Pacem & tranquillitatem publicam juris eſſe divini naturalis, ac proinde nemini licitum eam violare prætextu Religionis aſſerendæ, aut tyrannorum tollendorum cauſâ.* 6. *Quoties de obedientia politicis poteſtatibus debita agitur, non clarius reſponſum quærendum, quàm quod Lege divinâ & naturali, ac praxi Eccleſiæ primitivæ clariſſimè demonſtratur: atque populi Judaici captivitatem,* Jeremiæ 27. *fuiſſe velut figuram eorum quæ Chriſtianis contingere debebant ſub Ethnicis, Apoſtatis, atque hæreticis Principibus.* 7. *Nullomodò è re Chriſtianæ Religionis eſſe ut Romano Pontifici contra cauſas eſſentiales poteſtatis Eccleſiaſticæ, poteſtas Regum abdicandorum tribuatur.*

XVII. Poſt tres annos quibus hoc opus de indirecta poteſtate Eccleſiæ in res temporales abſolveram, Antonius de Dominis Spalatenſis Epiſcopus ſecundum volumen de Republica Eccleſiaſtica vulgavit. Libro autem ſexto cap. 2. Numero 36. de poteſtate civili diſputat. Si populus, communitas aut Reſpublica extra Democratiam tradere poſſet liberè civilem poteſtatem, eamdem etiam poſſet auferre, & hoc pro ſuo libito, ne dicam libidine, inquit, ex quo Rebelliones & convulſiones regnorum, inſtabilitas omnis ac perpetua diſſidia orirentur, quæ Provincias omnes, communitates, Regna omnia fœdarent, perturbarent, everterent. Et quod unum eſt publicæ tranquillitatis remedium à Deo humano generi proviſum politicæ poteſtatis, hoc ipſum eſſet occaſio maxima & potiſſima omnis publicæ diſſentionis, bellorum civilium, & maximarum perturbationum, excluſioque omnis publicæ pacis, otii & tranquillitatis, ſi poteſtas politica eſſet præcipuè in multitudinis manibus collocanda. Itaque ut Spalatenſis ejuſmodi incommoditatibus medeatur, à Nu-

Numero 19. cap. 2. communem omnium Theologorum, & maximè Pariſienſium ſententiam impugnat ſcilicet in toto Reipublicæ corpore, vel in tota communitate & Societate Hominum, Nationum, ſeu integrarum Provinciarum poteſtatem gubernandi immediatè poſitam à Deo, ut communitas cuicumque vellet, eam tribueret, quatenus Democraticè, Ariſtocraticè aut Monarchicè regeretur. Cæterùm argumenta quibus hanc ſententiam labefactare nititur, hæc ſunt. Primùm quòd nullâ revelatione id pateat, conſtetque naturalem rationem non modò dictare eſſe neceſſarium, ut multitudo regatur: verùm etiam homines cogat ut ſe ab aliquo Regi atque gubernari liberè conſentiant. Quare efficit jure divino & naturali dumtaxat convinci populum aut multitudinem neceſſariò regi oportere, non regere. In quam Spalatenſis collectionem tria dicenda habeo: & primùm, ego arbitror me ſeptem primis argumentis hoc capite propoſitis abundè occurriſſe omnibus incommodis & conturbationibus quas Antonius de Dominis ſequi putat ex noſtra ſententia. Secundò quod perhibet nullâ ratione innoteſcere civilem poteſtatem immediatè datam à Deo communitati: Reſpondeo hac in parte legem naturalem nobis eſſe loco certiſſimæ revelationis ac Legis divinæ. Cùm enim viribus naturæ clariſſimè cognoſcamus poteſtatem civilem inditam eſſe hominibus in civili vita degentibus, quid opus eſt revelatione, quando lumine naturali univerſos homines naturæ inſtinctu amantes ſuæ conſervationis, beatos ac liberos eſſe percupere, experiamur: ſiquidem ex hoc principio tria conſectaria velut rami à trunco fructificantur. Primum homines natos eſſe ad civilem Societatem, quia extra illam nullus ſe naturaliter tueri aut beatus eſſe poteſt. Alterum, naturæ repugnare aliquam eſſe Rempublicam ſervorum, qualis eſt Turcarum, atque omnia fermè Orientis Regna, ubi Principes deſpotico & herili imperio regnabant, & per conſequens habitâ ratione propenſionis naturalis hominum, ibi nullus beatus eſſe poteſt, cùm liber non ſit. Tertium: Ad vitam civilem feliciter degendam, aliquo opus eſſe Principatu, & conſequenter Electiones juris eſſe naturalis ſecundarii. Omnes enim homines etiam in extrema Barbaria nati, atque ipſimet pueri ſolo naturæ ductu: Rex eris, aiunt, ſi benè feceris. Quæ omnia probantur à Spalatenſi, dum ait naturalem rationem non ſolùm dictare eſſe neceſſarium, ut multitudo regatur: verùm etiam homines cogere ut ſe ab aliquo regi & gubernari conſentiant. 3. Quòd aſſerit jure divino & naturali con-

Digitized by Google

vinci populum aut multitudinem ex neceſſitate regi & non regere. Fateor quoad actum: nego quoad habitum. Et infrà ampliùs explicabitur.

Secundum argumentum Spalatenſis eſt, Deum naturæ auctorem, qui propenſionem naturalem dedit multitudini ut regatur; dare ſimiliter & conferre immediatè poteſtatem rectivam certis hominibus, quos ut plurimum communitas eligat in Rectores, Reges, Principes ac Magiſtratus. Subinfert communitatem ideo eligere, quòd naturaliter ſentiat & experiatur ſibi neceſſarium eſſe ut regatur: Non autem quòd in ſe habeat poteſtatem rectivam.

His tria reſpondeo. Primùm ex communi axiomate: Quod dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe: verum ac certiſſimum eſſe, Deum civilis poteſtatis auctorem exiſtere, quando hominem animal civile procreavit, ut capite primo hujus libri docuimus. Secundò negamus regulariter atque extraordinariè Deum ſemper immediatè illam poteſtatem quoad actum & exercitium certis hominibus conferre: hoc enim fit ſpeciali privilegio: ut quando Moſem populi Iſraelitici Ducem elegit: contrà certiſſimum eſt, illam poteſtatem quoad habitum & originaliter immediatè ſemper toti communitati detuliſſe, ut populus eam in aliquos Reges, Rectores atque Principes per veram aut interpretativam explicitam aut tacitam electionem quoad actum atque exercitium tranſmitteret. 3. Dum fatetur Spalatenſis communitatem habere à Deo poteſtatem ſibi eligendi Reges, Rectores, Magiſtratus, &c. unà fundamentum ſuum dilapidat. Quod autem ait hanc poteſtatem eligendi in populo eſſe tantùm paſſivam, non activam, mera eſt evaſio quæ infrà explicabitur.

Tertium argumentum eſt; quod ſi communitas haberet poteſtatem Rectivam à Deo, ſequeretur jure divino naturali omnem Rempublicam eſſe Democraticam, & ſolùm jure poſitivo humano ex libera voluntate multitudinis eſſe Monarchicam vel Ariſtocraticam, ſicque Deus jure naturæ dediſſet multitudini poteſtatem Rectivam, ut eam penès ſe liberè retinere, vel Monarchicè, aut Ariſtocraticè exercendam alicui tradere poſſet. Quo dato populus qui liber eſt, ſi eam nollet transferre in alios, erit ſub forma regiminis purè democratica: Et conſequenter Deus jure divino naturali peſſimum atque imperfectiſſimum genus regiminis inſtituiſſet, quod eſt impoſſibile. Nam determinatio communitatis circa Regimen Democraticum, Ariſtocraticum, vel Monarchicum, ut plurimùm pendet ab electione

ctione & poſitiva deliberatione populi: quoniam primùm populus deliberat de genere Regiminis eligendo: Deinde eligit Magiſtratus & Rectores, qui Democraticè, Ariſtocraticè aut Monarchicè gubernent. Cùm igitur talis determinatio & deliberatio præcedat electionem populi, inſurgit jure naturæ nullam eſſe Rectivam poteſtatem in ipſa multitudine, ſed eam acquiri poſt factam determinationem, quâ populus ſibi hanc vel illam formam Regiminis cooptat.

Totum hoc argumentum diluitur diſtinctione poteſtatis quoad habitum & quoad actum aut exercitium. Cùm enim communitas politica magnam morum atque ingeniorum varietatem & inæqualitatem naturâ ſua complectatur, quorum alii ad parendum, alii ad regendum, alii ad neutrum idonei ſunt; ex eo accidit ut omnes ſibi conſcii hujus varietatis, facilè conſentiant, ut ab aliquibus regantur, cùm tota communitas capax eſſe non poſſit civilis poteſtatis quoad actum, ſed dumtaxat quoad habitum. Unde illud celebre Philoſophorum effatum: *Actiones ſunt ſuppoſitorum ſingularium, non ſuppoſitorum juris:* multò magis locum habet in actionibus completis politici regiminis, quod à multitudine perfectè & completè exerceri nequit. Ut ergo de ſingulis partibus argumenti dicamus: in multitudine poteſtas democratica eſt quidem completa materialiter, tantùm quoad habitum, & in actu ſignato: Deinde per conſenſum & electionem populi, aut etiam jure gentium formaliter, quoad actum vel in actu exercito efficitur Democratica, Ariſtocratica aut Monarchica. Ex quo inſurgit in ipſa multitudine ante determinationem atque deliberationem multitudinis, poteſtatem politicam eſſe ſolummodò materialiter quoad habitum & in actu ſignato; quoniam tota multitudo, ſi de ſingulis generum loquamur, non eſt capax poteſtatis politicæ exercendæ; ſed tantùm quoad genera ſingulorum. Quocircà multitudo ſibi Reges & Magiſtratus, ac formam completam Monarchici, Ariſtocratici aut Democratici Regiminis deligit.

Quartum nullus iis juſtè privari aut ſpoliari poteſt, quæ jure naturali obtinet. Ergo ſi jure divino naturali Reſpublica eſſet Democratica; ſequeretur multitudinem illo regimine Democratico juſtè à quoquam homine privari non poſſe: Et tamen exempla plurima contrarium convincunt, ut expreſſe docet Auguſtinus lib. 1. de libero arbitrio. Ex eo enim quòd homines & populi ejus generis rerum ſunt, quæ mutabiles ſunt, & tempori ſubjectæ: ſi populus ſit benè modoratus & gravis, communiſque utilitatis diligentiſſimus cuſtos,

in

Digitized by Google

in quo unuſquiſque minoris rem privatam quàm publicam pendat, nonne rectè Lex fertur, qua huic ipſi populo liceat creare ſibi Magiſtratus, per quos ſuæ res, hoc eſt publicæ adminiſtrentur? Rectè prorsùs. Porrò ſi paulatim depravatus idem populus rem privatam Reipublicæ præferat, atque habeat venale ſuffragium, corruptusque ab eis qui honores, & in paucorom bonorum, vel etiam unius redigat arbitrium; & id rectè. Non igitur Auguſtino ſemper eſt tyrannus, qui privatâ ſuâ poteſtate eripit populo libertatem: id enim factum poteſt ſæpè defendi divino jure naturali, ut explicavit Auguſtinus, qui etiam hoc nomine oppreſſionem Romanæ Reipublicæ per Auguſtum factam potiùs laudat quàm reprehendit lib. 3. cap. 21. de Civitate Dei. *Auguſtus videtur*, ait, *non adhuc vel ipſorum opinione glorioſam, ſed contentioſam & exitioſam, & planè jam enervem ac languidam libertatem omni modo extorſiſſe Romanis, & ad Regale arbitrium cuncta revocaſſe, & quaſi morbidâ vetuſtate collapſam veluti inſtauraſſe ac renovaſſe Rempublicam. Non ergo*, inquit Spalatenſis, *Reſpublica Romana jure divino naturali erat Democratica, ſed jure humano: ſed ex Democratica facta eſt Monarchica, Deo ſuam poteſtatem immediatè primùm populo, deinde Imperatoribus conferente, facta mutatione perſonarum Regentium: Conſules enim mutati ſunt in Imperatores, &c.* At profectò omnes rationes Antonii de Dominis cò collimant, quaſi poteſtas politica eſſet completè & in actu exercito in ipſa multitudine, quod falſum eſſe ſatis liquet ex reſponſione ad tertium, quæ etiam hoc quartum argumentum planè diruit; & in ſolutionis cumulum obſervandum eſt poſt peccatum primi parentis Deum introduxiſſe jus gentium velut juris naturalis appendicem & concluſionem, cujus ope ille habitus regendi, qui naturaliter ineſt populo, ad actum atque exercitium completum reduceretur ac determinaretur: quo jure Auguſtus Cæſar in Rempublicam Romanam invaſit, eamque ex Democratica Monarchicam effecit non abſque graviſſimo peccato, quia hoc patratum eſt cæde & ſanguine bonorum proſcriptorum, atque ſtatus Democratici completi everſione.

Quintum. Deus, cujus eſt proprium regere & gubernare ſuam creaturam, indidit humanæ creaturæ propenſionem, quâ naturaliter aſſentimur bonum eſſe ut regamur & gubernatoribus pareamus: unde cogimur à natura Principi parere, quod non eſt habere in ſe à natura vim rectivam & gubernativam, niſi valde remotè & paſſivè, quatenus habemus naturalem prudentiam etiam politicam, quæ eſt re-

Digitized by Google

rectiva in potentia tantùm, quâ quidem Deus naturam noſtram ornavit, ut illi qui ad regimen actu aſſumentur, poſſent naturali prudentiâ ipſum Regimen exercere: Quocirca concludit populum habere à natura potiùs paſſivam quam activam poteſtatem regendi, & propter hanc poteſtatem paſſivam ſeſe naturæ propenſione ſponte ac liberè ſubmittere Rectoribus & Magiſtratibus, non ſecùs quàm materia ſubjicitur formæ, aut fæmina viro, ut ab eo regatur, & perfectionem ſuam adipiſcatur. Itaque decernit, ſicut in matrimonio vir ſit caput mulieris, non à muliere, ſed à Deo: Ita populum eligendo caput in Regem aut Magiſtratum aliquem, in eis Majeſtatem agnoſcere, non quam ipſa multitudo confert per actum aliquem tralaticium, ſed quam Deus immediatè tribuit per quamdam immediatam irradiationem & communicationem fontalis poteſtatis ſæcularis. Quamquam autem Deus aliquando utâtur operâ & miniſterio humanæ multitudinis in eligendis & conſtituendis Rectoribus & Magiſtratibus qui regant populum: tamen nemine utitur ad communicandam actualem poteſtatem regendi & gubernandi, quam ipſe ſolus communicat. Quare licèt communitas initio ſtatuere poſſit utrùm Democraticè, Ariſtocraticè, an Monarchicè regi debeat? tamen poteſtas rectiva tam in populo quàm in optimatibus & Rege, eſt à ſolo Deo, qui eam immediatè confert, &c. certè hoc argumentum nihil ampliùs quàm ſuperiora probat: quæque venditat de Dominis, explicata & ſoluta ſunt ſuperiùs. Primò quidem cogimur à natura Regi & Magiſtratibus parere; quoniam hi verâ atque explicitâ electione, aut ſaltem jure gentium conſtituuntur. Secundò quod ait poteſtatem rectivam eſſe in populo valde remotè & paſſivè, explicatum eſt reſponſione ad 3. argumentum, ubi cauſam aſſignavimus, quare poteſtas politica tantùm eſſe poſſit materialiter, & quoad habitum in populo, & non quoad actum & exercitium, completè atque perfectè. Tertiò poteſtas paſſiva propriè eſſe dicitur in aliquo, quando vi naturæ non eſt capax eam habendi aut exercendi, ut verbi causâ laici cùm non ſint capaces Eccleſiaſticæ poteſtatis, ideò dicuntur tantùm paſſivè concurrere ad electionem Paſtorum, ut ſe ſpontè & liberè illis ſubmittant, & nihil poteſtatis conferant. At non ita eſt in poteſtate laica, cujus populus quoad habitum, & actum naturaliter capax eſt, ſi de generibus ſingulorum loquamur. Nam civilis poteſtas eſt naturalis, cujus proinde homines naturâ ſuâ capaces ſunt & quoad habitum & quoad actum; ſicut homo naturâ ſuâ capax eſt

ut ſit caput mulieris. Cæterùm comparatio eſt diſparata inter populum eligentem Magiſtratum, aut Regem; atque inter mulierem ſe ſubdentem viro; quia mulier nihil viro confert præter ſuum conſenſum, ut ſe illi ſecundùm naturam ſubmittat: at populus eligendo Regem aut Magiſtratum, eidem actu verè & formaliter poteſtatem civilem confert, ut eam quoad actum in omnes exerceat. Quartò petitio eſt principii dicere ſolum Deum immediatè communicare poteſtatem civilem. Fateor quidem immediatè inſtitutam eſſe à Deo cum hominis creatione, ut ſuprà docuimus: ſed nego actum atque exercitium hodie communicari à Deo, cum Deus ejuſmodi poteſtatem indiderit communitati, ut eam quoad actum explicitè aut implicitè alicui communicaret. Quocircà Deus Optimus Maximus ubi animadvertit Judæos in propoſito Regis habendi perſeverare, ne illos contra jus & libertatem naturalem abſolutè regere videretur, tandem paſſus eſt ut ſibi ſortitione, quæ æquivalet electioni, *Regem conſtituerent*. 1 Reg. 10. verſu 20.

Sextum argumentum privatim oppugnat Doctorum Pariſienſium ſententiam, quam Navarrus cap. Novit de Judiciis, amplectitur: contenditque Spalatenſis Pariſienſes impropriè loqui, aſſerentes poteſtatem civilem ſic eſſe à Deo, ut per priùs intelligatur conceſſa immediatè à Deo communitati, quod Populus eam certæ perſonæ communicet atque applicet. *Nam* ait *communitatem nihil conferre quod ſuum eſſet, ſed ad ſummum perſonam determinare, aut ut verius dicamus, perſonam potius applicare Divinæ poteſtati, quàm Divinam poteſtatem perſonæ.* Addit *Pariſienſes in omnibus prorſus ac per omnia parem in proportione facere Eccleſiaſticam & laicam poteſtatem: quoniam ſupremam poteſtatem Eccleſiaſticam à Deo immediatè datam eſſe dicunt communitati: & per Electionem hujus communitatis eam volunt Papæ applicari, &c.* lib. 6. de Repub. cap. 2. numero 24. verùm ſemper continuat in petitione principii, quia nihil probat. Fallit autem aut fallitur, dum aſſerit Pariſienſes in omnibus & per omnia parem in proportione facere Eccleſiaſticam & laicam poteſtatem. Ratio eſt quia licèt doceant utramque poteſtatem inſtitutam eſſe à Deo, tamen hoc diſcrimen ponunt, quòd poteſtas civilis ſit naturaliter: Eccleſiaſtica verò ſupernaturaliter inſtituta à Deo. Deinde illam dicunt traditam eſſe quoad habitum communitati, ut eam naturaliter communicet Regi, Optimatibus aut Magiſtratibus quoad actum & exercitium: Eccleſiaſticam verò toti ordini hierarchico, ut hic eam proportio-

portionatim communicet Papæ, Epiſcopis, & Presbyteris. Quare non hîc ſola eſt perſonæ determinatio aut deſignatio, ut fingit Spalatenſis, ſed vera collatio poteſtatis Politicæ & Eccleſiaſticæ, quæ realiter fit per conſenſum populi, atque Ordinis Hierarchici, ut aliàs probavimus. Verùm hæc perſonæ determinatio, aut deſignatio quam memorat Spalatenſis, non eſt Pariſienſium, ſed Cajetani, Bellarmini, & recentiorum obnoxiorum opinio.

Septimum, Si communitas Reges atque alios Principes inſtitueret, certè id liberè faceret, & Reges jure divino non regnarent, ſed humano; quod non negat Bellarminus lib. de Laicis cap. 6. hoc tamen eſt contra loca Scripturæ, naturalem rationem, & communiſſimum totius Eccleſiæ ſenſum. Nam jure divino naturali Reges regnant, regunt atque imperant: & jure divino naturali homines à Regibus regi debent. Sicut & in Eccleſia jure humano fit Epiſcopus & Papa, id eſt eligitur & conſecratur: jure tamen divino epiſcopalem accipit & exercet poteſtatem, atque ita etiam Rex, &c. Porrò ego ſuperius docui, quamquam non ſit de fide, hunc aut illum Regem vel Papam, eſſe Regem aut Papam: nihilominùs eſſe de fide Politicam & Eccleſiaſticam poteſtatem objectivè & formaliter ſumptam, eſſe immediatè à Deo, quomodocumque exerceatur aut exiſtat in Principatu Monarchico, Ariſtocratico vel populari in Papa, Epiſcopo, vel Presbytero. Vide cap. 1. hujus libri num. 5.

Octavum eſt poteſtatem ſæcularem non modò in univerſum conſideratam eſſe à Deo, ſed etiam in particulari, ut Monarchicè, Ariſtocraticè aut Democraticè exercetur; quia Rex & Magiſtratus eam tanquam Dei non multitudinis ac populi Vicarii exercent, & proximè ac immediatè illam habent à Deo: quia, ut dictum eſt, multitudo naturaliter regi, non regere debet, neque aliam habet poteſtatem quàm deputandi ſeu eligendi perſonas à quibus regatur. Duæ ſunt partes hujus argumenti, quarum prior: quòd Rex & Magiſtratus politici ſint Dei Vicarii, veriſſima & certiſſima eſt. Poſterior autem, quòd illam poteſtatem habeant proximè & immediatè à Deo, falſiſſima. Sicut etiam quòd multitudo nihil poteſtatis conferat, ſed tantùm perſonas à quibus regatur, deputet, quam opinionem ſuprà confutavimus.

Nonò ad argumentum Molinæ de juſtitia & jure, tractatu 2. cap. 23. Quòd Reſpublica ſeu communitas non modò poſſit variare formam Regiminis, ſed etiam initio ſuis Regibus & Magiſtratibus modò ma-

Digitized by Google

majorem, modò minorem concedere poteſtatem Regiam, eamque limitare, & ſibi quædam judicia reſervare, ut videmus in Regno Poloniæ & Imperio Germaniæ, verbi causâ. Spalatenſis reſpondet, quod ubi multitudo ſeipſam totam ad Democraticum regimen cooptat, tunc Deum ipſi toti tribuere poteſtatem regendi: & ita in Regno Poloniæ, aut Imperio Germaniæ, cum populus poteſtatem Regis atque Imperatoris limitat, Deum quoque illis eam tradere limitatam, quoniam ibi populus non ſe in totum abdicat poteſtate, ſed eam limitatam eſſe vult, hocque modo Deus cum populo concurrit. Quæ omnia gratis dicuntur à Spalatenſi abſque ulla probatione, ut liquet; & ita confirmatur actum & exercitium poteſtatis politicæ à populi determinatione, & vera aut interpretativa electione pendere.

Decimò ad Almainum & alios, qui Regem ſuo Regno congregato non eſſe ſuperiorem dicunt: Reſpondet poteſtatem Regiam rectivam & dominativam diſtinguendam eſſe à poteſtate paſſiva & rectiva aut applicativa perſonæ deputatæ Regimini, idque probat ex electione Paſtorum, quæ non eſt conceſſio poteſtatis Epiſcopalis, ſed declaratio, atque deſignatio perſonæ, cui Deus immediatè confert poteſtatem. Nam, inquit, velit, nolit populus, cogitur conſentire in electionem Principis & Magiſtratus; quia abſque Rectore ſubſiſtere non poteſt, qui conſenſus populi eſt merè paſſivus, non activus, quoniam nihil confert poteſtatis Principi, &c. Quod argumentum ſæpè & fruſtrà iteratur à Spalatenſi, eſtque identidem à nobis ſolutum ſuperiùs præſertim reſponſione ad quintum & ſextum.

Undecimò cùm Bellarminus lib. de Laicis cap. 6. argumentetur poteſtatem politicam eo modo tradi & conferri Principi electo à communitate, quo ſingularis homo, qui natura liber & ſui juris eſſet, ſe traderet alicui viro in ſervitutem: ita ut ille cui homo iſte ſe ſervum addiceret, in eum ſervitutem acquireret, & continuò ſequi poteſtatem civilem immediatè conferri à populo. Contrà Antonius de Dominis excipit diſparatam eſſe comparationem propter herilis atque civilis poteſtatis diſcrimen: quoniam ſicut quilibet homo poteſt ſe alicui ſpontè & liberè tradere in ſervitutem; ita etiam poſſe fieri ut integra communitas ſe ſigillatim regendam herili & deſpotico imperio alicui ſubjiciat: ita ut ille cui ſe ſubmitteret, acquireret herilem poteſtatem in illam communitatem, quæ poteſtas immediatè eſſet à communitate. *Sed*, inquit, *diverſa eſt ratio civilis poteſtatis; quia unaquæque communitas ex vi legis naturæ tenetur ſe neceſſariò, non*

ſpontè

Digitized by Google

ſpontè ſubjicere poteſtati civili, quoniam, velit, nolit, non poteſt vivere abſque Rectoribus; quare natura humana hoc jus tanquam neceſſarium repoſcit à ſingulis hominibus, qui ex naturali amore propriæ libertatis, quamquam habeant naturalem quamdam repugnantiam, nihilominùs aſſentiri coguntur electioni Rectorum. Unde Hieronymus Epiſtola 1. *Rex nolentibus præeſt*, inquit, *qua tamen repugnantia ſingulorum illi propenſioni univerſali cedit, ut minor cedere debeat majori. Ex vi igitur ipſa & neceſſitate naturæ quam Deus indidit hominibus, ut regi debeant; iidem etiam renitentes in regimen neceſſariò conſentiunt, qui conſenſus in communitate eſt merè paſſivus: activus verò non eſt, neque dat cuiquam actualem poteſtatem ac rectivam: nam velit, nolit, tenetur populus natura ipſa ad hoc neceſſitatem imponente, conſentire; ideoque ſpontaneus conſenſus communitatis in hoc nihil efficit, & eſt merè per accidens. Adeſt enim in hoc conſenſus naturalis & neceſſarius, qui à Deo Auctore naturæ eſt*; quò & Apoſtolus reſpexit, quando dixit: *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Rom. 13. *Demus verò aliquam communitatem nolle omninò ullam inter ſe ſeu ſuprà ſe habere politicam poteſtatem, num propterea ad ipſius beneplacitum erit libera? minimè gentium: nam ſine tali poteſtate & Rectoribus conſiſtere non poterit, & multæ ſunt viæ quibus illa vel invita alicui poteſtati ſubjiciatur, eique parere teneatur: ac ſi vera eſſet contraria aſſertio, invita communitati nemo legitimè præeſſe poſſet, &c.* Hæc Spalatenſis lib. 6. cap. 2. numero 32. ſed poterat tam caſſo labore profuſiſſimæ collectionis ſuperſedere, qua nihil aliud probat, quàm quod non poſitum eſt in quæſtione: videlicet communitatem politicam non poſſe Rectoribus carere: hoc enim poſt peccatum primi parentis neceſſariò invectum eſt, & eam ob cauſam jure gentium bella & ſervitutes introductæ. Quod autem urget conſenſum populi eſſe merè paſſivum, non activum, ſuprà depulſum eſt. Etſi autem jure gentium ſæpè Rectores atque Principes dentur communitatibus, eamque ob cauſam populi initio conſentire non videantur: tamen progreſſu temporis conſenſus interpretativus accedit; & ita Principatus qui initio violentus atque tyrannicus erat, juſtus ac legitimus evadit per conſenſum liberum populi autoritatem legitimam conferentis invaſoribus. Porrò locus Apoſtoli: *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* De poteſtatibus legitimè conſtitutis jure electionis aut hæreditatis intelligi debet: Electio autem vera eſt & explicita, aut tacita & interpretativa.

Duodecimò, ad auctoritatem Juſtiniani Imperatoris, qui lib.

priore Inſtitutionum de jure naturali gentium & civili diſputans, aſſerit laicam poteſtatem à Populo in Principem effundi. Reſpondet hoc de ſola poteſtate electiva paſſiva capi oportere, vel etiam de inſtitutione Principis à ſenatu Romano, cujuſmodi eſſet vel Dictator vel Imperator Exercitus, ab ipſa tamen Republica dependens, quamdiù fuit Democratica. Quæ profectò mera ſunt effugia; quoniam Juſtinianus loquitur ibidem de Principe & Principatu, qualis poſt Auguſtum Cæſarem extitit, vultque demonſtrare populum Romanum lege regiâ omnem tranſmiſiſſe poteſtatem in Regem aut Principem, ut docent Juriſconſulti, ad quorum mentem Juſtinianus loquitur.

Decimotertiò lib. 6. cap. 2. à numero 5. certat teſtimoniis ſacræ Scripturæ, quòd poteſtates humanæ civiles immediatè à Deo, & Dei ordinatione inſtitutæ ſint. Quod ut confirmet, laudat Apoſtolum 13. ad Rom. *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Sapientem cap. 6. Sapientiæ. *Audite ergò Reges & intelligite: Diſcite Judices finium terræ, præbete aures, quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo.* Quibus de locis diſſeruimus cap. 1. hujus libri, ne hîc eadem cum nauſea iterare cogar.

Decimoquartò eodem cap. num. 9. obſervat. Niſi Principes terreni immediatè à Deo ſuam acciperent poteſtatem, non illos venerandæ Antiquitatis Patres ſoli Deo immediatè in terris ſubjeciſſent, ita ut nemo penitus ſit in terris, qui ſuprà illos ſit collocandus, in eo videlicet quod Principes terreni ſint. Si verò poteſtas regia à Deo prius & immediatè populo tribueretur: Populus verò eam Regi communicaret; procul dubio ipſe populus ſeu ipſa communitas eſſet Rege in terris potior & ſuperior, & ita non Deo immediatè, ſed prius populo Rex ſubderetur, quod non negant Scholaſtici, dum plures aſſerunt Regem ſuo regno congregato non eſſe ſuperiorem, ſoli verò Deo immediatè Regem ſubdi &, non ulli alii in terris Patres apertiſſimè pronuntiant, ut Tertullianus ad Scapulam. *Colimus ergo & Imperatorem ſic quomodo & nobis licet, & ipſi expedit, ut hominem à Deo ſecundum & quicquid eſt à Deo conſequutum, ſolo Deo minorem, hoc & ipſe volet. Sic enim omnibus major eſt, dum ſolo Deo vero minor eſt.* Idem & in Apologetico adverſus gentes cap. 30. ait *Imperatores eſſe in ſolius Dei poteſtate, à quo ſunt ſecundi, poſt quem primi ante omnes. Inde eſt Imperator unde & homo, antequam Imperator: Inde poteſtas illi, unde & ſpiritus.* Et cap. 32. *Nos judicium Dei ſuſpicimus in Impera-*

pera-

Digitized by Google

peratoribus, qui gentibus illos præfecit: id in eis ſcimus eſſe quod & Deus voluit. Optatus Milevitanus lib. 3. contra Parmenianum. *Super Imperatorem non eſt niſi ſolus Deus, qui fecit Imperatorem.* Chryſoſtomus homilia ſecunda ad Populum Antiochenum. *Imperator læſus eſt, qui non habet parem ullum ſuper terram, ſummitas & caput omnium ſuper terram hominum, &c.* Quibus ex locis & aliis ſimilibus Spalatenſis colligit Imperatorem à Deo immediatè conſtitui, & quicquid eſt à Deo, non à communitate conſequutum, quippe qui inde habeat poteſtatem, unde & ſpiritum & animam, &c. Reſpondeo ſicut hæc verba Tertulliani quibus potiſſimùm nititur de Dominis: Inde poteſtas Imperatoris, unde & ſpiritus illi, &c. Non ſunt ita ad rigorem capienda, ut ſenſus ſit Imperatorem vitam & animam non habere à Patre ſuo, ſed immediatè à ſolo Deo. Ita nec illa quibus oſtendit Imperatoris poteſtatem eſſe à Deo. Nam ut Deus & homo hominem generant: ſimiliter etiam Deus & communitas Imperatorem efficiunt. Ideò autem dicitur Imperator ſolo Deo minor, & ſecundus poſt Deum, quia ſolus poſt Deum poteſt abſolutè cogere quod imperat: quoniam poteſtas politica in eo ſolo eſt completè quoad actum atque exercitium; in communitate autem quoad habitum dumtaxat. Neque Deus vult ut communitas Reges & Imperatores cum periculo turbandæ unionis, pacis & tranquillitatis publicæ abroget, ſicut abundè probavimus initio hujus capitis, quò Lectorem remittimus.

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

I. *Chriſtum quatuor de cauſis ſolam poteſtatem miniſterialem ſpiritualem Paſtoribus Eccleſiæ reliquiſſe: Quarum prima eſt ut ſapientiam mundi confunderet, & procul ab Eccleſia arceret.*

II. *Secunda cauſa eſt, ut Eccleſia omnem ſuam ſufficientiam in ſeipſa, hoc eſt in ſola obſervatione mandatorum Dei, & opibus ſpiritualibus collocaret, nec foris eam quæreret.*

III. *Ut Eccleſiaſticos humilitatem edoceret & à cura rerum ſæcularium tanquam à peſte ſpiritualis vitæ avocaret.*

IV. *Clericos mundi negotiis deditos, eſſe Martyres mundi, qui per multas tribulationes promerentur infernum, teſte Petro Bleſenſi.*

V. *Curam & Iuriſdictionem rerum Temporalium reddidiſſe Eccleſiam totam brutalem autore Gerſonio.*

VI. *Ethopœia primùm à Thoma Cantipratano: deinde à neſcio quo alio conficta de Lucifero Principe tenebrarum Clericis gratulante, quod ſeſe negotiis ſæcularibus contra Chri-*

Chriſti præceptum dedant, & hac ratione infernum animabus Chriſti ſanguine redemptis refereiant.

VII. *Quarta cauſa, ut pacem, charitatem, & unionem eſſe finem Legis Gratiæ demonſtraret, atque Ethnicos & quoſcumque homines ad Euangelium alliceret.*

VIII. *Nihil tantoperè infeſtum & contrarium eſſe charitati, quàm dominandi ſtudium, & poteſtatem abſolutam Papæ.*

IX. *Doctrinam Bellarmini ruinam & excidium parare Euangelio.*

I. De naturâ & cauſis eſſentialibus Eccleſiaſticæ poteſtatis hoc libro diſputaturus, methodum ſuperiori libro poſitam ſervabo: ac primùm canone Scripturæ, deinde traditione Eccleſiæ univerſalis convincam quatuor potiſſimum de cauſis ſeſe mutuò involventibus Dominum ſolam poteſtatem miniſterialem ſpiritualem vacuam & expertem omni dominatu & poteſtate abſolutâ cogendi Eccleſiæ ſponſæ credidiſſe: ita ut Eccleſiaſtici formaliter ut Eccleſiaſtici neque per ſe, neque per alium jus habeant cogendi aliquem, ut Eccleſiæ mandata impleat. Prima cauſa eſt, quia Deus ſapientiam, dominatum, potentiam & majeſtatem mundi, humilitate, patientiâ, tolerantiâ, infirmitate, innocentiâ & vitæ puritate confundere, inque ſuum obſequium captivare voluit. Quâ ratione demonſtrat totam Eccleſiæ & Religionis Chriſtianæ perfectionem & ſufficientiam à ſola obſervatione mandatorum Dei, viqne interna animi, non à rebus externis, & auctoritate temporali peti oportere: quandoquidem *omnis gloria filiæ Regis ab intùs*, Pſal. 44. unde Matth. 6. præcipit *ut primò Regnum Dei, & juſtitiam ejus quæramus, ſicque omnia adjicientur nobis.* Et Matthæi 10. Apoſtolos ad Euangelii prædicationem inſtruens, vult *ut ſeſe totos divinæ providentiæ, & mandatis Dei, non humanis ſubſidiis atque opibus comparandis dedant, nec virgam aut baculum ferant in via.* Quem ad locum S. Hieronymus, Anſelmus, & Gloſſæ: *Qui Domini auxilium habemus, baculi præſidium cur quæramus.* Maldonatus autem poſt Hieronymum atque Anſelmum Hieroglyphico baculi & virgæ, poteſtatem puniendi & cogendi in virga ferrea deſignari obſervat, more Principum ſæculi, qui gladio armati, abſolutè cogunt quæ imperant. Neque verò putandum quæ hoc loco de virga & baculo non ferendo præcipiuntur, iis adverſari quæ Lucæ 22. de tunica vendenda & gladio emendo leguntur. Enimverò Matthæi 10. Chriſtus Catholicum præceptum literaliter intelligendum deſigit. Lucæ autem 22. allegoricè & ratione ſcandali crucis imminentis loquitur, ut Bellarminus docet lib. 5. de Romano Pontifice

Digitized by Google

tifice cap. 5. Reſpondeo ad literam, Dominum illis verbis ſolum admonere voluiſſe Diſcipulos tempore paſſionis ſuæ, iis in anguſtiis & metu ipſo futuros, in quibus eſſe ſolent, qui tunicam vendunt, ut emant gladium. Proculdubio Dominus Matthæi ultimo iis dumtaxat opem & auxilium ſuum certò pollicetur, qui ea fecerint quæ præſcripſerit: *Euntes ergo docete omnes gentes ſervare omnia quæ mandavi vobis, & ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* An non ergo magna eſt impietas timere, ſi quod in nobis eſt fecerimus, ut Dei mandata cuſtodiamus, ne nobis & Religioni Chriſtianæ Chriſtus deſit? & ariolari illum Eccleſiæ ſponſæ melius & accuratius conſulturum, ſi contra ejus præcepta humanæ ſapientiæ opibus atque adjumentis fidem & Religionem Catholicam conſervare & propagare annitamur. Cùm ipſo lumine naturali abſque alio Doctore diſcamus iiſdem planè artibus & ſubſidiis acquiri & conſervari imperium. Nam prope eſt Dominus omnibus eum invocantibus in veritate: voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſalvos faciet eos. *Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe, & omnes peccatores diſperdet.* Pſal. 144. Porrò Deum in veritate invocare quid aliud eſt, quàm ejus mandata ſtrictè accuratèque ſervare? quorum unum & ſupremum eſt, ne ſe Eccleſiaſtici negotiis ſæculi dedant; utque potentatus & ſapientiam mundi humilitate, tolerantiâ, vitæ integritate, atque opibus Spiritualibus quaſi contrariis debellent. 1 Corinthiorum 1. *Quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus; & quod infirmum eſt Dei fortius eſt hominibus. Sed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt, deſtrueret, ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus.* Pergit cap. 2. *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitia eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur: ſpiritualis autem homo judicat, & à nemine judicatur.* Quæ divina teſtimonia benè intellecta controverſiam de poteſtate Papæ in rebus temporalibus dogmaticè definiunt; quia Patres & gloſſæ in hunc locum docent in conſtituenda, propaganda & tuenda Religione Dominum ſpiritualibus adjumentis, ſapientiæ mundanæ dominatui planè contrariis ideo uti voluiſſe, quod mundi potentiam humilitate, infirmitate, vitæ ſanctimoniâ & morte ignominioſâ à ſuis debellari & ſuperari vellet, cujus rei faciendæ ipſemet nobis exemplum dedit. Quæ ratio procedendi ab homine animali nullo modo guſtari poteſt, quoniam ex hominum mundanorum inſtitutis, in vanitate ſui ſenſus ambulat, & tenebris

Digitized by Google

obſcuratum habet intellectum. Epheſiorum 4. Idque adeò ut, cùm animo concipere non poſſit ſe ſpiritualiter examinari, de rebus ad Religionem ſpectantibus contra cauſas eſſentiales ſpirituales poteſtatis Eccleſiaſticæ decernat, & proprium ac peculiarem ſenſum à legis gratiæ manſuetudine, puritate & humilitate penitùs alienum ambiat. Quod in cauſa eſt ut in iis quæ ad juſtam Eccleſiæ gubernationem ſpectant, adverſarii germanam Scripturæ & Patrum ſententiam ad temporalia detorqueant, quò ignaram plebem ludificentur, & cauſæ ſuæ ſerviant: hincque innumera figmenta, calumniæ & cavillationes ſophiſticæ, quas propriis locis in apertum proferemus.

II. Altera cauſa eſt: quoniam Deus, cujus perfecta ſunt opera, atque omnes viæ ejus, judicia. Deuteron. 32. hac poteſtate miniſteriali ſpirituali Eccleſiam ſibi Architectonicen & ſufficientem conſtituere voluit, ne longiùs precariò aut aliunde quàm à ſe & in ſemetipſa viam & rationem ſe & ſua propugnandi mutuari aut emendicare cogeretur. Cùm enim omnis Reſpublica ſecundùm cauſas eſſentiales ſuæ inſtitutionis, ſibi ipſi ſufficiens & inſtructiſſima ſit Axiomate 8. Apologiæ noſtræ cum obſervationibus; profectò Eccleſia ſuo pariter modo nativam perfectionem & ſufficientiam à cauſis & principiis eſſentialibus ſuæ inſtitutionis, & non aliunde promere debet.

III. Tertiò Chriſtus poteſtatem miniſterialem ſpiritualem Eccleſiæ reliquit, propterea quòd Clerum, qui ſors atque hæreditas eſt Domini, ab omni faſtu, ſuperbia, avaritia, contentione, rerum ſæcularium ſollicitudine, ambitione, mendaciis, ſimulationibus, verſutiis; item à cædis & ſanguinis effuſione avocare, totumque Deo addicere vellet, ne more eorum qui mundo militant & addicti ſunt, divideretur, atque ab officiis divinis, vitâ ſpirituali, & rerum cæleſtium meditatione abduceretur, & tanquam ſpinis ſuffocaretur. Quocirca Apoſtolus 2 ad Timotheum 2. allegoriâ ductâ à militibus, qui ut Principi ſuo expeditiùs ſerviant, ab omni negotiatione, mercatura, aliiſque negotiis, quæ à militari factione illos abſtrahere poſſent, abſtinent. Nemo, inquit, militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat cui ſe probavit. Enim verò per leges Imperatorias milites negotiari & mercaturam facere prohibentur. Gloſſa interlinearis hunc textum Pauli explicans notat capi debere de quibuſlibet negotiis ſæcularibus, & Sacerdotes tanquam Chriſti mercatores, qui ſe ejuſmodi rebus implicant, iis eſſe perſi-

miles

miles qui carnalia quærunt, cùm inſtituti ſint ut mercatum faciant de ſpiritualibus & divinis rebus: quia minimè attendunt ſe ſpiritualiter examinari. Hùc quoque accurrit eximium B. Petri documentum ad VIII. Clementem, quem paulò antequam viam univerſæ carnis ingrederetur, ſic eſt affatus: *Neque enim judicem aut cognitorem ſæcularium negotiorum hodie te ordinari vult Chriſtus, uti ne præfocatus præſentibus hominum curis, non poſſis verbo Dei vacare, & ſecundùm veritatis regulam ſecernere bonos à malis.* Iſta namque opera quæ tibi minùs congruere ſuperiùs repoſuimus, exhibeant ſibi invicem diſcentes Laici, & te nemo avocet ab iis ſtudiis, per quæ ſalus omnibus datur. Sicut enim tibi impietatis crimen eſt, neglectis verbi Dei ſtudiis, ſollicitudines ſuſcipere ſæculares: ita & unicuique Laicorum peccatum eſt, niſi invicem ſibi etiam in his quæ ad communem vitæ uſum pertinent, operam fideliter dederint. Te verò ſecurum facere ex iis quibus non debes vacare, omnes communiter elaborent. Quòd ſi fortè à ſemetipſis hoc Laici non intelligunt, per Diaconos edocendi ſunt, ut tibi ſolius Eccleſiæ ſollicitudines derelinquant, quò ipſam, ut dignum eſt, diſpenſare ſufficias, & veritatis verbo abundantiùs & ſtudioſiùs deſervire. Si enim mundialibus curis fueris occupatus, & te ipſum decipies, & eos qui te audiunt. Non enim poteris quæ ad ſalutem pertinent, pleniùs ſingulis quibuſque diſtinguere: Et ex eo fiet ut & tu, tanquam qui non docueris quæ ad ſalutem hominum pertinent, puniaris, & Diſcipuli per ignorantiam pereant. Idcirco tu quidem ad hoc ſolum vocatus, ut opportunè & ſine intermiſſione docens verbum Dei, per quod ſalutem conſequi poſſint. Vide Clementis Epiſtolam ad Jacobum Fratrem Domini. Porrò in hac collectione ubi legitur: Et ex eo fiet ut & tu tanquam qui non ea docueris quæ ad ſalutem hominum pertinent, puniaris: codices antiqui habent: deponaris, pro puniaris: unde facilè eſt conjicere τὸ *deponaris* ab iis expurgatum & mutatum, qui ab aliquot ſæculis docere voluerunt Papam eſſe infallibilem, & nullam aliam ob cauſam, quàm propter hæreſim deponi poſſe. Sed ut ad propoſitum revertamur, Eccleſiæ primitivæ temporibus Clerici à ſæcularibus negotiis ſic abhorrebant, ut ne quidem ulli parentum teſtamenta aut negotia domeſtica procurare liceret. Concilium primum Carthaginenſe Canone 6. *Aut Clerici ſint ſine actionibus domorum, aut actores ſine officio Clericorum.* Cyprianus Epiſtola 66. ad Clerum & plebem Furnitanorum hanc quæſtionem fusè tractat,

Digitized by Google

propter Victorem qui Fauſtinum presbyterum tutorem nominarat: & Levitarum exemplo, qui à negotiis ſæculi propterea abſtinebant, quòd in nullam partem terræ promiſſæ filiis Iſraël veniſſent: probat Sacerdotes Novi Teſtamenti multò magis à negotiis ſæcularibus debere abhorrere. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in Sacerdotem prece, inquit, qui ab altari Sacerdotes & miniſtros voluit avocare. Et ideo Victor cùm contra formam nuper in Concilio à Sacerdotibus datam Geminium Fauſtinum presbyterum auſus ſit tutorem conſtituere, non eſt quòd pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Eccleſia frequentetur: ut Sacerdotum decretum religioſè & neceſſariò factum à nobis ſervetur. Sanè quemadmodum Platonis Reſpublica unum hominem plures artes profiteri minimè patiebatur: ita nec ferendum in Eccleſia ut Sacerdotes aliis quàm rebus divinis vacent: quoniam negotia ſæcularia ſecum unà ſordes & limum avaritiæ, ambitionis, ſuperbiæ, mendaciorum, ſimultatum, verſutiarum vehunt; Et ut patet ex mercatorum & hominum forenſium conſuetudine. Plinius junior Nepoti ſuo Epiſtola 27. ſcribit *hominum Scholaſticorum ingenio nihil ſimplicius, nihil ſincerius aut melius: Contra eos qui in foro, veriſque litibus teruntur, multùm malitia quamvis nolentes addiſcere.* Quare non abs re eſt quòd Dominus nimiam curam ſæculi ſpinis comparat, quæ etiam in ipſis Laicis ſemen Euangelii ſuffocat. Quantò magis in Clero? Legenda 88. Diſtinctio integra, & Gelaſius Papa Diſt. 10. can. *Quoniam idem mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus ſic actibus propriis & dignitatibus diſtinctis, officia poteſtatis utriuſque diſcrevit, &c.* Quatenus ſpiritualis actio à carnalibus diſtaret incurſibus: & ideo militans Deo minimè ſe negotiis ſæcularibus implicaret; ac viciſſim non ille rebus divinis præſidere videretur, qui eſſet negotiis ſæcularibus implicatus. S. Bernardus lib. 1. de Conſideratione ad Eugenium cap. 5. ex Gerardi Voſſii recenſione. *Itaque ſecundùm Apoſtolum: Indignè tibi uſurpas tu Apoſtolicus officium vile, gradum contemptibilium: unde dicebat Apoſtolus Epiſcopum inſtruens: nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, &c.* Non monſtrabunt, puto, ubi aliquando quiſpiam Apoſtolorum Judex ſederit hominum, aut diviſor terminorum, aut diſtributor terrarum. Stetiſſe denique lego Apoſtolos judicandos; ſediſſe judicantes non lego, &c. Quis me conſtituit judicem, ait ille magiſter & Dominus? Et erit injuria ſervo, diſcipuloque, niſi judicet univerſos? Quidni contem-

temnant judicare de terrenis poſſeſſiunculis hominum, qui in cæleſtibus & Angelos judicabunt? Ergò in criminibus non in poſſeſſionibus poteſtas veſtra: quoniam propter illa, & non propter has accepiſtis claves regni Cœlorum, prævaricatores utique excluſuri, non poſſeſſores, &c. *Quanam tibi major videtur dignitas & poteſtas dimittendi peccata, an prædia dividendi? Sed non eſt comparatio: habent hæc infima & terrena judices ſuos, Reges & Principes terræ. Quid fines alienos invaditis? Quid falcem in alienam meſſem extenditis? Sed aliud eſt incidenter excurrere in iſta, causâ quidem urgente, aliud verò incumbere iſtis tanquam magnis, &c.* Deinde lib. 4. cap. 9. Ingemiſcit Prælatis ſpiritualia præ temporalibus ſordere: *De pretio eſcarum & numero panum cum miniſtris quotidiana diſcuſſio eſt: rara admodum cum Preſbyteris celebratur collatio de peccatis populorum. Cadit aſina, & eſt qui ſublevet eam: perit anima, & nemo eſt qui reputet. Nec mirum, cum nec noſtros quidem aſſiduos ſentiamus defectus. Quam intolerabilius rerum quàm mentium ſuſtinemus jacturam?* Verùm quòd Bernardus ſcribit aliud eſſe incidenter excurrere in negotia ſæcularia: aliud verò illis incumbere, &c. Lumen capit ab S. Auguſtini ſententia apud Lyranum in caput 2. poſterioris ad Timotheum: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus. Otium ſanctum quærit charitas, ſed negotium juſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis: quam ſarcinam ſi nullus imponit, contemplandæ veritati vacandum eſt. Si autem imponitur, ſuſcipienda eſt propter charitatis neceſſitatem*, ait Auguſtinus. At qui indirectam rerum terrenarum curam in ordine ad ſpiritualia, Eccleſiæ & Summo Pontifici hodiè eo ſenſu vendicant, ut Reges exauctorare poſſit, certè non expectant ſibi neceſſitate charitatis negotia imponi, ut perhibet Auguſtinus: aut non incidenter in illa excurrunt, ut vult Bernardus, ſed ex officii ſui ratione ſeſe illis & neceſſariò immergunt, uſque adeò certè, ut planè neceſſe ſit omnia tribunalia politicorum Principum ad forum Eccleſiaſticum transferre, atque Clericos ipſomet Pilato ſeculariores effici (ut verbis S. Bernardi utar Epiſtola 42. ad Archiepiſcopum Senonenſem) ſi modò fide Catholicâ eſt tenendum Papam eam habere in rebus temporalibus poteſtatem, quam Bellarminus, Becanus, Suares, atque alii Jeſuitæ libro quarto exhibendi comminiſcuntur.

IV. Petrus Bleſenſis non levi & ſuſpensâ manu in Clericos, qui ſeſe negotiis ſecularibus addicunt, ſcripſit: *Damnabile eſt ſe curialibus aut ſecularibus negotiis immiſcere*, ait Epiſtolâ 14. ad Clericos de

Digitized by Google

Capella Regis Angliæ: *Noſtri Curiales in labore & ærumna, in vigiliis multis, in periculis magnis, periculis maris, periculis fluminum, periculis pontium, periculis montium, periculis in falſis fratribus, atque in aliis vitæ diſcriminibus in quibus gloriam martyrii mererentur, ſi hæc pro Chriſti nomine ſuſtinerent. Nunc autem ſunt martyres ſæculi, mundi profeſſores, diſcipuli Curiæ, &c.* Per multas ſiquidem tribulationes intrant juſti in regnum Cœlorum: hi autem per multas tribulationes promerentur infernum. *Væ qui trahitis jugum iniquitatis in funiculo vanitatis.* Iſaiæ 5. Item aliquantò inferiùs monet cavendum præſertim doctioribus Clericis, ne in aulis Regum verſentur: *Audite quid de talibus dicat Dominus per Prophetam. Dedi eis*, inquit, *argentum & aurum meum: ipſi verò de auro & argento meo operati ſunt Baal de auro & argento Domini quibus ſapientiam atque eloquentiam dedit Deus ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus: Ipſi verò talentum Domini terræ infodiunt, atque Baal conſtruunt, dum pro temporalium rerum quæſtu quaſi ſub jactu aleæ vitam & animam ponunt, &c. Convertit Dominus flumina eorum in ſanguinem, ne bibant, terramque ferream, & Cœlum æneum dedit eis, ut pluviæ cœleſtis expertes fructum vitæ non faciant.* Idem tractatu de Epiſcopi inſtitutione circa medium: *Quidam Epiſcopi Regum munificentias & eleemoſinas Antiquorum, abuſivè Baronias & Regalia vocant, & in occaſione turpiſſimæ ſervitutis ſeipſos Barones appellant. Vereor ne de illis queruletur Dominus, & dicat: Ipſi regnaverunt, & non ex me, Principes extiterunt, & ego non cognovi eos.* Oſeæ 8. *Scias te aſſumpſiſſe Paſtoris officium, non Baronis, &c. Tu te omnibus exhibe, cogitans te omnium ſervum; nec tibi, ſed cunctis genitum te vivere credas; datum indoctis doctorem; conſolatorem pauperum; ſalatium oppreſſorum; patrem orphanorum; defenſorem viduarum, & omnibus debitorem. Otioſitas inimica eſt animæ. Si non legis, ſi non ſtudueris, dormitabit anima tua præ tædio, &c. Modis omnibus cave ne ſæcularibus te involvas. Nulla enim conſonantia eſt Spiritus Dei ad ſpiritum hujus mundi: permane in vocatione tua: mundus in maligno poſitus eſt: noli malignari in malignantibus, ſed permane in vocatione tua ſecundùm menſuram regulæ quâ menſus eſt tibi Deus. Hodie apud quoſdam conſiſtit in his dumtaxat Epiſcopalis auctoritas, ut cretâ vel fimo ager ſationarius impinguetur: ut multiplicentur vinaria, & clauſulæ ferarum, poſſeſſionumque termini dilatentur: in ædificandis palatiis, molendinis & furnis, in augendis redditibus tota Pontificum ſollicitudo ferveſcit. Numquid vox Salvatoris eſt ad Principem Apoſtolorum & Præſulum: ſi diligis me, excole*

le

le terras, ædifica domos altas. Legimus eum dixiſſe ad Petrum: ſi amas me, paſce oves meas. Heres & vicarius Petri: Paſce oves meas Euangeliſando. Fac opus Euangeliſtæ & Paſtoris officium. Inſta opportunè; opportunè miniſterium tuum imple: miniſterium tuum plus oneris habet quam honoris: ſi affectas honorem, mercenarius es; ſi onus amplecteris, potens eſt Dominus augere gratiam ſuam, ut lucra ex lucris & ex profectibus profectus accedant, &c. Quid tibi ad fiſcales redditus, ut vel horulâ brevi curam poſthabeas animarum? Numquid Chriſtus te ad telonium elegit? Matthæus ſemel inde aſſumptus denuò ad ipſum non rediit, &c. Animabus Prælatus es, non corporibus: nihil Prælato commune eſt cum Pilato. Chriſti Villicus es, Vicarius Petri: nec te reſpondere oportet Cæſari de commiſſa Juriſdictione, ſed Chriſto. Quidam tamen per uſurpatas ſæculi adminiſtrationes ſe vinculo curiali obnoxiant, quaſi renuntiaverint ſuæ privilegio dignitatis.

V. Piiſſimus Gerſonius multas in hanc rem effudit querelas, & lectione ſecundâ ſuper Marcum ad calcem diſputat utrum è re ſit Eccleſiæ quod opibus ſæcularibus & profanâ ditione locupletata ſit; & an bonis temporalibus Eccleſiam privari expediat. Et primò quidem ex Auguſtino obſervat quòd utilius eſſet *illa bona non habere, dum obſunt bonis moribus, quemadmodum & obſunt divitiæ perituræ: generant enim vermem peſſimum, qui eſt ſuperbia vel voluptas effranata. Et ſicut in uno homine hoc habet veritatem, ſic habere poteſt in toto corpore myſtico Eccleſiæ: Ita quod numerabitur meritò inter magna divinæ miſericordiæ dona paupertas ipſius in talibus bonis fortuitis & juriſdictionibus civilibus, juxta quod dicunt hiſtoriæ, ut legi in poſtilla ſuper Biblia, quòd dum dotata eſſet Eccleſia bonis temporalibus per Conſtantinum, audita eſt vox in aëre: hodie venenum effuſum eſt in Eccleſia ſancta Dei. Et quicquid fuerit de hoc, potuit enim tunc dotatio hujuſmodi eſſe utilis propter bonitatem & fidelitatem diſpenſantium, & ditationem Eccleſiæ poſt adverſitates habitas: nihilominus nunc aliàs poterit ſpoliatio ſimiliter eſſe utilis propter malitiam Eccleſiaſticorum talibus bonis abutentium, ut claudatur via malignantium, ne cadant in præcipitium vitiorum, &c.* Subdit *blaſphemum eſſe, ſiquis dicat quòd ſpiritualia abſque temporalibus diu ſtare non poſſunt. Numquam enim Eccleſia fuit melior, quàm dum vixit in paupertate. Potiùs & veriùs diceretur econtrà quòd temporalia, & præſertim Eccleſiæ diu abſque ſpiritualibus eſſe non poſſunt, &c. nam ſicut aliàs memini declaraſſe, nimium ſtudium in multiplicatione bonorum temporalium & juriſdictionum in Eccleſia, non parva cauſa eſt ſuæ deſolationis tam in ſpiritualibus quàm*

Digitized by Google

in temporalibus. Et hoc manu ducebatur per ſimilitudinem corporis myſtici Eccleſiæ totalis ad corpus verum hominis. Nam intendere nimis regimini ſenſualitatis, ſpretâ directione rationis, eſt utrumque tam ſenſualitatem videlicet, quàm rationem extinguere. Hinc eſt quòd multi proborum & contemplativorum in Eccleſia parum curant, ſi depauperetur vel conculcetur in temporalibus iſtis vocatis bonis, videntes tot vitia & abuſus ex his provenire in conviviis ſuperfluis, in venationibus, in ſimoniis & præſidentiis, & violentis promotionibus indigniſſimorum, in ambitionibus Prælatorum & beneficiorum, in ſuperbiis diſſolutiſſimis, in voluptatibus effœminatis, cæteriſque innumerabilibus & nefandis abuſionibus, in quibus ſe reputant gerere vitam activam, dando onera gravia, &c. Et hæc omnia ceſſarent, aut non ita ſaltem abundarent in paupertate modeſta. Ampliùs non ita diverterent Eccleſiaſtici etiam de patrimonio Chriſti dotati ad traditiones & inventiones hominum pro divitiis cumulandis, ſpretâ lege Chriſti, ſicut nunc facere conſpicimus fornicatione quadam ſpirituali perniciosiſſimâ. Hæc ibi. Deinde opuſculo de vita ſpirituali animæ lectione 3. ſub finem. *Habet ſecundò Papa poteſtatem canonicam ſuper res Eccleſiæ, quæ dicuntur impropriè ſpirituales. Habet tertiò poteſtatem ex conſenſu tam Principum præſertim Imperatorum, quàm aliorum ſubditorum in quadam appropriatione, quæ ei conſtat jure divino nequaquam convenire, &c.* Cæterùm de poteſtate ſecunda & tertia Papæ dicimus eam per eaſdem cauſas poſſe deſtitui, per quas exorta eſt, ut putà ſecunda per Concilia generalia; & tertia per diſſenſum Dominorum temporalium, cauſis occurrentibus legitimis pro utilitate manifeſta. Inſuper opuſculo: Qualis fuerit ſtatus Eccleſiæ in Veteri & Novo Teſtamento, qui extat tomo primo, notat, *poſtquam in Eccleſia multiplicata ſunt dominia in temporalibus & ſpiritualibus, incepiſſe intruſiones & ſchiſmata in Romana Eccleſia, propter quæ dominia & poteſtates continuè fuerunt odia & rancores inter ſummos Pontifices, Imperatores Romanos & Dominos temporales.* Deinde eodem tomo in ſermone facto die Circumciſionis Domini coram Papa apud Taraſconem, conſideratione prima quæritur, *ſtatum Eccleſiæ factum eſſe totum quaſi brutalem & monſtruoſum: ubi cœlum deorſum, ſcilicet id quod ſpirituale eſt, & terra ſurſum: ſpiritus ſerviens, & caro dominans: principale, acceſſorium, & acceſſorium, principale: ut quidam deliberare non dubitent, quòd per inventiones humanas etiam meliùs quàm per Legem divinam Euangelicam regeretur Eccleſia; quaſi minùs ſit anima quàm corpus, & ſpiritualis quàm carnalis fructus. Quæ aſſertio per meam fidem blaſphemia eſt,* in-

Digitized by Google

inquit. Quibus verbis clariſſimè inſtituta Curiæ Romanæ perſtringit Gerſonius. Item tractatu de Concilio generali unius obedientiæ circa medium deflet curam rerum temporalium, & juriſdictionum ejuſmodi pro magna parte reddidiſſe Eccleſiam totam brutalem & carnalem, & nihil ferè ſapientem de his quæ Dei ſunt erga ſalutem animarum, non ex ſe quidem, ſed abutentium vitio. Cardinalis Cuſanus lib. 2. de concordantia cap. 29. integrum Canonem 24. Synodi 8. ſic recenſet: *Maledictus omnis homo, qui facit opus Dei negligenter. Quidam Metropolitanorum in extremam negligentiam & deſidiam delapſi, præceptionibus ſuis ſubjectos ad ſe adducunt Epiſcopos, & committunt eis Eccleſiæ propria divina officia, & Litanias & cuncta omnia quæ per ſemet alacriter agere debuerunt: ac per id eos qui Epiſcopalem dignitatem meruerunt, quodammodo Clericos ſibi ſubiectos exhibent. Vacant autem iidem præter Eccleſiaſticas leges ſæcularibus curis atque diſpoſitionibus, dimittentes perſeverare in orationibus & obſecrationibus pro ſuis delictis & populi ignorantiis, quod nuſquam apud Antiquos penitus invenitur: cùm ſit nimirum contrarium Canonicis omnino præceptis. Et quod ſævius eſt quia ſua ſtipendia per diſtinctas menſium vices percipiunt, dicuntur prædicta perficere miniſteria, quod ab Apoſtolico monimine modis omnibus oſtenditur alienum. Hæc autem omnia magnis & multis & vehementiſſimis damnationibus dignos hujuſmodi ſtatuunt. Probantur enim tales per hæc quæ faciunt etiam ſatanicâ jactantiâ & ſuperbiâ languere. Quiſquis ergo Metropolitanorum poſt hanc ſanctæ & univerſalis Synodi definitionem, eadem audaciâ vel ſuperbiâ & contemptu abuſus, non per ſe cum timore Dei & alacritate ſeu conſcientiâ bonâ debita miniſteria in propria civitate, ſed per Suffraganeos Epiſcopos efficere tentaverit, pœnas exolvat coram proprio Patriarcha, & aut corrigatur aut deponatur. Ecce*, inquit Cuſanus, *ſi vacare ſæcularibus curis atque diſpoſitionibus, eſt omninò contrarium Canonicis præceptis in Metropolitano, quomodo penè omnes à Papa, qui ſummus eſt Metropolita, uſque quaſi ad minimum Metropolitam Canonica præcepta ſervantur? Nonne iſte textus verè narrat diſpoſitionem hodiernam? ſi igitur reformatio fieri debet in iis quæ fiunt contra Canonica præcepta, neceſſe eſt ſecundùm illum Canonem, amplius illis ſæcularibus curis & diſpoſitionibus non vacare; ſed ea quæ curæ animarum ac officio incumbunt, diligenter & alacriter exercere. Unde ne Papa hoc ſibi non dictum putet, videat id quod ſcribit S. Clemens ad Jacobum Fratrem Domini, quid ad eum dixerit S. Petrus dum eum ordinaret. Neque enim judicem aut cognitorem ſæcularium negotiorum hodie te voluit ordinari Chriſtus, ne*

præfocatus præſentibus hominum curis, non poſſis verbo Dei vacare. Ad idem 96. diſt. can. cum ad verum. & can. Duo ſunt quippe. *Ecce negare non poteſt Papa, aut quilibet Paſtor quin ad paſcendum verbo & exemplo datus ſit. Ut hæc Agato dicit.* Et in ſexta Synodo in prima actione legitur ſic: *Væ mihi ſi negligens fuero. Quis rogo ſufficit ad tantam curam ſpiritualem. Nonne ſi perdifficile eſt ſpirituali curæ ad normam ſatisfacere, neceſſariò concedendum eſt temporalium curam præſidentibus Paſtoribus multum obeſſe. Pluribus enim intentus, & penè ſe mutuò non planè conſentientibus, quomodo rectè utrumque agere poteſt, cùm qui ad utrumque feſtinet, neutrum peragat? Et non eſt opus circumlocutione. Videmus propter commixtionem curarum ſpiritualem curam temporali victam, & penè ſuccubuiſſe: Et ſi temporalia ita ad ſpiritualia conferunt, ut ſine ipſis ſubſiſtere non poſſint, non eſt tamen propter hoc cura temporalium ſpiritualibus humeris alliganda, ne qui ut ſpiritualior cæteris, ut Pontifex iter in patriam oſtendere habet, mole temporalium graviter preſſus, citius cæteris in via deficiat, &c. Quanta autem fuerit antiquorum cura ad prohibendum commixtionem ſpiritualis & temporalis curæ in Clero, vide Cyprianum Epiſtolâ ad Clerum & plebem Furnitanorum. diſt.* 88. *per totum.* Hæc Cuſanus: quibus adde titulum 50. Decretalium lib. 3. *Ne Clerici vel Monachi ſæcularibus curis ſe immiſceant.* Eſpenſæus noſter cap. 2. poſterioris ad Timotheum in hæc verba: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, &c. Quid boni Patres dicerent, ſi viderent hodiernos Reverendos & Sanctiſſimos in domibus Regum eſſe, ab aulis & palatiis non diſcedere, Principum non pacificis modo Legationibus fungi, verùm etiam in bellis eſſe Legatos, Fiſcorum promos & condos, nec rarò inverſores. Nam & ad Mandras & ad Epiſcopos, ne dicam Galeros nulla in hoc regno via hactenus expeditior, quam litium ſæcularium inſtitoria, ne dum judiciaria, ut quàm hodiè numquam magis querimoniæ illi locus fuerit.* De qua Gregorius lib. 7. Epiſtol. 114. & habetur quæſt. 1. can. 128. *Fertur ſimoniaca hæreſis ad Theodericum & Theodebertum Reges Franciæ.* Huc uſque Eſpenſæus. Guillelmus verò Eſtius explicans hæc verba Pauli cap. 2. poſterioris ad Timotheum: ut ei placeat cui ſe probavit, &c. *Ex hac doctrina Apoſtoli*, ait, *conſequens primâ fronte apparet non admodum congruere nec expedire, ut Eccleſiarum Prælati ſint Principes, ac Domini ſæculares urbium & provinciarum: quia fieri non poteſt, quin per hujuſmodi poteſtatem ac Juriſdictionem, quantumvis per alios eam exerceant, aliquatenus avocentur à debito exercitio poteſtatis ac militiæ ſpiritualis. Sed non negamus quin neceſſitas retinendæ*

nendæ & conſervandæ poteſtatis à majoribus acceptæ excuſare eos poſſit, ac multò magis ipſius fidei Catholicæ conſervandæ & tuendæ opportunitas, aliaque circumſtantiæ concurrentes. Ubi notandum hoc poſtremo aſſumento. Sed non negamus, &c. Eſtium invidiam prioris ſuæ aſſertionis avertere voluiſſe, ut legentibus apparet.

VI. Proculdubio quamdiu Eccleſiaſtici ex Chriſti præcepto & diſciplina Apoſtolorum, Patrumque Antiquorum totam ſpem ſuam in obſervatione mandatorum Dei, atque opibus ſpiritualibus collocarunt, rerumque humanarum ſollicitudinem, faſtum, ſuperbiam, & ſapientiam mundi, avaritiam, ambitionem, & dominandi libidinem abjecerunt, Chriſtiana Religio & ſumma pietas invitis Sathanæ & mundi poteſtatibus longè latèque per univerſum orbem propagata eſt, ac portæ & vectes inferni comminuti ſunt. Contrà autem ubi luxus & typhus ſæculi in Eccleſiam irrepſit, atque Eccleſiaſtici multò plus terrenis quàm ſpiritualibus ſubſidiis confidere viſi ſunt: atque inſuper prætextu Eccleſiaſticæ auctoritatis & libertatis aſſerendæ, ſibi poteſtates ſæculi, ut eas pro libitu abrogarent, ſubdere conati ſunt: quod myſterium eſt iniquitatis à temporibus Apoſtolorum ſpecioſè irrepens. Certè tum boni mores, charitas, vera ſolidaque pietas profligatæ ſunt, eorumque loco ſuperſtitio, hypocriſis, odia, diſſentiones, factiones, ſchiſmata, hæreſes innumeræ, bellaque inteſtina & ſtrages populorum, urbium excidia, atque ipſiuſmet Imperii Romani, omniumque Regnorum & politicarum poteſtatum ruina ſucceſſerunt, aliaque mala certatim ex profundo Erebi in mundum incubuerunt. Quæ conſideratio tempore Philippi Pulchri Francorum Regis, neſcio cui poſt Thomam Cantipratanum Dominicanum occaſionem præbuit fingendi Luciferum tenebrarum principem nuncium ad Prælatos contra Chriſti & Apoſtolorum inſtituta viventes miſiſſe, quo luculenter Clericorum ſeſe negotiis ſæcularibus immergentium depravatos mores deſcribit, eiſque mirificè congratulatur, quòd infernum à Chriſto, Apoſtolis & Eccleſiæ primitivæ Patribus vacuatum, de integro hominibus Chriſti ſanguine redemptis referciant: quam Epiſtolam hìc verbum de verbo ex codice manuſcripto Bibliothecæ D. S. exſcribam. Fortè enim Clericos perdite viventes ad vitæ immutationem ſollicitabit.

Digitized by Google

Lucifer Princeps tenebrarum, triſtitia profundique Acherontis regens imperia, Dux erebi, Rex inferni, Rectorque gehennæ: Univerſis ſociis regni noſtri, filiis ſuperbiæ, præcipuè modernæ Eccleſiæ Principibus: de quâ noſter adverſarius Jeſus Chriſtus per Prophetam prædixit. Odivi Eccleſiam malignantium: ſalutem quam vobis optamus, & noſtris obedire mandatis, & prout incepiſtis, legibus parere Sathanæ, & noſtri juris præcepta jugiter obſervare.

,, DUdum quidam Chriſti Vicarii ſequentes ejus veſtigia, ſignis
,, & virtutibus conſtantes, & docentes ſub quadam paupere vi-
,, ta, per ipſorum prædicationes & opera quaſi totum mundum à
,, noſtræ tyrannidis jugo, ad ſuam converterunt doctrinam & vi-
,, tam, in noſtri Tartarei regni illuſionem maximam & contemptum,
,, nec non in noſtræ Juriſdictionis non modicum præjudicium & gra-
,, vamen, non verentes noſtram lædere potentiam, & terrificam no-
,, ſtri ſtatus lædere poteſtatem, & offendere majeſtatem. Illo nam-
,, que tempore nulla percipiebamus à mundo tributa, nec concurſu
,, ſolito catervatim veniebat ad noſtri Baratri limina flebile vulgus:
,, ſed via proclivis & lata quæ ducit ad mortem ſine ullo ſtrepitu ma-
,, nebat, nullis miſerorum greſſibus conculcata, & tota noſtra va-
,, cante curiâ ululabat infernus & gemens, anxius, ſpoliatus, quod no-
,, ſtri Plutonis impatiens feritas ampliùs ferre noluit, neque dira Du-
,, cis inclementia potuit ampliùs tolerare. Sed præcaventes in poſte-
,, rum, obviantes periculis de remedio providimus opportuno, &
,, loco iſtorum adverſariorum Prophetarum, & cæterorum duode-
,, cim Apoſtolorum ſequentium moribus & doctrina, per noſtram
,, aſtutiam atque potentiam ſuccedere fecimus vos, qui modernis
,, temporibus Eccleſiæ præſidetis, ſicut ille de vobis dixit: Regna-
,, verunt & non ex me: ſemel namque ſibi permiſimus omnia regna
,, mundi, ſi cadens nos adoraret: Ipſe verò noluit, dicens quod re-
,, gnum ſuum non erat de hoc mundo, & fugit quando turbæ volue-
,, runt eum in Regem eligere temporalem. In vobis autem qui de ſta-
,, tu gratiæ cecidiſtis, & nobis miniſtratis in terris, impleta eſt pro-
,, miſſio jam per nos, & à nobis terrena, qui vobis contulimus hu-
,, mana imperia. Ille enim de vobis dixit, ut ſcitis: venit Princeps
,, mundi hujus, & ſuper omnes filios ſuperbiæ voluit vos regnare.
,, Subjiciebantur itaque Principibus hujus ſæculi in temporalibus vi-
,, ri adverſarii antedicti, & hoc docebant, dicentes: ſubjecti eſto-
,, te

Digitized by Google

„ te omni creaturæ propter Deum, ſive Regi tanquam præcellen-„ ti, &c. Et rurſum: Obedite Præpoſitis veſtris: Sic enim Magiſter „ eorum ſtatuerat ac præceperat dicens: Reges gentium dominantur „ eorum, & qui poteſtatem habent, benefici vocantur, vos autem „ non ſic: Et ſicut prædiximus, deſpicabilem vitam & inopem gere-„ bant, in continuis laboribus & ærumnis, ut nos vobis diximus: „ vos autem non ſic. Venenum Domini eſt, effudimus, jam eſtis in-„ flati, jam ipſis primis patribus non ſolum diſpares, ſed potiùs con-„ trarii, in moribus, in vita ſuper omnes elati, & omnia poſſiden-„ tes effecti, nec reddentes quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, nec quæ ſunt „ Dei, Deo: imò ſecundùm noſtra decreta, utriuſque gladii juſti-„ tiam exercentes vel juriſdictionem, vos mundanis immiſcentes, ac „ nobiſcum militantes ſæcularibus negotiis implicati, ac de pauper-„ tatis miſeria gradatim aſcendentes ad culmen honorum, & ad ſum-„ ma faſtigia dignitatum per aſtutias practicas & fallaces fabricas, per „ hypocriſin, adulationem, mendacia, perjuria, proditiones, fraudes, „ ſimonias, & cæteras nequitias ampliores, quàm excogitare poſſent „ noſtræ furiæ infernales. Cùm autem illuc perveniſtis, non ſuffi-„ cit, ſed eſtis famelici plus quàm antè: pauperes opprimitis, omnia „ rapitis, totum pervertitis, inflati ſuperbia, luxurioſè viventes, „ in deliciis & fruitionibus corporalibus ducitis dies veſtros. Voca-„ tis vobis nomina in terris, vos Deos, ſanctos, & ſanctiſſimos ap-„ pellando. Bonis etiam quæ aut violenter rapitis, aut per abuſiones „ doloſè ſubripitis. Meretrices, & lenonum turbas nutritis, cum qui-„ bus equitantes pompaticè velut magni Principes inceditis, aliter „ quam illi pauperes Chriſti ſacerdotes Eccleſiæ primitivæ. Vobis „ ædificatis Palatia omni amœnitate & pulchritudine plena. Specta-„ bilia comeditis cibaria, & bibitis vina omni curioſitate, delicatio-„ ne & loquacitate exquiſita. Theſauros coadunatis infinitos, non „ ſicut ille qui dicebat: argentum & aurum non eſt mecum: vos au-„ rea reportaſtis. O Societas gratiſſima dæmonibus! nobis olim per „ Prophetam promiſſa, & ab iſtis priſcis temporibus antiquitus re-„ probata, dum te Chriſtus vocavit Synagogam Sathanæ, & te de-„ ſignavit per meretricem magnam, quæ fornicata eſt cum Regibus „ terræ, facta de matre, noverca; de ſponſa Chriſti, adultera; de „ caſta, meretrix. Confractæ ſunt mammæ ubertatis tuæ: charitatem „ tuam primam reliquiſti, & nobis adhæſiſti! O dilecta noſtra Ba-„ bylon! O cives noſtri, qui huc de Jeruſalem transmigraſtis! vos me-

Digitized by Google

„ ritò diligimus, vobis applaudimus, quia Leges Simonis Petri negli-
„ gitis; legibus Simonis Magi amici noſtri adhærentes: ipſas tenetis
„ ad unguem, publicè exercetis in templo Dei, vendentes & emen-
„ tes ſpiritualia contra Chriſti præcepta: diſtribuitis beneficia & ho-
„ nores aut prece vel pretio, vel pro turpi ſervitio ſeu favore: ad Ec-
„ cleſiaſticas dignitates reprobando dignos, & indignos promoven-
„ tes, utpote Garçones, Lenones, aut ignaros veſtros Nepotes,
„ aut filios veſtros proprios ad Chriſti hæreditatem evocatis, ut ſan-
„ ctuarium Dei hæreditariè poſſideatis, & uni puero multas con-
„ fertis præbendas, quarum minimam probo pauperi denegatis:
„ perſonam accipitis, & innumeram curam habetis pecuniarum &
„ non animarum: Domum Chriſti feciſtis ſpeluncam Latronum:
„ omnes abuſus, omnes extorſiones in ſtylo veſtro plus millies
„ exercentur, quàm apud ſæculares tyrannos: Leges ſtatuuntur,
„ & eas non tenetis, & totum veſtrâ diſpenſatione ad libitum diſſipa-
„ tis: Juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti aufertis
„ ab eo, & ſuper omnia genera ſcelerum & ſcelera generum prout
„ volumus perpetratis, & multum veſtri gratiâ in noſtro ſervitio in-
„ ſudatis, potiſſimè quantùm ad deſtructionem fidei Chriſtianæ. Iam
„ enim Laici de fide hæſitant: & ſi quæ ſibi prædicatis quandoque,
„ licet raró, tamen non credunt, cùm vident manifeſtè quòd quili-
„ bet veſtrum contrarium operatur: Et ſic oſtenditis vos aliud quàm
„ dicatis, credere: unde iſti vos ſequentes, qui ſibi eſtis in exem-
„ plum, ut plurimum bene utuntur regulis noſtris, irruentes in pe-
„ lagus vitiorum, & ad firmatas ædes Baratri aſſiduè confluit ipſo-
„ rum maxima multitudo; tot inceſſanter ex omni hominum genere
„ nobis quotidie tranſmittitis, quod capere non poſſemus, niſi no-
„ ſtrum chaos inſatiabile mille faucibus avidiſſimis innumerabiles
„ animas deglutiret: Et ſic per vos noſtri Imperii Principatus extitit
„ reformatus, & damnum nobis importabile reſtitutum: unde vos
„ habemus viriliter commendatos, atque vobis grates magnas refe-
„ rimus: vos nihilominùs exhortantes quòd perſeveretis ſicut faci-
„ tis, ulteriùs procedendo: quia per vos intendimus totum mundum
„ ſub noſtra ditione iterum revocare: Iam enim præ multitudine
„ quam nobis quotidie deſtinatis, his obſcuris receſſibus mirabiliter
„ occupati, vobis interim committimus vices noſtras, & volumus
„ vos noſtros eſſe vicarios vel miniſtros, qui etiam de miſſione pro-
„ pinqua Attichriſti cogitamus, cui viam optimè præparatis. In
„ ve-

,, veſtrum tum auxilium & conſilium de ſtygiis eminentibus & ſatra-
,, pis inferni aliquos deſtinamus vel deputamus, quorum ſuggeſtio-
,, nibus acquieſcere & doloſis inventionibus addere veſtra aſtutia
,, conſuevit, & novit prudentia.
,, Inſuper vobis qui ſummum tenetis apicem, conſulimus ad cau-
,, telam, ut inter principes ſeculi pacem fictitiè procuretis, ſed Eccle-
,, ſiæ cauſis diſcordiam conjiciatis; & ſic aſtutè Romanum deſtruetis
,, Imperium: ita nec permittatis aliquod regnum nimium ampliari,
,, ne fortè nimis fortificati & pacem habentes velint deprimere ve-
,, ſtrum ſtatum, & à vobis auferre theſauros quos apud vos in depo-
,, ſito pro Antichriſto fecimus reſervari, commendatas habentes
,, veſtras chariſſimas filias, ſuperbiam, avariciam, fraudem, luxu-
,, riam, & alias, præcipuè dominam ſimoniam quæ vos fecit, ac pro-
,, priis lactavit uberibus & nutrivit, ipſamque non vocetis ſimoniam
,, ſeu peccatum, quia omnia veſtra ſunt, nihil poteſtis vendere, quia
,, de proprio ſolvuntur, nec vos eſtis ſuperbi, quia talem requirit
,, magnificentiam ſtatus veſter; nec avari, quia pro S. Petro eſt quic-
,, quid congregatis, & theſaurus Eccleſiæ ſeu patrimonium Cruci-
,, fixi. Promovetis veſtros, ſicut Chriſtus ad Apoſtolatum vocavit
,, cognatos & notos: Et ſicut ipſi vocabantur ad ſtatum pauperem &
,, humilem, vos autem ſic volumus veſtros vocare ad ſtatum divitia-
,, rum & ſuperbiæ, ipſique reliquerunt omnia, & vos veſtris tri-
,, buitis infinita, & ſic de aliis nihil melius noſtis perpetrare. Al-
,, legetis pro vobis, ET GLOSSETIS DISTORTE, ET AD-
DUCATIS AD VESTRUM PROPOSITUM INDIRECTE. Et
,, ſi quis prædicet contra vos aut doceat, eum excommunicantes vio-
,, lenter opprimite, & à vobis tanquam hæreticus condemnetur, tam-
,, que idem faciatis, quod valeatis locum habere, quem vobis paramus
,, ſub noſtro habitaculo in ſecretiſſimo fundamento, & quem vobis
,, ſingulariter reſervamus, in quo quiſquam nondum novit accedere,
,, exceptis majoribus Satrapis regni noſtri: vos enim nec ſperatis futu-
,, rum præmium, nec formidatis æternum ſupplicium: Ideòque nec
,, vitam quam non creditis, habebitis, nec nobiſcum mortem obtine-
,, bitis, quam, dum vivitis, non timetis. Valeatis illa fœlicitate, quâ vos
,, deſideramus & intendimus finaliter præmiare. Datum apud centrum
,, terræ, in meo Palatio tenebroſo, præſentibus catervis dæmonum
,, propter hoc ſpecialiter vocatorum ad noſtrum Conſiſtorium dolo-
,, roſum ſub noſtri terribilis ſigneti caractere in robore præmiſſorum.

Ve-

Digitized by Google

Verùm Thomas Cantipratañus libro primo apum cap. 20. num. 8. argumentum hujus Epiſtolæ Luciferi ſuppeditavit; quia narrat quemdam Clericum in Synodo Epiſcoporum prædicare compulſum, dixiſſe: *Principes infernalium tenebrarum Principes Eccleſiæ ſalutant. Læti omnes nos gratias eiſdem referimus, quia cum ipſis eorum nobis afferuntur ſubditi, & per eorum negligentiam ad nos devolvitur totus pariter ferè mundus, &c.* Hæc anno 1248. inquit Auctor libri apum. Profectò memorata Epiſtola Luciferi Ethopœiam, ſive morum deſcriptionem. Curiæ Romanæ, poſtquam ſeſe curis ſæculi immerſit, egregiè exhibet: Et quamquam multa horribilia, non tamen centeſimam partem corruptelarum & abuſuum refert.. Quandoquidem Chriſtianam Religionem, quæ omnium eſt gentium & populorum; ad pauciſſimos, eòque tum demum adigunt, ut hæc Prophetia Domini impleatur. Et dicent vobis: *Ecce hic & ecce illic eſt Chriſtus. Ecce enim Regnum Dei intra vos eſt.* Luc. 17. verſ. 23. Quoties Prælati à regula Euangelii receſſerunt, Deus exempla illuſtria magnarum calamitatum & miſeriarum edidit. Quapropter Euſebius lib. 8. cap. 1. hiſtoriæ, cauſam perſecutionis omnium crudeliſſimæ, quæ ſub Diocletiano deſævit, ita recenſet: *Paſtores noſtri, depulsâ, repudiatâque pietatis regula, diſſidio & contentione inter ſe exarſerunt: quin etiam nullas alias res, præterquàm diſcordias, minas, æmulationes, inimicitias, & odium inter ipſos mutuò adaugere ſtuduerunt, & animis ambitionis æſtu incenſis, tyrannorum more principatum obtinere laborabant. Tunc demum juxta illam Hieremiæ ſententiam: obſcuravit in ira ſua Dominus filiam Sion, & dejecit de cœlo gloriam Iſraël: non eſt recordatus ſcabelli pedum ejus in die iræ ſuæ, &c.* Huc uſque Euſebius. A quo tempore menſura iniquitatum noſtrarum coagitata, & regni Turcici triumphis cumulata eſt, & tamen furere atque ſuperbire non ceſſamus, quæ noſtra eſt dementia & cœcitas infernalis.

VII. Quartò Dominus ſolam poteſtatem miniſterialem ſpiritualem Eccleſiæ reliquit, ut oſtenderet pacem, concordiam, dilectionem charitatem & unionem eſſe ſcopum & finem Legis Euangelicæ: hacque ratione gentes univerſas ad Euangelium amplectendum proclivius accenderet, ubi perſpectum haberent Chriſtum veniſſe in mundum, ut ſolummodò homines ad cœleſtem & ſpiritualem vitam erigeret. Omnia verò temporalia & civilia eodem in ordine & ſtatu relinqueret, quo pridem ante Euangelium, naturali & gentium jure conſtituta fuerant. Nam, ut ait Apoſtolus: *Charitas malum non operatur.*

Digitized by Google

ratur. 1 Cor. 13. Quocirca Dominus Matth. 5. ubi legem naturæ in legem gratiæ tanquam divinum ſurculum inſeruit, continuò declarat ſe veniſſe in mundum, non ut ſolveret, ſed adimpleret legem; quod æquè de lege naturali, quàm de Moſaica capiendum eſt juxta commune effatum Theologorum: *Gratia non deſtruit, ſed perficit naturam.* Quò & ſpectat Apoſtoli doctrina, Rom. 13. Ubi enim docuit legem naturæ in legem gratiæ inſitam; ideoque omnem animam poteſtatibus ſublimioribus, ſicut ante Euangelium promulgatum, ſubditam eſſe, tandem concludit ſummam præceptorum Legis gratiæ in eo verſari, ut nemini quidquam debeamus, niſi ut invicem diligamus: qui enim diligit proximum, legem implevit. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo Legis, dilectio. Senſus ergo eſt, cùm omnibus aliis in rebus cavendum ſit maximè ne nomina & debita contrahamus: contra in via dilectionis & charitatis ſic vitam inſtituendam, ut cùm omnia fecerimus, quæ poſſumus, tamen nos debitores aliorum efficiamus. Forſan objiciet aliquis hæc quæ de pace & charitate tanquam fine Euangelii dicimus, iis repugnare, quæ Chriſtus Matthæi 10. *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare homines adverſùs patrem ſuum, &c.* Oppones cunctos Doctores & gloſſas hoc ſpiritualiter interpretari; ita ut ſenſus ſit Chriſtum veniſſe in mundum, ut gladio ſpirituali verbi Dei, fibras & radices carnalium affectuum diſſecaret, atque malam pacem vitiorum (*cujus blanditia amaritudo amariſſima eſt*, ut ait Propheta) ea quæ contra legem Dei fruticarentur, exſtirparet. Quod ſi ex ea re inter homines carnales aliquid diſſidii enaſcatur, hoc depravatis hominum moribus & affectibus, non Legi gratiæ & perfectæ manſuetudinis adſcribi debet: quando certiſſimum eſt Dominum non eſſe Deum contentionis, ſed pacis. Quod autem dixi Euangelio propoſitum, ut pacem, concordiam & unionem ſanciret: id non tantùm directè, verùm etiam indirectè eſt intelligendum: alioqui Dominus indirectè gentes à Chriſtiana Religione avertiſſet, utque bellum Euangelio tanquam diſſentionum ac bellorum ſeminario indicerent, induxiſſet. Quam peſtilentem opinionem Eccleſia hoc carmine, quo omnem metum de Chriſti regno Herodi auferre vult, damnat:

Hoſtis Herodes impie,
Chriſtum venire quid times?

Digitized by Google

Non eripit mortalia
Qui regna dat cœleſtia.

VIII. Hercle quidem Euangelii miniſtros velut oves mitiſſimas & fœcundiſſimas omnibus amori ac deliciis, nemini autem terrori eſſe voluit Dominus: quamobrem illas omni telo, baculo, virgâ, atque dominatu, tanquam charitati & paci infeſtiſſimo privavit: quod niſi feciſſet, gratia quidem naturam deſtrueret, ſitumque eſſet in poteſtate Eccleſiaſticorum impedire, quominùs Reges & Magiſtratus politici finem ſibi Lege divina & naturali præſtitutum conſequerentur, atque innumeris diviſionibus, diſcordiis & bellis cauſam præberent; quia gladius eſſet oppoſitus gladio: unde inter cives ejuſdem reipublicæ & regni continuæ naſcerentur ſeditiones, & conſequenter certiſſima reipublicæ peſtis & ruina, ut ex his placitis Bellarmini, quæ frequenter inculcanda ſunt, evidenter & neceſſariò colligimus.

IX. Primum eſt Chriſtum inſtituendo legem Euangelicam conceſſiſſe Eccleſiæ, id eſt Romano Pontifici eminentiſſimam poteſtatem dirigendi & cogendi temporaliter politicam poteſtatem, eamque, ſi opus eſt, ad finem ſpiritualem, uni Principi adimendi, & conferendi alteri, cap. 5. adversùs Barclaium, paulò ante medium. Quam propoſitionem his aliis velut corollariis munire tentat: Scilicet politicos Principes obligari ſtringere & recondere gladium ad nutum Pontificis, alioqui poſſe à Pontifice exauctorari, & ita oſtendere gladium eſſe ſub gladio, atque utrumque gladium ad poteſtatem Eccleſiæ pertinere cap. 19. contra Barclaium. Deinde cap. 27. ſecurus affirmo, inquit, Dominum Jeſum Chriſtum tempore mortalitatis ſuæ potuiſſe diſponere de temporalibus omnibus, & Reges ac Principes regnis, dominiiſque privare, & hanc poteſtatem vicario ſuo ſine dubio conceſſiſſe, ut eâ utatur, quando neceſſarium judicaverit ad animarum ſalutem, quæ illi præcipuæ curæ eſſe debet. Item cap. 31. ſub finem. Pontifex non facit populo gratiam præcepti naturalis vel divini, cum populum ab obedientiæ vinculo Regi debito abſolvit; non enim permittit ut Regi non pareat, quòd eſſet contra jus divinum. Sed facit ut ille qui erat Rex, non ſit deinceps Rex. Quemadmodum qui donat ſervum libertate, non concedit ut ſervus non teneatur obedire Domino, quod eſſet etiam contra jus divinum, ſed facit ut ſervus Dominum non habeat cui obediat.

Secundum placitum Bellarmini; Chriſtum conceſſiſſe Eccleſiæ do-

Digitized by Google

dominium gladii materialis, & facultatem pœnæ temporalis infligendæ; atque Eccleſiaſticos ſolummodò abſtinere ab uſu gladii materialis & fundendo ſanguine propter indecentiam, non autem quia id abſolutè, & ex cauſis eſſentialibus ſuæ inſtitutionis facere teneantur cap. 19. & cap. 36. contra Barclaium.

Tertium Eccleſiaſticos jure divino eximi à Legibus politicis coactivis; & Apoſtolos tantùm de facto, non de jure ſubditos fuiſſe Imperatoribus Romanis cap. 3. in Barclaium ſtatim initio. Et cap. 21. ſub finem.

Quæ omnes aſſertiones Bellarmini huic falſo atque erroneo innituntur principio; putà Chriſtum aliam Eccleſiæ poteſtatem, quàm purè miniſterialem ſpiritualem, nudam omni dominatu atque auctoritate cogendi temporaliter per pœnas externas contuliſſe. Inde autem evidenter & neceſſariò quinque emergunt conſectoria erronea.

Primum finem legis Euangelicæ non eſſe pacem, concordiam, dilectionem, charitatem, & unionem, ſed potiùs ſeditionem, diſſidium, ac bellum; & Chriſtum veniſſe in mundum, ut omnes politias cum naturali & gentium jure ſaltem indirectè & clanculum abrogaret; ſicque gratia naturam deſtruit, quia gladius Eccleſiæ oppoſitus eſt gladio temporali, neque poteſtates politicæ ſibi ſufficientes ſunt, contra quam libro ſecundo demonſtratum eſt. Quare inter cives ejuſdem regni, aut reipublicæ continuæ ſeditiones & diſcordiæ exardeſcent, quoniam plerique cives politico Principi, alii verò Pontifici Romano obedire volent, & de facto obedient in temporalibus: unde juges diſcordiæ, rixæ & pugnæ; tum demum civitatem ſicut Romanum Imperium ſub Gregorio VII. & Innocentio IV. peſſumdabit, quando nullus erit ſatis potens, ut cives ad pacem atque unionem efficaciter adigere valeat. Cujus rei pariter exemplum vidimus in Galliis tempore bellorum civilium ligæ, & anno 1615. in publico conventu trium Ordinum Regni, quando articulus tertii Ordinis propoſitus eſt.

Secundò relinquitur fruſtrà politicis poteſtatibus Deum impertiviſſe poteſtatem dirigendi & cogendi per merum imperium, ſaltem erga Ordinem Eccleſiaſticum; quia auctore Bellarmino Clerici non jure, ſed de facto politicis Magiſtratibus & Regibus tanquam prædonibus ſubjiciuntur, quod horribile eſt cogitatu.

Tertiò ſi Eccleſiaſtici, Monachi, & Religioſi, qui tertiam partem reipublicæ conſtituunt, de facto tantùm, & non de jure Regi-

Digitized by Google

bus obtemperant, poſſunt quidem, ſi velint jugum politicæ poteſtatis excutere, atque in Regiam ipſam invadere: neque tamen propterea in crimen læſæ Majeſtatis incurrent, teſte Bellarmino & Emanuele Saa, verbo Clericus.

Quartò. Quotquot in Regno aut Republica erunt Sacerdotum & Religioſorum collegia, ſodalitia aut conventus; totidem pariter arces & propugnacula in politicæ poteſtatis perniciem inſtructa exiſtent: quando ex articulis Bullæ Cœnæ Domini, quam Jeſuitæ in rem judicatam mittere conſueverunt, Eccleſiaſtici ab alio quàm à Romano Pontifice coerceri nequeunt, ſi quid peccent. Et hinc illa Venetæ Reipublicæ cum Paulo V. controverſia anno 1606.

Quintò ſequitur Pilatum, & omnes Imperatores hinc juſtam potuiſſe capere occaſionem ſæviendi in Chriſtum, omneſque ejus diſcipulos, velut juris naturalis, atque omnium politiarum everſores, atque Apoſtolos, qui ejuſmodi dogmata ſparſerunt, publicam pacem, quæ juris eſt divini naturalis, conturbaſſe; ac proinde velut turbones & ſeditioſos juſtè puniri debuiſſe à Magiſtratibus politicis, ut ſuprà ex Origene & aliis Patribus docuimus lib. 2. cap. 2. Herclè temporibus Apoſtolorum Imperatores non parùm ſollicitos habuit, quòd Chriſtianos Chriſtum pro rege colere audirent teſte Bellarmino in librorum ſuorum recognitione, ubi de regno Chriſti diſputans refert Egeſippum apud Euſebium in Eccleſiaſtica hiſtoria ex verſione Ruffini lib. 3. cap. 20. ſcribere affines Chriſti à Domitiano Cæſare interrogatos, quodnam & quale eſſet regnum Chriſti? illos verò reſpondiſſe, quòd non hujus mundi regnum, neque hujus terræ ei deſignetur imperium: ſed quia cæleſte regnum per Angelorum miniſteria in conſummatione ſæculi præparetur, quando ſcilicet adventans in gloria, de vivis & mortuis judicabit. Hæc Bellarminus totidem verbis. Iam te amabo, Lector reputa quidnam Domitianus in Chriſtianos & Chriſtianam Religionem ſtatuiſſet, ſi eos ea de regno & Monarchia Papæ ea tenere & docere accepiſſet, quæ hodie pro catholicis dogmatibus à Jeſuitis tam operosè obtruduntur, Deus bone! quotusquiſque non animadvertit hæc dogmata tanquam paci, concordiæ, charitati & unioni contraria magnam facere ſementem ſeditionum, bellorumque civilium? & pietatem ac religionem Chriſtianam corrumpere, Principes Catholicos ab Eccleſia fugare, infideles & hæreticos, quominùs religionem orthodoxam amplexentur, impedire? Quotusquiſque Principum Ethnicorum eâ lege in

Digitized by Google

in Eccleſiæ caſtris militare velit, ut à Romano Pontifice abdicetur? ſi forſan uſu eveniat, ut dicto Papæ minùs auſcultet, aut ſi apud Curiam Romanam & officium Inquiſitionis in aliquam ſuſpicionem neglectæ religionis, aut fautoriæ hæreſeos veniat, propter aliquod fœdus cum hæreticis aut infidelibus ad ſui ſtatus & regni conſervationem initum.

Superiùs in exordio hujus operis obſervavi, poſtquam Imperatores Romani, exterique Principes politici animadverterunt Eccleſiam quadringentis circiter annis, quibus partim ſub Ethnicorum, partim ſub hæreticorum & Apoſtatarum Principum ditione immaniter excarnificata eſt, nihilominùs Chriſtianos, præſertim Eccleſiaſticos politicis Magiſtratibus, cujuſcumque eſſent religionis, ſemper humillimè paruiſſe, nec ſe umquam negotiis ſæcularibus immiſcuiſſe, ac mortem crudeliſſimam potiùs perpeti, quàm directè vel indirectè ullam cauſam ſeditionibus, bellis, aut cædibus præbere maluiſſe; tumque demum Religioni Chriſtianæ nomen certatim dediſſe, atque innumeris opibus, privilegiis & immunitatibus, quibus hodie Clerici ſplendent ac nobilitantur, Eccleſiam certatim locupletaſſe: ſicque à contrariis valde metuendum, ne Principes politici, ubi exploratum habuerint auctoribus & executoribus indirectæ poteſtatis Papæ in rebus temporalibus hoc eſſe propoſitum, ut politicas poteſtates quaſi feudatarias Curiæ Romanæ addicant, viamque inſuper ad Reges Pontifici immorigeros ferro, veneno, pulvere tormentario, aut aliis inſidiis mactandos inſtruant: valde inquam, metuendum eſſe, ne hinc occaſionem captent Chriſtianam Religionem & Eccleſiam, etſi natura ſua ab hac doctrina alieniſſimam deſerendi; atque Eccleſiaſticos, velut rerum novarum ſtudioſos, & poteſtatibus politicis infeſtiſſimos, acerbiùs tractandi, ut jamjam contigit in Anglia propter crebras Catholicorum conſpirationes in Elizabetham, & magnæ Britanniæ Regem.

Caput II.

I. *De Cauſis Eſſentialibus poteſtatis Eccleſiaſticæ.*

II. *Ex triplici poteſtate quam Chriſtus habuit, auctoritatis, excellentiæ, & puri miniſterii, ultimam dumtaxat Eccleſiæ reliquiſſe. Et quidnam ſit ejuſmodi poteſtas miniſterialis?*

III. *Excommunicationem dogmaticè loquendo, non poſſe dici coactionem, aut coercitionem.*

IV. *Diſputatio Bellarmini de regno Chriſti examinatur, ſuoque genuino ſenſui ſecundùm poteſtatem miniſterialem Eccleſiæ relictam aſſeritur.*

Digitized by Google

I. Verum enimverò, ut cunctis innoteſcat quodnam, & quale ſit regnum Chriſti, & utrùm Dominus poteſtatem Regum abdicandorum, & pœnas temporales irrogandi Eccleſiæ conceſſerit, hoc cap. 2. de cauſis eſſentialibus auctoritatis Eccleſiaſticæ tractabimus. Quarum finalis duplex eſt, propinqua nimirum & remota: Illa unitas & communio Sanctorum per bonum regimen; hæc autem, vita æterna Joannis 17. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum, &c. Ut ſint unum, ſicuti & nos unum ſumus ut ſint conſummati in unum, &c.* Materialem, cauſam univerſi homines Sacramento Baptiſmatis regenerati, unum corpus efficientes in Chriſto conſtituunt: nam multi, *unum corpus ſumus in Chriſto; ſinguli autem alter alterius membra.* Rom. 12. Itaque animæ hominum ſunt tanquam materia & proprium ac nativum ſubjectum poteſtatis Eccleſiaſticæ. *Lex enim Domini immaculata convertens animas.* Pſal. 18. & Eccleſiaſt. 4. verſ. 7. *Presbytero humilia animam tuam, & magnati humilia caput tuum:* Ubi per caput intelligitur poteſtas quam Princeps habet in corpus. Item 1 Petri v. 25. *Chriſtus eſt ſummus Paſtor & Epiſcopus animarum noſtrarum.* Quocirca poteſtas Eccleſiaſtica, quanta quanta eſt, proportionatim huic materiæ debet reſpondere,hoc eſt tota ſpiritualis & miniſterialis, ut revera eſt, debet eſſe. Hinc verò datur intelligi ſolos Chriſtianos, non infideles capaces eſſe hujus poteſtatis; ita ut nemo ſacerdos effici poſſit, qui non priùs baptiſmi ſacramento regeneratus ſit. At cauſa formalis, ipſe Chriſtus, caput eſſentiale Eccleſiæ, quam ut ſponſam per ſpiritum ſanctum informat & vivificat, eique internam ac purè ſpiritualem poteſtatem dirigendi & cogendi largitur: quo hujus poteſtatis & virtutis ſpiritualis adminiculo animæ hominum in officio contineri poſſint. Cæterùm cauſa efficiens duplex, primaria ſcilicet & ſecundaria. Prior, ipſemet Chriſtus ratione poteſtatis excellentiæ, qui ut ſacerdos in æternum ſecundùm Ordinem Melchiſedech conſummatus factus eſt, omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ. Hebr. 5. Poſterior & inſtrumentalis eſt Hierarchicus aut ſacerdotalis Ordo, quem Chriſtus communicatione ſui ſacerdotii & poteſtatis purè miniſterialis inſtituit, ut aliàs pluribus, partim in Apologia noſtra, axiomate 15. partim libro 2. defenſionis libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate cap. 1. oſtenſum eſt.

II. Siquidem omnium Theologorum conſenſione probavimus Chriſtum triplici cumulatum poteſtate, quarum primam vocant auctori-

ctoritatis, quæ Chriſto, ut Deo & conſubſtantiali Patri peculiaris eſt. Secundam, Excellentiæ poteſtatem nominant, quæ Chriſto, ut eſt Deus homo, mundi Redemptor, ac Legis gratiæ & ſacramentorum per ſuam paſſionem inſtitutor, competit. Quæ duæ poteſtates eſſentiales ſunt Chriſto, atque omnibus aliis incommunicabiles, ut Theologi ſtatuunt 3. parte D. Thomæ quæſt. 64. articulo 3. & harum duarum poteſtatum intuitu omnes creaturæ Domino poteſtate obedientiali haud aliter ſubjiciuntur, quàm mollis argilla figulo, qui quamcunque vult formam, ſeu vas in honorem, aut in contumeliam ex maſſa luti efformat. Quapropter hæ duæ poteſtatis ſpecies abſolutam facultatem ſecum important; neque cuiquam Domino dicere licet, cur ita facis? *Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit: quid me feciſti ſic?* Rom. 9. Tertia demum eſt poteſtas puri miniſterii ſpiritualis, & ſtatus meræ humiliationis atque exinanitionis, quam ſpontè & voluntariè Chriſtus aſſumpſit, eamque unam & ſolam Ordini Hierarhico reliquit, eſtque omnium mitiſſima, ſuaviſſima, omni dominatu, ſapientiâ, & potentiâ mundanâ, id eſt, auctoritate abſolutâ cogendi per vim externam, aut merum imperium expers. Ratio eſt, quoniam inſtituitur, non ut corporibus & temporalibus cogendo imperet, ſed ut animos hominum moderetur, atque internos conſcientiæ motus dirigat. Matth. 5. *Ego autem dico vobis*, inquit Dominus, *quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt in corde ſuo:* Siquidem Lex gratiæ nos conformiter ad captum & libertatem noſtram ſuaviſſimè & liberrimè frequentatione actuum Hierarchicorum gubernat, illuminando per doctrinam & ſuaſionem verbi divini, purgando per pœnitentiam & cenſuras: deinde perficiendo reliquorum ſacramentorum adminiſtratione. Voluntas enim quæ eſt cauſa efficiens virtutis ac vitii ſolummodò ab interno & ſpirituali principio efficaciter movetur. Quare intellectum, qui dux & fax eſt voluntatis, prius illuminari, quàm voluntatem in hanc aut illam partem flecti neceſſe eſt: Cui poteſtati miniſteriali Chriſtus legem divinam & naturalem, quam ad amuſſim ſervaret, pro certiſſima & infallibili regula addixit, eique etiam ſemetipſum ut purum hominem & miniſtrum ultrò alligavit: unde Matth. 5. perhibet *ſe non veniſſe legem ſolvere, ſed adimplere.*

Accedit inſuper ratione hujus tertiæ poteſtatis, non imperioſè aut abſolutè, ſed tantùm ex pacto & convento agere nobiſcum. *Hoc fac, & vives, &c.* Imò verò ex aliorum hominum conſuetudine paſſim

ſim in ſacris Scripturis officia & munia puri ac pauperrimi hominis obit. Lucæ 2. Sub finem dicitur proficere *ætate, ſapientiâ & gratiâ apud Deum & homines, atque ſubditum fuiſſe parentibus*. Item cap. 9. *Vulpes foveas, & aves cœli nidos habent; filius autem hominis non habet, ubi caput ſuum reclinet*. Et Matthæi 12. *Ecce puer meus quem elegi: ponam ſpiritum meum ſuper eum, & judicium gentibus nuntiabit: non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus: arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium: & in nomine ejus gentes ſperabunt.* Quæ omnia politici & Eccleſiaſtici tribunalis differentiam indicant, & Regi atque opulento viro minimè congruunt. Omnia enim regna & terrarum tractus ac principatus jam pridem antè naturali & Gentium jure conſtituti, diviſi ac diſtributi fuerant. Quare Eccleſiam in alieno fundo ac territorio ædificari, & tanquam contentum in continente, aut vectores in navi habitare oportebat, & juxta hanc poteſtatem miniſterialem Chriſtus neque particulam minimam territorii, aut coërcitivæ juriſdictionis poſſidet, ut abſolutè cogat quæ imperat. Hinc Lucæ 12. de duorum fratrum diſſidio, quorum alter in alterius hæreditatem invaſerat, refugit cognoſcere: Et quanquam alter fratrum graviſſimè peccaſſet,hacque de cauſa, ut Canoniſtis cap. Novit de judiciis, placet; ad tribunal Eccleſiaſticum trahi poſſet; verumtamen Dominus abſolutè reſpondet: *Homo, quis me conſtituit judicem aut diviſorem ſuper vos?* Præterea Matth. 17. *Tributum ſolvit Cæſari:* Et Joannis 19. ſe coram Pilato judicandum ſiſtit, eique de regno Chriſtiano percontanti abſolutè reſpondet *regnum ſuum non eſſe de hoc mundo: Se veniſſe in mundum, ut teſtimonium perhiberet veritati:* ac ſi diceret regnum hoc naturâ & cauſis eſſentialibus diſcrepare à regnis temporalibus, quæ adhibitâ vi externâ imperant, corporibusque & temporalibus per merum imperium abſolutè dominantur, cum veritas ſolummodò doceri, ſuaderi, & in animos hominum inſinuari poſſit, quoniam mentes humanæ ab interno potiſſimùm principio & cauſâ efficaciter moventur, ut jam dixi. Quamobrem Lucæ 9. ad calcem. Cùm videret diſcipulos fines ac terminos hujus ſuaviſſimæ & manſuetiſſimæ poteſtatis miniſterialis ſpiritualis prætergredi, & ad morem dominantium & abſolutè imperantium vi externâ, atque cæleſti igne comprecato veritatem cogere; ſicque Samaritanorum pervicaciam ulciſci velle; illos acriter corripuit. *Neſcitis cujus ſpiritus eſtis: filius hominis non venit animas perdere,*

ſed

ſed ſalvare, inquit, quem pariter ad ſenſum hæc capienda ſunt, Luc. 22. nam ſubortâ contentione inter Diſcipulos, quis eorum videretur major, dixit eis: *Reges gentium dominantur eorum; vos autem non ſic. Sed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor; & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator.* Quo in oraculo Domini, ut jam aliàs obſervavi, tres inſunt voces, nempe dominantur, præceſſor & miniſtrator; quæ controverſiam de poteſtate Papæ omnino dirimunt, ac omnem dubitandi occaſionem, præſertim Theologis auferunt. Enimverò ſicut dominatus & dominatio, abſolutum & planè monarchicum imperium cum vitæ & necis poteſtate, quæ ſolis poteſtatibus ſæculi propria eſt, ſignificant: ita nomen præceſſoris Primatum dumtaxat, & Miniſtratoris unicam & ſolam poteſtatem miniſterialem, nudam omni dominatu & facultate cogendi, aut pœnas temporales inferendi importat, convincitque dominium atque miniſterium velut duo contraria inter ſeſe opponi, & Eccleſiam illa quæ præcipit, nullomodo cogere poſſe, quoniam brachio ſæculari opus habet ad pervicaces, pacique rebelles in ordinem cogendos, quod certiſſimo eſt argumento præditam non eſſe dominatu vel auctoritate purè monarchicâ & abſolutâ. Hicque monendi ſunt Theologiæ Candidati, ne ſibi ab hominibus obnoxiis falsò illudi patiantur; quoniam (hoc enim cogor identidem frequentare, quando operæ pretium eſt) nullus eſt mortalium, qui poſt variam & multiplicem ratiocinationem ex hujuſmodi locis ſcripturæ metaphoricis, allegoricis & obſcuris. *Tibi dabo claves regni Cœlorum, &c. Paſce oves meas, &c.* Matthæi 16. & Joannis ultimo, quicquam aliud ultra Primatum Petri, & poteſtatem miniſterialem ſpiritualem directè & clarè poſſit colligere: Qui autem abſolutam Papæ auctoritatem, aut regimen planè monarchicum cum facultate cogendi per merum imperium & Reges abdicandi inde extorquere moliuntur, ſanè tam ridiculi ſunt apud benè ſentientes, quàm illa mulier apud Epiphanium hæreſi 59. quæ eſt Catharorum, quæ caput calceamentis, & pedes thiarâ induebat. Profectò Bellarminus cap. 5. adversùs Barclaium circa medium, dum perhibet hanc abſolutam poteſtatem, de qua loquimur, haberi expreſſè in ſcripturis, ſed generatim, non in particulari, in illo videlicet cap. 16. Matthæi: *Tibi dabo claves regni Cælorum.* Et Joan. 21. *Paſce oves meas, &c.* Sibi ipſi adverſatur, quia generatim aliquid contineri, non eſt clarè & explicatè contineri. Deinde pernegamus Bellarmino generatim contineri, quando eſſentialibus cauſis poteſta-

Digitized by Google

tis Eccleſiaſticæ funditùs repugnat. Idem verò per idem ridiculè probat cap. 12. ejuſdem libri in Barclaium, affirmans hos ſcripturæ locos: *Tibi dabo claves: Paſce oves meas*, ſic explicatos in multis Conciliis ſub Gregorio VII. Innocentio III, &c. Nam contendimus iſtos textus ſecundùm ullam Dialecticæ aut Theologiæ normam ad ſenſum quem obtendit Bellarminus, numquam trahi potuiſſe, ut infrà probabitur: & antequàm hoc doceant adverſarii, eis priùs demonſtrandum & incumbit Chriſtum aliam quàm purè putè ſpiritualem & miniſterialem poteſtatem Eccleſiæ credidiſſe, contra quam aſſertionem ipſe pronuntiat Lucæ 22. *Reges gentium dominantur; vos autem non ſic, &c. Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat, &c.* Unde alia Bellarmini petitio corruit cap. 16. lib. 4. de Romano Pontifice, & in librorum ſuorum recognitione eumdem librum & cap. recenſens, dum ait hæc verba: *paſce oves meas*, idem ſignificare, atque, regio more impera. Quapropter illa Sancti Auguſtini regula contra Donatiſtas, quam cap. 1. libri ſecundi hujus operis præfiximus, hîc uſurpanda & iteranda eſt. Non audiamus: hæc dico: hæc dicis: ſed audiamus: hæc dicit Dominus. Sunt certè libri Dominici, quorum auctoritati utrique conſentimus, utrique credimus, utrique ſervimus. Ibi diſcutiamus cauſam noſtram, &c. Hîc & illa interim ſeponenda ſunt, quæ obſcurè ſunt poſita, & figurarum velaminibus involuta, & ſecundùm nos & ſecundùm illos poſſunt interpretari. Eſt quidem acutorum hominum dijudicare atque diſcernere, quis ea probabilius interpretetur. Sed nolumus in has ingeniorum contentiones in ea cauſa quam populus tenet, diſputationem noſtram committere; ſed apertè veritas clamet & luceat, inobturatas aures irrumpat, diſſimulantium oculos feriat; nemo in eis latebris quærat ſententiæ ſuæ locum, omnem conatum contradicendi confundat; omnem frontem impudentiæ elidat. Quæ ſententia nobis clarè per analogiam indicat quidnam de Curiæ Romanæ inſtitutis hac in parte tenendum ſit, quando ſuas opiniones ſolis locis ſcripturæ metaphoricis, allegoricis, planèque obſcuris munit, & in vanitate ſui ſenſus ambulans, nec attendens ſe ſpiritualiter examinari, poteſtatem ſpiritualem miniſterialem Eccleſiæ in temporalem ac ſæcularem dominatum violenter transformat. Contra autem noſtra, imo Catholicæ Eccleſiæ doctrina evidentiſſima eſt, nulliſque aliis quàm clariſſimis & notiſſimis legis divinæ teſtimoniis inſtructa eſt. Catholicam Eccleſiæ doctrinam nuncupo, quæ Catholico conſenſu Patrum, & univerſali Ec-

clesiæ

Digitized by Google

cleſiæ traditione roboratur, ut probabimus. Idque adverſarii de ſua opinione probare non poſſunt, cùm à Gregorio VII. ortum habuerit, teſte Bellarmino.

III. Equidem Dominus ſupremum Eccleſiæ tribunal erigendo Matt. 18. nihil quicquam juris aut poteſtatis confert Apoſtolis, quàm ut docendo Religionem, perſuadeant & peccata quæ in anima velut in proprio ſubjecto ſtabulantur, remittant, aut retineant, ſolvant aut ligent, & pervicaces ac renitentes excommunicatione tanquam ſpirituali exilio mulctent: nequaquam verò ut homines abſoluto imperio vel dominatu, aut vi externâ pœnas temporales per modum coactionis irrogando ad obſequendum adigant. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum, &c. Si te non audierit, adhibe tecum unum vel duos, ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum. Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ; ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus. Amen dico vobis: quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo: Et quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlo.* Ad cujus textus notionem revocandum eſt, quod paulò antè obſervavimus, videlicet cunctos Chriſtianos unum efficere corpus myſticum in Chriſto; alteros alterorum membra cap. 12. ad Romanos, atque Dominum noſtrum tanquam caput Eſſentiale Eccleſiæ, Eccleſiam ſponſam, id eſt corpus ſuum informare, vivificare & animare in Sanctorum communionem, de qua Joannis 17. *Rogo ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut ſint conſummati in unum, &c.* Item in Symbolo: *Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Communionem, remiſſionem peccatorum.* Itaque quotquot excommunicatione canonicè plectuntur, unà quoque divino beneficio communionis Sanctorum & remiſſionis peccatorum privantur, ac tanquam membra putrida & mortua à corpore myſtico Eccleſiæ reſecantur, ut amplius infrà cap. 4. hujus libri oſtendetur. Herclè quando coactio & coërcitio propriè in vi externa, quæ à politico Magiſtratu irrogatur, conſiſtit, ſi verum amamus, ut Theologos oportet: Excommunicatio non eſt coactio, ſed tantum excluſio à communione Eccleſiaſtica. Neque verò Eccleſia quicquam jure divino habet gravius quòd faciat; neque pœnas temporales abſque brachii ſæcularis operâ infligere, vel quempiam extrinſecè cogere poteſt. Et ita planum evadit abſolutam & planè monarchicam poteſtatem, hoc eſt jus abſolutè cogendi, tum quoad dominium, tum quoad uſum eſſentialiter

Digitized by Google

ter poteſtati Eccleſiaſticæ adverſari. His & adgregandi alii textus Euangelii, quibus ſola poteſtas miniſterialis ſpiritualis defertur. Joann. 20. *Pax vobis. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixiſſet, inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: Et quorum retinueritis, retenta ſunt.* Et Joannis ultimo: *Paſce agnos meos, paſce oves meas.* Hæc enim ſpiritualiter, & proportionatim ad animam, quæ eſt ſubjectum poteſtatis Eccleſiaſticæ, capienda ſunt; certumque eſt hoc paſtorale officium Petri, & aliorum Apoſtolorum totum eſſe ſpirituale, omnium mitiſſimum & ſuaviſſimum abſque ulla poteſtate abſoluta cogendi per vim externam: Animas enim convertere, non laniare aut occidere debet; convertuntur autem actibus hierarchicis, quos verbo paſcendi deſignavit Dominus. Sicut etiam Matthæi & Marci ultimo: *Ite, docete omnes gentes: prædicate Euangelium omni creaturæ.* Quâ clauſulâ oſtenditur per doctrinam & prædicationem Verbi Divini illuminandum eſſe intellectum. Hæc igitur ſumma erit omnium rationum noſtrarum cuncta ſcripturæ & Patrum teſtimonia, ad jus clavium, officium paſcendi, aut juriſdictionem Eccleſiaſticam ſpectantia, dogmaticè & neceſſariò ad unam & ſolam poteſtatem miniſterialem ſpiritualem redigi debere. Quæ poteſtas de mediis aut ſubſidiis ad vitam æternam neceſſariis ſuaſivè tantùm & directivè, aut, ut ait Sanctus Bernardus, innuitivè, non coactivè, aut coërcitivè judicat. Ideòque Apoſtolus cap. 3. ad Philippenſes verſu 20. perhibet noſtrum politeuma, id eſt formam & rationem gubernandi Eccleſiaſticorum cum Chriſtianorum converſatione, totam eſſe in Cælis, id eſt planè cæleſtem aut ſpiritualem, non carnalem aut mundanam eſſe. Capite autem 6. ad Epheſios. Permagnum diſcrimen inter Dei Panopliam & armaturam mundi collocat. Hæc enim, ut lib. 2. docuimus, quoniam corporibus & temporalibus imperat, ideo materiali gladio armata eſt: Illa verò quia animam habet pro materia, tota ſpiritualis & animæ conformis eſſe debet. Nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt; ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adversùs ſcientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti. 2 Cor. 10. Quæ humani intellectus captivatio, non ſapientiâ mundana, opibus terrenis, abſolutâ Monarchiâ, aut uſu gladii materialis, ſed ſolâ actuum hierarchicorum frequentatione peragitur, quòd ſæpe iterandum eſt. Verùm ſi Guillelmus

Digitized by Google

mus Eſtius explicans hunc textum Pauli, ritè obſervat hujuſmodi captivitatem intellectus in obſequium Chriſti, minimè poſitam in aſſenſu earum veritatum, quæ per ſenſum vel demonſtrationem, aut omninò per experientiam cognoſcuntur: Et ideo dæmones quos Jacobus cap. 2. teſtatur credere & contremiſcere, non credere tanquam obedientes, ſed tanquam naturali lumine, ac rerum experientiâ convictos: profectò inſurgit multò minùs pœnis temporalibus homines cogi poſſe ad fidem Catholicam amplexandam: Unde ſuperiùs monui voluntatem duntaxat efficaciter ab interno principio moveri. Quare 2 Corinth. cap. 1. Fides dicitur eſſe liberrimæ voluntatis, nec quemquam nolentem cogi poſſe ad credendum. Non dominamur veſtræ fidei, ſed adjutores ſumus veſtri gaudii. Ubi gloſſa poſt Ambroſium: *Fides non patitur dominium, cùm ſit voluntatis, non neceſſitatis.* Idemque Ambroſius cap. 2. prioris ad Timoth. *Fides eſt quæ dat ſalutem, quam niſi mens totâ ſuſceperit voluntate, non ſolùm nihil proderit, ſed oberit: Fidei enim gratia hanc habet poteſtatem, ut devotis ſibi divinam infundat medelam, indevotis verò morbum conferat, per quem totus homo intereat.* Proculdubio neque ullus invitò ſalvari, neque Sanctorum Communio, quæ cauſa eſt finalis regiminis Eccleſiæ cogi, aut Monarchicè per abſolutam poteſtatem imperari valet. Quamobrem Jacobi 1. *Lex Euangelica perfectæ libertatis.* & cap. 2. *Lex Regalis* appellatur, quia licèt nos à ſervitute peccati abſolvat, attamen vim aut coactionem nulli infert; ſicque Chriſtianos regibus pares efficit, qui à nemine coguntur. Juſto enim lex non eſt poſita, id eſt ulla pœna coërcitiva ſtatuta, quoniam *oderunt peccare boni virtutis amore.* Porrò hujus poteſtatis manſuetiſſimæ hieroglyphicum leges Joſuæ 6. ubi non arietum impreſſione, aut vi externâ, ſed ſolo tubarum clangore, qui figura eſt prædicationis Euangelicæ, muri urbis Jericho funditùs corruunt. Similiter 2 Regum cap. 7. David qui ſe ſævis & bellis implicarat, prohibetur ædificare templum Dei, in quo ædificando non auditus eſt malleus, ſecuris, & omne ferramentum. 3 Regum 6. Accedit & Petrum, dum gladio utitur, aures hominum abſcindere, id eſt efficere ut homines in ſuis erroribus obdureſcant, nec auſcultent Euangelio & voci Chriſti.

IV. Anno 1606. quo inter Summum Pontificem Paulum V. & Rempublicam Venetam controverſia ardebat, Cardinalis Bellarminus cum Magiſtro Paulo Veneto Servita, de Papæ Monarchia in rebus temporalibus manum conſeruit. Paulus autem Venetus cùm in-

directam poteſtatem in temporalibus per modum coactionis Pontifici denegaret, id Bellarmino in librorum ſuorum recognitione, & recenſione libri quarti de Romano Pontifice cap. 4. anſam præbuit texendi ampliſſimam diſputationem de Regno Chriſti, atque ex ejuſdem regni analogia probandi Papam quoque Chriſti Vicarium Regem eſſe in Eccleſia.

Triplex autem in Chriſto regnum conſtituit. Primum & proprium illud eſt, ait, de quo loquitur Angelus ad virginem Lucæ 1. *Dabit ei Dominus ſedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis, &c.* Hoc autem regnum Meſſiæ non temporale, ſed ſpirituale futurum docet ex communi conſenſu Patrum antiquorum, atque etiam Janſenii in Harmoniam Euangelicam, &c. Cujus regni vim & poteſtatem omnium optimè videtur expreſſiſſe S. Epiphanius hæreſi 29. quæ eſt Nazareorum: ubi ait thronum David, & regiam ſedem ejus, quam habuit Chriſtus, eſſe Sacerdotium in ſancta Eccleſia, quam dignitatem regiam ſimulque Pontificiam ſimul conjunctam largitus eſt Dominus ſanctæ Eccleſiæ, tranſlato in ipſam throno David non deficiente in æternum. Concludit autem Bellarminus, quamvis hoc regnum propriè ſpirituale ſit, & per fidem ad illud pervenire incipiamus, tamen negari non poſſe, quin etiam ad temporalia ſe extendat, quatenus ad ſpiritualia ordinantur, ut omnes Theologi confitentur: neque hoc regnum veræ paupertati Chriſti repugnare; quia aliud eſt habere poteſtatem diſponendi de temporalibus in ordine ad ſpiritualia; aliud habere proprietatem & dominium particulare rerum temporalium. Prælati & Præpoſiti Ordinum Religioſorum habent poteſtatem diſponendi de rebus temporalibus ſuæ Eccleſiæ vel Religionis, & tamen non habent dominium vel proprietatem rerum temporalium. Sic igitur Chriſtus Rex Eccleſiæ diſponere potuit de temporalibus rebus Eccleſiæ, imò etiam de rebus totius mundi; & tamen verè dicere potuit filius hominis; *non habet ubi caput ſuum reclinet*. Luc. 9.

Alterum Chriſti regnum, inquit Bellarminus, eſt Regnum divinum univerſale, quod Chriſto convenit ratione unionis hypoſtaticæ. Sed rectè Cajetanus admonet commentario primi capitis Epiſtolæ ad Hebræos, hoc dominium convenire Chriſto homini ratione divinæ filiationis, non ratione humanæ. Ille enim homo Chriſtus, quia verè eſt filius Dei naturalis, eſt hæres univerſorum ſine ulla exceptione. Quamvis autem Chriſtus non habeat ex humana

Digitized by Google

na filiatione dominium univerſale, habet tamen Chriſti humanitas ex donatione Patris, ratione hypoſtaticæ unionis dominium quoddam univerſale ſimile dominio divino, quòd non tollit dominia particularia, ſed ea conſervat; & in hoc dominio fundatur jus illud, quòd potuiſſet Chriſtus, ſi voluiſſet regna omnia ſibi aſſumere, ut etiam in libro noſtro diximus. De hoc regno intelligimus illa verba Matthæi 2. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo, &c.* Et cap. 1. ad Hebræos: *quem conſtituit hæredem univerſorum.* Hoc regnum accepit Chriſtus ab initio conceptionis, & eſt illi commune cum Patre; ſed non poteſt communicari cum ulla pura creatura; neque repugnat veræ paupertati, quam Chriſtus elegit pro tempore mortalitatis ſuæ. Nam ipſe idem Chriſtus homo ratione dominii univerſalis, ditiſſimus erat; ratione particularis, pauperrimus, &c. Neque regnum hoc temporale dici poteſt, quale eſt regnum hujus mundi; nam neque opibus, neque militibus, neque armis, neque arcibus, neque aliis ejuſmodi præſidiis indiget, ſine quibus regna temporalia conſervari non poſſunt; neque tollit hoc regnum regna hominum, qui juſtè illa poſſident, ſed illis præeſt poteſtate quadam altiore & ſublimiore, quàm ſit poteſtas ullius Regis aut Monarchiæ temporalis: Et potuiſſet quidem Chriſtus ex hac poteſtate ſua eminentiſſima privare regnis temporalibus quoſcumque Reges terræ: neque feciſſet illis injuriam, ſi hoc feciſſet, ſed maluit regna temporalia iis dimittere, qui ea poſſidebant, ut humilitatis, & paupertatis, patientiæ & obedientiæ exemplum daret.

Tertium regnum Chriſti eſt regnum gloriæ, quod adeptus eſt in ſua Reſurrectione & Aſcenſione: de hoc regno intelligimus illud Matth. ultimo: *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo & in terra.* Nam tunc demum datum eſt Chriſto homini, ut non ampliùs ſubjectus eſſet ulli creaturæ, non ſolùm de jure, quo modo numquam fuit, ſed neque de facto, id eſt neque hominibus, neque fami, neque ſiti, laboribus aut doloribus, aut ipſi morti; ſed contrà omnibus omnino dominaretur, &c. De hoc regno non oportet quærere, an repugnet paupertati Chriſti, quia paupertas illa non erat duratura, niſi pro tempore mortalitatis. Neque dici poteſt hoc regnum temporale, cùm ſit alterius rationis, & longè eminentius omni regno temporali, & tandem in die judicii conſumere ac deſtruere debet omnia regna temporalia, & ipſum æternum permanere, ut prædixit Daniel cap. 2. Sunt igitur tria Chriſti regna, unum proprium ipſius: alterum commune

mune cum Patre: tertium commune cum Electis. Illud primum incipit à Prædicatione Chriſti: ſecundum à Conceptione: tertium à Reſurrectione.

Verùm præter tria hæc regna, quartum in ſcripturis, quòd terrenum regnum debeat appellari meritò negat Bellarminus. Et quamquam Chriſtus per Moſem & Melchiſedech figuraretur, tamen non debuiſſe eſſe Regem temporalem, ut illi fuerunt, ſed Regem altioris ordinis contendit, quoniam figura ſemper eſt inferior & imperfectior figurato. Sicut igitur Sacerdotium Chriſti fuit longè ſublimius Sacerdotio Moſis & Melchiſedecis: ita etiam regnum Chriſti debuit eſſe multò excellentius, id eſt non temporale, ut illorum, ſed æternum, ſpirituale & cœleſte, &c. Quod ſi ii qui regnum temporale Chriſto tribuunt, per regnum temporale nihil aliud intelligant, quàm dominium univerſale, quod non tollit particularia, & eminentem poteſtatem diſponendi de rebus temporalibus, in ſententia convenimus, & ſolùm de verbis diſceptamus, inquit Bellarminus.

Profectò ſi veritati, & non anticipatè ſuæ opinioni patrocinari voluiſſet à tam caſſo & ſuperfluo labore ſuperſedere, atque iſtam profuſiſſimam diſputationem de regno Chriſti ad pauca, hoc eſt ad poteſtatem auctoritatis, excellentiæ, & puri miniſterii redigere poterat. Quòd autem ait in prima acceptione regni Chriſti, Chriſtum ratione ſui Sacerdotii habuiſſe poteſtatem diſponendi de temporalibus in ordine ad ſpiritualia; atque inde colligit Papam tanquam vicarium Domini & participem ejus Sacerdotii, eamdem pariter habere poteſtatem diſponendi de temporalibus: vehementer fallit aut fallitur; quoniam alio modo Chriſtus Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, & alio modo Papa. Ille enim ut cauſa efficiens Eccleſiæ, Sacerdotio donatus eſt à Patre, ut mundum per paſſionem ſuam redimeret, quod ſpectat ad poteſtatem excellentiæ. Papa autem ſolummodò particeps eſt Sacerdotii Chriſti, ut miniſter, & ratione poteſtatis purè miniſterialis ſpiritualis, quæ naturâ ab omni dominio & poteſtate abſolutâ abhorret: ideòque de temporalibus diſponere non poteſt, niſi per modum directionis, non coactionis externæ. Quòd etiam claret exemplo propoſito à Bellarmino de Prælatis & Præpoſitis Ordinum Religioſorum, qui de temporalibus Ordinum ſuorum directivè tantùm, non coactivè per pœnas temporales ſtatuunt, idque etiam de totius Ordinis conſenſione & deliberatione: verùm Epiphanii teſtimonio Bellarminus, ſicut etiam Baronius

nius abutitur, ut amplius dicetur libro quinto. Cæterùm ex tribus ſpeciebus poteſtatis Chriſti, poteſtas auctoritatis & excellentiæ repugnant paupertati quam Dominus elegit. Sola autem poteſtas Miniſterii cum illa poteſt compati.

CAPUT III.

Conſenſus Catholicus Patrum & Doctorum Eccleſiæ de poteſtate miniſteriali ſpirituali Eccleſiæ vacuâ omnî poteſtate cogendi extrinſecè per pœnas temporales.

Tertulliani.
Origenis.
Lactantii.
S. Athanaſii.
Hilarii.
B. Martini.
Gregorii Nazianzeni.
Ambroſii.
Hieronymi.
Chryſoſtomi.
Auguſtini.
Cyrilli Alexandrini.
Gelaſii Papæ.
S. Gregorii.
Hincmari Rhemenſis.
Nicolai I. PP.
Joannis Octavi.
Oecumenii.
Theophylacti.
Petri Damiani Cardinalis.
Anſelmi.
Hildeberti Cœnomanenſis.
S. Bernardi.
Gratiani.
Ivonis Carnotenſis.
Caleſtini III. PP.
Gloſſæ & Lyrani.
Ruperti Abbatis.
Ægidii Romani.
Anonymi, ſub Philippo Pulchro Franciæ Rege Dialogi inter Clericum & Militem.
Joannis Pariſienſis.
Cardinalis Alliaceni.
Gerſonii.
Almaini.
Joannis Majoris.
Cardinalis Cuſani.
Toſtati Abulenſis Epiſcopi.
Guagini.
Claudii Guilliandi.
Joannis Arborei.
Eſpenſei Feri.
Cardinalis Toleti.
Maldonati.

QUando clariſſimis Scripturæ teſtimoniis poteſtatem miniſterialem Eccleſiæ confirmavimus, reſtat de Eccleſiæ Catholicæ traditione, & univerſali Patrum atque Doctorum conſenſu diſſeramus, probandique initium faciam à Tertulliano libro

de Idololatria cap. 18. *Si Chriſtus poteſtatem nullam ne in ſuos quidem exercuit; quibus ſordido miniſterio functus eſt: ſi Regem ſe denique fieri conſcius ſui regni refugit, pleniſſimè dedit formam ſuis dirigendo omni faſtigio & ſuggeſto tam dignitatis, quàm poteſtatis. Quis enim magis his uſus fuiſſet, quàm Dei filius? quales & quanti faſces eum producerent? qualis purpura humeris ejus floreret? quale aurum de capite radiaret, niſi gloriam ſeculi alienam & ſibi & ſuis judicaſſet? Igitur quæ noluit, rejecit; quæ rejecit, damnavit, quæ damnavit, in pompa diaboli deputavit. Non enim damnaſſet, niſi non ſua: alterius autem eſſe non poſſent, niſi diaboli, quæ Dei non ſunt.* Quâ clauſulâ edocemur Chriſtum mundanam ſapientiam, omnemque typhum ſæculi velut poteſtati miniſteriali contrariam damnaſſe, ut ex Apoſtolo capite 1. prioris ad Corinthios ſuprà notavimus. Idem cap. 37. Apologetici demonſtrat, quamquam vires & opes Chriſtianis ſuppeterent, numquam tamen arma ſumpſiſſe, aut de injuriis illatis ſeſe ulciſci voluiſſe, quia lege Euangelicâ id prohibetur. *Quando vel una nox pauculis faculis largitatem ultionis poſſit operari, ſi malum malo diſpungi penes nos liceret: ſed abſit ut aut igne humano vindicetur divina ſecta, aut doleat pati, in quo probatur.* Et aliquantò infrà: *Cui bello non idonei, non prompti fuiſſemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, ſi non apud iſtam diſciplinam magis occidi quàm liceret occidere?* Item cap. 2. ad Scapulam: *Humani & naturalis poteſtatis eſt, unicuique quod putaverit, colere; nec alii obeſt aut prodeſt alterius religio. Sed nec religionis eſt cogere religionem, quæ ſponte ſuſcipi debeat, non vi; cùm & hoſtiæ ab animo libenti expoſtulentur.* Idem cap. 3. de patientia: *Patientia Domini in Malcho vulnerata eſt. Itaque & gladii opera maledixit in poſterum & ſanitatis reſtitutione ei quem non ipſe vexaverat, ſatisfecit per patientiam miſericordiæ matrem.* Quæ omnia ſpectant ad poteſtatem miniſterialem. Cæterùm auctoribus conſpirationis nitrati & ſulphurei pulveris adversùs Angliæ Regem hæc conſideranda relinquo. Quando vel una nox pauculis faculis largitatem ultionis poſſit operari, ſi malum malo diſpungi penes nos liceret. Sed abſit ut igne humano vindicetur divina ſecta, aut doleat pati, in quo probatur, &c.

Origenes tractatu 12. in Matthæum explicans petitionem matris filiorum Zebedæi primatum regni Chriſti exambientis pro duobus liberis Matth. 12. accuratè demonſtrat diſcrimen principatus miniſterialis ſpiritualis Eccleſiæ à terreno principatu, quorum hic poſitus eſt in neceſſitate coactionis externæ: ille in libera voluntate parendi,

rendi, aut non. Ait ergo *quòd Principes gentium non contenti tantùm regere ſuos ſubjectos, violenter eis dominari nituntur. Inter vos autem qui eſtis mei, non erunt hæc, ne fortè qui videntur habere aliquem in Eccleſia principatum, dominentur fratribus propriis, vel poteſtatem in eos exerceant; quoniam ſicut omnia carnalia in neceſſitate ſunt poſita, non in voluntate: ſpiritualia autem in voluntate, non in neceſſitate; ſic & Principes ſpirituales principatus eorum in dilectione ſubjectorum debet eſſe poſitus, non in timore corporali. Sed & qui voluerit apud Patrem meum major eſſe comparatione fratrum ſuorum, efficiatur miniſter eorum, quibus vult eſſe major. Et qui principatum deſiderat Eccleſiæ*, inquit, *debet fieri omnium ſervus in humilitate ſervili, ut obſequatur omnibus in iis quæ pertinent ad ſalutem; & hæc docet nos ſermo divinus. Nos autem ſive non intelligentes voluntatem divinam poſitam in ſcripturis ſive contemnentes talem commendationem Chriſti, tales ſumus, ut etiam malorum Principum mundi excedere ſuperbiam videamur; & non ſolùm quærimus ſicut Reges acies præcedentes, & terribiles nos & acceſſu difficiles maximè pauperibus exhibemus: & tales ſumus ad eos qui nos interpellant, ut propter aliquid deprecentur, ſicut nec tyranni & crudeliores Principibus mundialibus ad ſubjectos. Et eſt videre in quibuſdam Eccleſiis, præcipuè civitatum maximarum Principes populi Chriſtiani nullam affabilitatem habentes, vel habere ad ſe permittentes, &c. Hæc autem diximus volentes oſtendere quòd Eccleſiarum Principes mundialium eſſe imitatores non debent, ſed imitari debent Chriſtum acceſſibilem & mulieribus loquentem, & pueris manum imponentem, & diſcipulis ſuis pedes lavantem, atque tergentem, exemplum eis dantem, ut & ipſimet ſimiliter faciant fratribus ſuis. Forſitan autem & quia Dominus conſtitutus ſerviebat pro ſalute hominum generi noſtro; propterea dicitur formam ſervi ſuſcepiſſe, & humiliaſſe ſe uſque ad mortem, propter quod & Dominus eum ſuperexaltavit. Qui vult ergo exaltari, ſimilia faciat, ut exaltetur per ea, ſicut & filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.*

Porrò ex hoc Origenis teſtimonio claret, principatum Eccleſiæ, quantum quantum eſt, in voluntate & dilectione, non in timore & neceſſitate conſiſtere, & continuò nullam habere juriſdictionem coërcitivam ad abſolutè cogendum quod imperat. Siquidem hoc proprium eſt unius politicæ poteſtatis; unde Apoſtolus 13. ad Romanos: *Si autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat: Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit. Ideòque neceſſitate ſubditi eſtote non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Certè

Digitized by Google

tè nihil evidentius hoc Origenis teſtimonio: ſpiritualia in voluntate, non in neceſſitate poſita eſſe, quoniam Prælati non dominantur fidei Chriſtianorum, ut docet Apoſtolus, ſed ſunt adjutores gaudii illorum. Hanc Origenis ſententiam B. Chryſoſtomus infrà uberiùs explicabit.

Lactantius Firmianus Arnobii diſcipulus lib. 5. de divinis Inſtitutionibus cap. 20. *Non eſt opus vi & injuriâ, quia religio cogi non poteſt; verbis potiùs quàm verberibus res agenda eſt, ut ſit voluntas. Diſtringant aciem ingeniorum ſuorum; ſi ratio eorum vera eſt, afferatur, parati ſumus audire, ſi doceant: tacentibus certè nihil credimus: Imitentur nos, aut rationem rei totius exponant. Nos enim non illicimus, ut ipſi objectant, ſed docemus, probamus, oſtendimus. Itaque nemo à nobis retinetur invitus: inutilis eſt enim Deo, qui devotione ac fide caret, &c. Quid ergo ſæviunt? Longè diverſa ſunt carnificina & pietas, nec poteſt aut veritas cum vi, aut juſtitia cum crudelitate conjungi, &c. Defendenda enim religio eſt non occidendo, ſed moriendo; non ſævitiâ, ſed patientiâ; non ſcelere, ſed fide: Illa enim malorum ſunt, hæc bonorum, & neceſſe eſt bonum in religione verſari, non malum. Nam ſi ſanguine, ſi tormentis, ſi malo religionem defendere velis, jam non defenditur illa, ſed polluetur atque violabitur: nihil eſt enim tam voluntarium quàm religio, in qua ſi animus ſacrificantis averſus eſt, jam ſublata, jam nulla eſt. Recta igitur ratio eſt, ut religionem vel patientiâ, vel morte defendas, in qua fides conſervata & ipſi Deo grata eſt, & religioni addit auctoritatem.* Quæ Lactantii ſententia uſquequaque cauſis eſſentialibus poteſtatis Eccleſiaſticæ cap. 2. hujus libri explicatis congruit; ſicut & ea quæ infrà ex Tertulliano atque Origene allata ſunt, quæ à Lactantio diffuſiùs tractantur. Cæterùm, quod ait Religionem defendendam non occidendo, ſed moriendo, &c. Memini uſurpatum à Magiſtro Joanne Poictevin Doctore Sorbonico. Cùm enim poſt cædem Henrici III. Gallorum Regis à Jacobo Inclemente patratam, in congregatione Facultatis Theologiæ anno 1589. Juniores quidam Theologi dicerent Clementem Henrici percuſſorem, eſſe martyrem. Magiſter Joannes Poictevin, inquam, unus ex antiquioribus, indignabundus exclamavit numquam auditum homicidam eſſe martyrem, & Religionem Catholicam non occidendo, ſed moriendo defendi à martyribus. Quâ reſponſione omnium ora concluſit; ſibi tamen grandem conflavit invidiam, quaſi ſenex eſſet delirus, ut tùm appellabatur.

Julius I. PP. in Epiſtola quam Orientalibus ſcripſit pro S. Athanaſio,

Digitized by Google

naſio, quæ legitur Apologiâ ſecundâ Athanaſii, ſub finem memoratæ Epiſtolæ graviter Orientales reprehendit, quod more judicum ſæculi judicia exercerent, & de facto cogerent contra naturam poteſtatis miniſterialis Eccleſiæ. *O Dilecti*, inquit, *non jam ulteriùs Eccleſiæ judicia ſecundùm Euangelium, ſed vel ad exilium, vel ad mortem inſtituuntur. Nam ſi, ut dicitis, omninò in culpa Athanaſius, Marcellus, &c. fuerunt, oportuit ſecundùm Canonem, & non iſto modo judicium fieri. Oportuit ſcribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus, quod juſtum eſſet decerneretur: Epiſcopi enim erant, & non vulgares Eccleſiæ, qui iſta patiebantur, &c.*

D. Athanaſius Epiſtolâ ad vitam ſolitariam agentes, paulò ante medium, Conſtantium Imperatorem carpit, quòd vim Epiſcopis inferret, ut communionem cum hæreticis inirent; atque damnationi Athanaſii ſubſcriberent. *Cùm*, inquit Athanaſius, *in Eccleſia nullius niſi Dei metus, omnes liberam habeant ſententiam, &c. Diabolus qui nihil veri habet, in ſecuri & aſcia invadens, concutit fores eorum à quibus recipitur: Salvator contrà, manſuetus eſt. Si quis*, inquit, *velit me ſequi, & eſſe diſcipulus meus; docetque ſe, cum ad quempiam venit, non vi inſtare, ſed potius pulſare ac dicere: aperi mihi, ſoror mea ſponſa. Quod ſi aperiant, intrat; ſin graventur, aut nolint aperire, abſcedit. Non enim gladiis, aut jaculis, aut militari manu veritas prædicatur, ſed ſuadendo, & conſulendo. Quæ autem ibi ſuadendi libertas aut conſulendi ratio, ubi qui contradicit, pro mercede aut exilium aut mortem reportat?* Item aliquantò poſt hæc ſubjungit: Dicentibus quibuſdam Epiſcopis id non eſſe Eccleſiaſtici Canonis, quòd Imperator faceret. *Imperatorem ſubjeciſſe: at quod ego volo, pro Canone ſit. Aut igitur obtemperate, aut exules eſtote; ſicque Romanum Imperium Eccleſiaſticis Conſtitutionibus immiſcuiſſe, ut Arrianam hæreſim in Eccleſiam introduceret.* Ubi notatione dignum occurrit, miſcere Romanum Imperium, id eſt vim & coactionem externam Canonibus Eccleſiæ condendis. Hoc enim eſt abſoluto Imperio Catholicam communionem cogere, quod non licet. Et hinc datur intelligi, quamquam leges Eccleſiæ atque Imperii materialiter concordent, quoniam juri naturali ſaltem conſentientes eſſe debent, nihilominùs formaliter, & quoad modum imperandi, planè eſſe diſcordes atque oppoſitas, quia illæ animis qui cogi non poſſunt, liberè præſunt: hæ autem corporibus & temporalibus, quæ in neceſſitate ſunt poſita, ac per vim & merum imperium imperant.

D. Hilarius adverſùs Conſtantium Auguſtum, ubi diſputat in Ar-

Digitized by Google

rianos, qui omnium primi armis Imperatoris errorem ſuum propagare nitebantur: *Deus cognitionem ſui docuit potiùs quàm exegit, & operationum cœleſtium admiratione præceptis ſuis concilians auctoritatem, coactam confitendi ſe aſpernatus eſt voluntatem*, inquit. *Si ad fidem veram iſtiuſmodi vis adhiberetur, Epiſcopalis doctrina obviam pergeret, diceretque Deus, univerſitatis eſt, obſequio non eget neceſſario, non requirit coactam confeſſionem: non fallendus eſt, ſed promerendus, noſtrâ potiùs, non ſuâ causâ venerandus eſt, confeſſione diſcendus eſt, charitate amandus eſt, timore venerandus eſt, voluntatis probitate retinendus eſt. At verò quid iſtud, quod Sacerdotes timere Deum vinculis coguntur, pœnis jubentur?*

Idem Hilarius contra Auxentium Mediolanenſem Epiſcopum Arrianum, Sancti Ambroſii corrivalem: *Ac primùm miſereri licet noſtræ ætatis laborem, & præſentium temporum ſtultas opiniones congemiſcere, quibus patrocinari Deo humana creduntur, & ad tuendam Chriſti Eccleſiam ambitione ſæculari laboratur. Oro vos, Epiſcopi, qui hoc vos eſſe creditis, quibuſnam ſuffragiis ad prædicandum Euangelium Apoſtoli uſi ſunt? Quibus adjuti poteſtatibus Chriſtum prædicaverunt, genteſque ferè omnes ex idolis ad Deum tranſtulerunt? Anne aliquam ſibi aſſumebant è palatio dignitatem? Hymnum Deo in carcere inter catenas, & poſt flagella cantantes, &c. At nunc, proh dolor! Divinam fidem ſuffragia terrena commendant, inopſque virtutis ſuæ Chriſtus, dum ambitio nomini ſuo conciliatur, arguitur. Terret exiliis & carceribus Eccleſia, credique ſibi cogit, quæ exiliis & carceribus eſt credita: pendet à dignatione communicantium, quæ perſequentium eſt conſecrata terrore: fugat Sacerdotes, quæ fugatis eſt Sacerdotibus propagata: diligi ſe gloriatur à mundo, quæ Chriſti eſſe non potuit, niſi eam mundus odiſſet. Hæc de comparatione tradita nobis olim Eccleſiæ, nunc quam deperditæ, res ipſa, quæ in oculis omnium eſt atque ore, clamavit.* Huc uſque S. Hilarius. Jam obſervavi hæreticos omnium primos Religionem armis coëgiſſe, atque Orthodoxos ſatis ſuperque duxiſſe, modò Epiſcopali ſententiâ hæretici judicati Eccleſiis pellerentur, novumque & inauditum nefas, ut cauſam Eccleſiæ judex ſæculi judicaret; propria ſunt verba Severi Sulpitii de B. Martino, cujus hiſtoriam mox ſubjiciemus.

B. Gregorius Nazianzenus nominatim perhibet Chriſtianos adversùs Julianum Apoſtatam ſolas habuiſſe lachrymas & patientiam pro omni medicamine, prima oratione in Julianum versùs finem: *Caterùm Dei clementiâ inhibitus atque repreſſus eſt, Chriſtianorumque lachrymis,*

Digitized by Google

chrymis, quas multas multi profuderunt, hoc unum adverſus perſecutorem medicamentum habentes. Et aliquantò poſt, Gentiles alloquens, qui ſub Juliano immoderatè ſæviebant in Chriſtianos: *Oſtendant tandem*, ait, *quæ ratio atque æquitas ſit, nos injuriis etiam & cruciatibus affectos tolerare: Se autem ne parcentibus quidem parcere. Sic enim rem expendamus, cùm quibuſdam temporibus ipſi potentia floruerimus, vos etiam quibusdam, his nimirum alias aliter incidentibus, atque in diverſum labentibus. Quid tandem ſimile à Chriſtianis veſtri perpeſſi ſunt, qualia ſæpenumero à vobis Chriſtiani pertulerunt? quam libertatem vobis eripuimus? in quos plebem furentem concitavimus? Quibus præfectos immiſimus, plura etiam quàm ipſis imperatum eſſet, exequentes? quibus periculum vitæ creavimus? imò quoſnam à Magiſtratibus, dignitatibusque ſubmovimus, aliiſque honoribus, qui præſtantiſſimis quibusque viris debentur? Et ut compendio dicam, Eccui aliquid ſimile intulimus, qualia multa à vobis partim admiſſa, partim denuntiata ſunt? Sed ne ipſi hoc quidem dixeritis, qui nobis animorum facilitatem & clementiam crimini vertere ſoletis.* Verùm hîc expecto, ut aliquis cavilletur Nazianzenum & plurimos alios Patres tantùm ea Hiſtoricè referre, quæ à Chriſtianis geſta ſunt, & vim non habere præcepti, ac proinde nullum inde poſſe elici argumentum. Contrà reponam hæc ad certiſſimam praxim regiminis Eccleſiæ primitivæ pertinere, atque robur habere præcepti, quando cauſis eſſentialibus poteſtatis Eccleſiaſticæ, hoc eſt legi divinæ & naturali conſentiunt; idque ſemel dixiſſe ſufficiat, ne cum nauſea eadem cogamur iterare. Porrò idem Nazianzenus oratione ad Arrianos eadem planè memorat de Chriſtianorum patientia, & perſecutionibus Arrianorum: *Quoniam autem ad hunc modum affecti ſumus*, inquit, *atque ad temporum rationem fidem noſtram accommodamus. Age, tempora cum temporibus committamus. Regem tuum profer, Ego proferam meos: Tu, Achab; Ego, Joſiam: Tuam mihi humanitatem æquitatemque commemora, ac meam viciſſim audaciam exponam. Quin potiùs tuam quidem inhumanitatem & multi libri & linguæ circumferunt, quas etiam poſteritas omnis exceptura eſt, æternam, niſi me opinio fallit, rebus à te geſtis ignominiæ notam inuſtura: meam verò ipſe oratione proſequar. Quem populum audaciâ furentem in te immiſi? Quos milites in aciem eduxi? Quem belli ducem ira inflammatum atrociorem effeci? &c. Quoſnam precibus incumbentes, manuſque ad Deum attollentes obſidione cinxi? Quas Pſalmorum cantiones tubarum clangore compreſſi? Quorum myſticum ſanguinem cum mortifero ſanguine permiſcui? Quos ſpiritua-*

les

Digitized by Google

les fletus exitioſis fletibus ſuſtuli? Quas pœnitentiæ lachrymas tragœdiæ lachrymis depuli? Quam orationis ædem in ſepulchrum converti? Quam ſuppellectilem rei ſacræ miniſterio dicatam, manibuſque profanis non attrectandam flagitioſis manibus expoſui? &c. Reliqua videat Lector, & animadvertet quod ſuperius ex Tertulliano retulimus, eſſe certiſſimum: ſcilicet inter Chriſtianos Eccleſiæ primitivæ magis occidi quàm occidere licuiſſe, atque hæreticos omnium primos Lanienam & viam cogendæ religionis adinveniſſe, quod identidem dicendum eſt.

Hìc celebrem B. Martini hiſtoriam cum nonnullis Hiſpaniarum Epiſcopis, qui auctores fuerant, ut Priſcillianiſtæ ferro decuterentur ex B. Severo Sulpitio enarrare lubet, quam ad rem attende, „ Lector. Poſt Priſcillianum hæreticum capitis damnatum curâ & „ ſtudio Ithacii atque Idacii Epiſcoporum Hiſpaniæ, qui Maximo „ Imperatori perſuaſerant, ut Priſcillianos capite mulctaret, ma„ gnum & perpetuum inter Orthodoxos diſcordiarum bellum exar„ ſit; adeò ut omnia miſceri cernerentur: cuncta per illos Epiſcopos „ odio, aut gratiâ, metu, inconſtantiâ, invidiâ, factione, libi„ dine, avaritiâ, arrogantiâ, ſomno, deſidia eſſent depravata. Po„ ſtremò plures adverſus paucos bene conſulentes inſanis conſiliis & „ pertinacibus ſtudiis certabant. Inter hæc plebs Dei, & optimus „ quiſque probro atque ludibrio habebatur. Severus Sulpitius libro 2. „ Sacræ hiſtoriæ ad calcem. Deinde 3. dialogo vitæ Sancti Martini „ articulo 15. veniam ad illud quod propter notam temporum ſem„ per occultavit Martinus, ſed nos celare non potuit, in quo illud „ eſt miraculi, quod facie ad faciem cum eo eſt Angelus collocutus. „ Maximus Imperator alias ſanè bonus, depravatus conſiliis Sacer„ dotum, poſt Priſcilliani necem, Ithacium Epiſcopum Priſcilliani „ accuſatorem, cæteroſque illius ſocios, quos nominari non eſt ne„ ceſſe, vi regia tuebatur, ne quis ei crimini daret, opera illius cu„ juſcumque modi hominem fuiſſe damnatum. Intereà Martinus mul„ tis gravibuſque laborantium cauſis, ad Comitatum ire compulſus, „ procellam illam totius tempeſtatis incurrit. Congregati apud Tre„ veros Epiſcopi tenebantur, qui quotidiè communicantes Itachio „ communem ſibi cauſam fecerant. His ubi nuntiatum eſt inopinan„ tibus adeſſe Martinum, totis animis labefactati muſſitare & trepi„ dare cœperunt. Et jam pridiè Imperator ex eorum ſententia decre„ verat Tribunos ſummâ poteſtate armatos ad Hiſpanias mittere, qui

„ hære-

Digitized by Google

„ hæreticos inquirerent; deprehenſis vitam & bona adimerent. Nec „ dubium erat quin Sanctorum etiam maximam turbam tempeſtas iſta „ depopulatura eſſet, parvo diſcrimine inter hominum genera. Etenim tum ſolis oculis judicabatur, cùm quis pallore potiùs aut veſte, quàm fide hæreticus æſtimaretur. Hæc nequaquàm placitura „ Martino Epiſcopi ſentiebant: ſed malè conſciis illa vel moleſtiſſima erat cura, ne ſe ab eorum communione adveniens abſtineret, „ non defuturis qui tanti viri conſtantiam præmiſſa auctoritate ſequerentur. Ineunt cum Imperatore concilium, ut miſſis obviam Magiſterii Officialibus, urbem illam propiùs vetaretur accedere, „ niſi ſe cum pace Epiſcoporum ibi conſiſtentium adfore fateretur, „ quos ille callidè fruſtratus, profitetur ſe cum pace Chriſti eſſe venturum. Poſtremò ingreſſus nocturno tempore, adit Eccleſiam tantùm orationis gratia. Poſtridiè palatium petiit. Præter multas quas „ evolvere longum eſt, has principales petitiones habebat pro Narſete Comite, & Leucadio præſide, quorum ambo Gratiani partium fuerant, pertinacioribus ſtudiis, quæ non eſt temporis explicare, iram victoris emeriti. Illa præcipua cura ne Tribuni cum „ jure gladiorum ad Hiſpanias mitterentur. Pia enim erat ſollicitudo „ Martino, ut non ſolùm Chriſtianos, qui ſub illa erant occaſione „ vexandi, ſed etiam hæreticos liberaret. Verùm primo die atque „ altero ſuſpendit hominem callidus Imperator, ſive ut rei pondus „ imponeret, ſive quia nimis implacabilis erat; ſeu quia, ut plerique tum arbitrabantur, avaritia repugnabat, ſi quidem in bona eorum inhiaverat: Fertur enim ille vir multis boniſque artibus præditus adversùs avaritiam parùm conſuluiſſe, niſi fortaſſe regni neceſſitate. Quippe exhauſto ſuperioribus principibus Reipublicæ „ ærario, penè ſemper in expeditione, atque præcinctu bellorum civilium conſtitutus, facilè excuſabitur quibuſlibet occaſionibus ſubſidia Imperio paraviſſe. Intereà Epiſcopi quorum communicationem Martinus non inibat, trepidi ad Regem concurrunt, prædamnatos ſe conquerentes; actum eſſe de ſuo omnium ſtatu, ſi „ Theogniſti pertinaciam, qui eos ſolùm palam lata ſententia condemnaverat, Martini armaret auctoritas: Non oportuiſſe hominem „ recipi mœnibus: illum jam non defenſorem hæreticorum eſſe; ſed „ vindicem: nihil actum morte Priſcilliani, ſi Martinus exerceat illius ultionem. Poſtremò proſtrati cum fletu & lamentatione poteſtatem regiam implorant, ut utatur adversùs unum hominem vi

„ ſuâ. Nec multum aberat quin cogeretur Imperator Martinum cum
„ hæreticorum ſorte miſcere. Sed ille licet Epiſcopis nimio favore
„ eſſet obnoxius, non erat neſcius Martinum fide, ſanctitate & vir-
„ tute cunctis præſtare mortalibus, alia longè viâ factum vincere pa-
„ rat; ac primò ſecretò accerſitum blandè appellat, hæreticos jure
„ damnatos more judiciorum publicorum potiùs quàm inſectationi-
„ bus Sacerdotum: non eſſe cauſam quam Ithacii, cæterorumque par-
„ tis ejus communionem putaret eſſe damnandam: Theogniſtum
„ odio potius quàm cauſâ feciſſe diſſidium, eumdemque tamen ſolum
„ eſſe, qui ſe communione interim ſepararit à reliquis: nihil nova-
„ tum. Quin etiam ante paucos dies habita Synodus Itachium pro-
„ nuntiaverat culpa non teneri. Quibus cùm Martinus parum mo-
„ veretur, Rex irâ accenditur, ac ſe de conſpectu ejus abripuit: & mox
„ percuſſores his pro quibus Martinus rogaverat, diriguntur. Quod
„ ubi Martino compertum, jam noctis tempore palatium irrupit;
„ ſpondet, ſi parceretur, communicaturum; dummodò & Tribuni
„ jam in excidium Eccleſiarum ad Hiſpanias miſſi retraherentur. Nec
„ mora interceſſit: Maximus indulget omnia. Poſtridiè Fœlicis E-
„ piſcopi ordinatio parabatur ſanctiſſimi ſanè viri & planè digni, qui
„ meliore tempore Sacerdos fieret. Hujus die communicationem
„ Martinus iniit, ſatius æſtimans ad horam cedere, quàm his non
„ conſulere; quorum cervicibus gladius imminebat. Verumtamen
„ ſumma vi Epiſcopis nitentibus, ut communionem illam ſubſcri-
„ ptione firmaret, extorqueri non potuit. Poſtero die ſe inde prori-
„ piens, cùm revertens in via mœſtus ingemiſceret, ſe vel ad horam
„ noxiæ communioni fuiſſe permixtum, haud longè à vico, cui no-
„ men eſt Andethama, quâ vaſtas ſolitudines ſylvarum ſecreta pa-
„ tiuntur, progreſſis paululum comitibus, ille ſubſedit, cauſam dolo-
„ ris & facti accuſante ac defendente invicem cogitatione pervol-
„ vens, aſtitit ei repentè Angelus. Meritò, inquit, Martine, compun-
„ geris, ſed aliter exire nequiſti: repara virtutem, reſume conſtan-
„ tiam, ne jam non periculum gloriæ, ſed ſalutis incurreris. Itaque
„ ab illo tempore ſatis cavit cum illa Itachianæ partis communione
„ miſceri. Cæterùm cùm quoſdam ex Energumenis tardiùs quàm ſo-
„ lebat, & gratia minore curaret, ſubinde nobis cum lachrymis fa-
„ tebatur, ſe propter communionis illius malum, cui ſe vel puncto
„ temporis neceſſitate, non ſpiritu miſcuiſſet, detrimentum ſentire
„ virtutis. Sexdecim poſtea vixit annos, nullam Synodum adiit, ab
„ omni-
Digitized by Google

„ omnibus Epiſcoporum Conventibus ſe removit. Quæ hiſtoria quatuor digna obſervatione complectitur. Primò Eccleſiam non ſe ſævis immiſcere: ideoque Theogniſtum Hiſpaniæ Epiſcopum excommunicaſſe Itachium cum aſſeclis, quoniam ſuis conſiliis Imperatorem depravaſſent, & contra legem gratiæ, & formam antea ab Apoſtolorum temporibus ſervatam impuliſſent, ut hæreticos ferro interimeret. Satis enim Patres Eccleſiæ Primitivæ ducebant, ſi Priſcillianus canonicè damnatus Epiſcoporum ſententia, communione Eccleſiaſtica privaretur. Unde Sulpitius libro 2. hiſtoriæ memorat S. Martinum Imperatorem oraviſſe, ut ſanguine infelicium abſtineret: ſatis ſuperque ſufficere ut Epiſcopali ſententia hæretici judicati Eccleſiis pellerentur. Novum & inauditum nefas, ut cauſam Eccleſiæ judex ſæculi judicaret. Herclè Paſtores multo magis de erudiendis, quàm de perdendis hæreticis debent eſſe ſòlliciti, memores Chriſtum Lucæ 9. acriter reprehendiſſe diſcipulos, quod igne cœleſti impetrato, Samaritanorum provinciam conflagrare vellent. *Neſcitis*, inquit, *cujus ſpiritus eſtis: filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare.* Cæterùm Samaritani erant Judæis hæretici, ut notum eſt. Accedit præterea, ut ait S. Gregorius Nazianzenus oratione ad Arrianos versùs finem: quòd multi ex his qui nunc in luporum numero ſunt, tandem inter oves recenſebuntur; ac fortaſſè etiam inter paſtores, vel ut Auguſtinus docet, ſæpè frumentum capi poſſe pro Zizaniâ. Itaque vocandi & expectandi ſunt ad pœnitentiam, non ad lanienam aut carnificinam. Et hinc claret bonos illos & Sanctiſſimos Eccleſiæ primitivæ Patres longè alienos fuiſſe ab hodiernis dogmatibus de hæreticis interimendis & abdicandis, atque occidendis Regibus prætextu tyrannidis, aut neglectæ Religionis Catholicæ. Quæ dogmata poſtquam charitas refrixit inter Chriſtianos, inventa ſunt ab hominibus in vanitate ſenſus ſui ambulantibus, & non conſiderantibus ſe ſpiritualiter, non temporaliter examinari, ut ſuperiùs ex Apoſtolo dictum eſt. Secundò Sulpicius vivam & ſpirantem ſæculi noſtri imaginem ſic accuratiſſimè depingit: ſcilicet poſtquam Itachius ejusque Aſſeclæ relicta poteſtate miniſteriali ſpirituali Eccleſiæ credita, ſeſe negotiis ſæcularibus & ſævis immiſcuerunt, magnum & perpetuum inter Orthodoxos diſcordiarum bellum exarſiſſe, adeò ut omnia miſceri cernerentur. Cuncta per Itachianos odio, aut gratia, metu, inconſtantia, invidia, fa-

„ ctione, libidine, avaritia, arrogantia, ſomno, deſidia depravata
„ eſſent. plures adversùm paucos benè conſulentes, inſanis conſi-
„ liis, & pertinacibus ſtudiis certarent. Inter hæc plebs Dei, &
„ optimus quiſque probro & ludibrio haberetur. Itachium nihil
„ penſi, nihil ſancti habuiſſe, audacem fuiſſe, loquacem, impuden-
„ tem, ſumptuoſum, ventri, gulæ plurimùm impertientem, & ſtu-
„ dio vincendi pluſquàm oportuit, ſtudioſum. Hæc Sulpitius clarè
„ indicans quanti referat Eccleſiaſticorum facilem atque æquabilem
„ curſum naturæ poteſtatis miniſterialis tenere. Verùm illa ipſa vitia
„ quæ tanquam ab manſuetudine & perfectione Legis Euangelicæ
„ alieniſſima carpit, pro ſummis hodie virtutibus, præſertim luxus,
„ nimiumque curandæ cutis, & vincendi ſtudium coluntur; quod in
„ cauſa eſt omnium ſchiſmatum; nec ab alio fonte quàm à falſis & ſe-
„ ditioſis dogmatibus de poteſtate Eccleſiæ in rebus temporalibus
„ manat; quæ quidem dogmata eò tendunt, ut jam Prælati non cla-
„ vibus Petri, ſed clava Herculis Chriſtianos homines in officio con-
„ tineant, quaſi ſpiritualia poſita eſſent in neceſſitate & coactione,
„ non in voluntate & dilectione, ut loquitur Origenes.

Tertiò cùm obſervo Sanctum Martinum Itachii communionem velut peſtilentem & Legi Euangelicæ adverſam ideo refugere, quod nimio vincendi ſtudio contra hæreticos certaret, auctorque fuiſſet Imperatori, ut Priſcillianiſtas perderet, magna quidem me ſubit admiratio propter diſcrimina dogmatum hodiernorum & Patrum Eccleſiæ primitivæ. Si enim fide Catholicâ tenendum eſt hæreticos debere plecti capitali pœna, ut Auctores Directorii Inquiſitorum perſuadent, Summuſque Pontifex, ut abſolutus Eccleſiæ Monarcha de hac pœna ſtatuere debet, ut eodem directorio confirmatur; certè Ithacius cum aſſeclis, potiùs Damaſii aut Siricii Papæ, quàm maximi Imperatoris, auctoritatem adversùs S. Martinum implorare, & dare operam debuit, ut S. Martinus tanquam fautor hæreticorum damnaretur. Procul dubio ſi Ithacius & alii ſuæ factionis tenuiſſent Papam divinitùs conſtitutum eſſe Monarcham Eccleſiæ, & Eccleſiam poſſe capitales pœnas hæreticis irrogare, ut Bellarminus docet, uno verbo S. Martinum compeſcere poterant, oppoſitâ Romani Epiſcopi auctoritate: Idque cùm factum non ſit, certiſſimo eſt argumento dogmata Jeſuitarum, & Directorii Inquiſitorum primitivæ Eccleſiæ Patribus fuiſſe incognita, continuòque non pertinere ad fidem Catholicam, neque juris eſſe divini, ſed planè humani.

Quartò

Digitized by Google

Quartò diſcimus quam ſit periculoſum cum viris nequam conſueſcere, præſertim cum Prælatis, qui lumen & ſal mundi eſſe debent. Etſi enim vir ſanctiſſimus, & cum ipſis Apoſtolis conferendus, ut ait Sulpicius, neceſſitate, non ſpiritu, puncto quodam temporis ſeſe communioni Ithacii miſcuerit; attamen inde virtutem miracula patrandi ſibi divinitùs datam detrimentum accepiſſe ſenſit. At verò Angeli colloquium cum B. Martino, ſicut nimium vincendi ſtudium damnat in Epiſcopis; ita manſuetudinem S. Martini tanquam legi gratiæ, & poteſtati miniſteriali conformem, atque Eccleſiam ſuaſivè tantùm & directivè, non coactivè de mediis ad beatitudinem neceſſariis judicare demonſtrat. *Meritò*, inquit Angelus, *compungeris, Martine, ſed aliter exire nequiſti: repara virtutem, reſume conſtantiam, ne jam non periculum gloriæ, ſed ſalutis incurreris.*

Cæterùm Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ubi de Idacio ſive Ithacio claro mentionem celebrat, eum hac de cauſa reprehenſum & punitum ab Epiſcopis narrat, quod Priſcillianum apud ſæculares Judices accuſaverit, & occidi curaverit. Propria ſunt verba quæ genuinâ Bellarmini confeſſione demonſtrant nequaquàm licitum eſſe Eccleſiaſticos ſeſe immiſcere ſævis. Quod ſi minimè licuit Ithacio accuſare & curare ut Priſcillianiſtæ à Magiſtratu politico punirentur; quantò minùs fas eſt Eccleſiaſticis capitalem ſententiam in hæreticos ferre, atque reges de hæreſi, aut fautoriâ hæreſis ſuſpectos damnare, ut fieri conſuetum eſt Romæ in officio Inquiſitionis. De qua re poſtea libro 4.

D. Ambroſius oratione de Baſilicis tradendis contra Auxentium Epiſcopum Arrianum, qui auctoritate Valentiniani Cæſaris munitus, vi armatâ Baſilicas, id eſt, templa Catholicorum occupare moliebatur, cùmque populus eſſet in procinctu, ut vim vi repelleret, Ambroſius obſtitit, docuitque neque Eccleſiam, neque Eccleſiaſticos alio quàm patientiæ telo & lachrymarum jure uti poſſe. Sic enim populum affatur: *Quid turbamini? volens numquam jus deſeram, coactus repugnare non novi: dolere potero, potero flere, potero gemere: adverſus arma, milites, Gothos quoque lachrymæ meæ arma ſunt. Talia enim munimenta ſunt Sacerdotis: aliter nec debeo, nec poſſum reſiſtere.* Profectò nullâ aliâ re Ambroſius animi ſui ſenſa, & poteſtatem miniſterialem Eccleſiæ apertiùs quàm his conceptis verbis deſignare potuit; volens numquam jus deſeram, coactus repugnare non novi; dolere potero, &c. Talia enim ſunt munimenta Sacerdotis; aliter nec debeo,

 beo,

Digitized by Google

beo, nec poſſum reſiſtere. Jus ergo Sacerdotum eſt, ut imminentibus malis, fletu, pœnitentiâ, & lachrymis, non vi armatâ reſiſtant, Hîc autem de jure congruenter ad cauſas eſſentiales poteſtatis Eccleſiaſticæ ſtatuit, videturque ad illud Joëlis 2. alludere: *Inter veſtibulum* & *altare plorabunt Sacerdotes miniſtri Domini, dicentes: Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hereditatem tuam in opprobrium, &c.*

Idem Ambroſius cap. 9. in Lucam ad hæc verba: Et miſit illos prædicare regnum Dei, &c. nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, &c. *Qualis debeat eſſe qui Euangeliſat regnum Dei, præceptis Euangelicis deſignatur, ut ſine pera, ſine virga, ſine calceamento, ſine pane, ſine pecunia, hoc eſt ſubſidii ſæcularis adminicula non requirens, fideque tutus putet ſibi quominùs ea requirat, magis poſſe ſuppetere. Quæ poſſunt qui volunt ad eum derivare tractatum ut ſpiritualem tantummodò locus iſte formare videatur affectum, qui velut indumentum quoddam corporis videatur exuiſſe, non ſolum poteſtate rejecta, contemptiſque divitiis, ſed etiam carnis ipſius illecebris abdicatis. Quibus primò omnium datur pacis atque conſtantiæ generale mandatum, ut pacem ferant, conſtantiam ſervent, hoſpitalis neceſſitudinis jura cuſtodiant, alienum à prædicatione regni cœleſtis adſtruens curſitare per domos, & inviolabilis jura hoſpitii mutare, &c.* Item cap. 10. in Lucam: *Non virgas in manu jubentur tollere Apoſtoli*, inquit, *ſic enim Matthæus ſcribendum putavit. Quid eſt virga, niſi proferendæ poteſtatis inſigne, & ulciſcendi inſtrumentum doloris? Ergo humilis Domini (in humilitate enim judicium ejus ſublatum eſt) humilis, inquam, Domini præceptum diſcipuli ejus humilitatis officiis exequuntur. Eos enim miſit ad ſeminandum fidem, qui non cogerent, ſed docerent, nec vim poteſtatis exercerent, ſed doctrinam humilitatis attollerent. Quo loco humilitati putavit etiam patientiam copulandam; quia ipſe quoque juxtà teſtimonium Petri; cum malediceretur, non maledixit; cum percuteretur, non repercuſſit. Hoc eſt ergò dicere: Imitatores mei eſtote: Ultionis ſtudia deponite: Inſolentiam verberantium non injuriæ relatione, ſed magnanimitate patientiæ ſupportate, &c. At alibi habes, quia cùm Apoſtoli ignem de cœlo petere vellent, ut conſumeret Samaritanos, qui Jeſum Dominum intrà civitatem ſuam recipere noluerunt: converſus increpavit illos, & ait: neſcitis cujus ſpiritus eſtis: filius hominis non venit animas hominum perdere, ſed ſalvare.* Similiter cap. 12. in Lucam: *Quis me conſtituit judicem aut diviſorem ſuper vos, &c. Benè terrena declinat, qui propter divina deſcenderat, nec judex eſſe dignatur litium & arbiter facultatum, vivorum habens mortuorumque judicium, arbitriumque*

Digitized by Google

que meritorum. Quem ad textum Lucæ Gloſſa citat locum Ambroſii: Et itâ relinquitur poteſtatem Eccleſiaſticam totam in criminibus, non in poſſeſſionibus verſari, ut S. Bernardus aſſerit. His adde ex eodem Ambroſio libro tertio de Spiritu ſancto cap. 19. *Per Spiritum ſanctum peccata donari: homines autem in remiſſionem peccatorum miniſterium ſuum exhibere, non jus alicujus poteſtatis exercere.* Quæ Gratianus in ſuum decretum conjecit. 33. de pœnitent. diſt. 1. can. verbum.

B. Hieronymus commentariis in caput 5. ad Epheſios accuratam abſolutæ & miniſterialis poteſtatis differentiam nobis deſcribit in hunc textum Apoſtoli: *Subjecti invicem in timore. Audiant hac Epiſcopi, audiant Presbyteri, audiat omnis Ordo Doctorum ſubjectis ſuis eſſe ſubjectos; & imitentur dicentem Apoſtolum: Cum enim eſſem liber, ex omnibus meipſum ſervum feci, ut omnes lucrifacerem.* Et in alio loco: *Per charitatem ſervite invicem; unde & ipſe eadem charitate omnibus gentium ſervivit Eccleſiis. Salvator quoque formam ſervi accepit, ut ſerviret diſcipulis ſuis, & pedes eorum lavit. Hoc intereſt inter gentium Principes & Chriſtianorum, quod illi dominantur ſubditis, nos ſervimus; & in eo majores ſumus, ſi omnium minimi fuerimus.*

Idem Epiſtola tertia ad Heliodorum circa medium de Regis & Epiſcopi diſcrimine: *Rex*, inquit, *nolentibus praeſt, Epiſcopus volentibus: ille terrore ſubjicit; hic ſervituti donatur. Ille corpora cuſtodit ad mortem; hic animas ſervat ad vitam.* In quam ſententiam S. Chryſoſtomus uberius excurrit. Nam homilia quarta de verbis Eſaiæ conformiter ad hoc edictum Eccleſiaſtici 4. *Presbytero humilia animam tuam, & Magnati humilia caput tuum:* Diſcrimen poſitum inter Regale & Sacerdotale officium evolvit: *Regi corpora commiſſa ſunt*, ait, *Sacerdoti, anima: Rex maculas corporum remittit; Sacerdos autem, maculas peccatorum: ille cogit; hic exhortatur: ille neceſſitate, hic conſilio: ille habet arma ſenſibilia, hic arma ſpiritualia: ille bellum gerit cum barbaris; mihi bellum eſt adversùs dæmones.* Et poſt pauca regis Oziæ facinus reprehendens, quòd contempto Sacerdote ingreſſus eſſet Sancta ſanctorum, ut incenſum adoleret. *Quid autem Deus? ubi Sacerdos contemptus eſt, dignitasque Sacerdotis conculcata? nec quicquam praterea potuit Sacerdos. Nam Sacerdotis eſt tantùm arguere, liberamque praſtare admonitionem, non movere arma, non clypeos uſurpare, non vibrare lanceam, non arcum tendere, neque jacula mittere, ſed tantùm arguere, ac liberam praſtare admonitionem.* Poſtquam igitur arguiſſet Sacer-

Digitized by Google

Sacerdos, Rex autem Oſias non ceſſiſſet, ſed arma moveret, clypeos & haſtas, ſuaque uteretur potentia, ibi Sacerdos Deo: *Ego*, inquit, *quod erat mei officii, præſtiti, nihil amplius poſſum; ſuccurre Sacerdotio quod conculcatur, leges violantur, fas ſubvertitur.* Huc uſque os aureum clarè docens Sacerdotes nullum jus habere coactionis nec per ſe nec per alios, quoniam animæ quas illuminare & captivare debent in obſequium Chriſti, cogi non poſſunt. Verùm quæ hic de Regiæ & Sacerdotalis dignitatis differentia narrat, cauſis eſſentialibus utriuſque poteſtatis omninò conformia ſunt. Hercle ſi Eccleſia jus haberet coactionis, ſecundùm placita Jeſuitarum ſequeretur Chriſtum inſtituiſſe legem gratiæ, ut politias everteret; contra quàm idem docet Chryſoſtomus ſuprà laudatus lib. 2. cap. 2. Idem libro 2. de Sacerdotio cap. 3. hoc teſtimonium Apoſtoli commentariis illuſtrans: *Non dominamur veſtræ fidei, ſed adjutores ſumus gaudii veſtri.* 2 Corinth. 1. *Neque enim homini licet tanta cum auctoritate homines curare*, inquit, *cum quanta oves Paſtor curat. Hìc enim liberum eſt vincire, & à pabulo arcere, urere & ſecare, cum illic medicinæ & curationis ſuſcipiendæ facultas poſita minimè ſit in illo qui medicinam adhibet, ſed in eo tantum qui laborat.* Et poſt pauca: *Chriſtianis minimè omnium licet peccantium lapſus vi corrigere. Exteri quidem judices cum facinoroſos homines leges transgreſſos fuiſſe deprehenderint, magna ſe præditos auctoritate & poteſtate oſtendunt, eoſdemque vel invitos ſuos ipſorum mores mutare cogunt. Hic verò non vim afferre, ſed ſuadere tantum oportet, atque hac ratione meliorem efficere quem emendandum ſuſceperis. Neque enim nobis facultas tanta à Legibus data ad delinquentes coërcendos; ac ne, ſi dediſſent, quidem haberemus ubi hujuſmodi potentiam exercere poſſemus, cùm Chriſtus eos æterna corona donet, non qui coacti, ſed qui certo animi propoſito à peccato abſtinent. Quamobrem multa quidem arte opus eſt, ut qui laborant Chriſtiani ultro ſibi ipſis perſuadeant Sacerdotum curationibus ſe ſubmittere oportere.*

Obſervas, Lector, Chryſoſtomum officium paſtorale terrenum cum Sacerdotali conferre, & quamquàm utrumque purè miniſteriale ſit, nec abſoluta poteſtate cogendi donatum, hoc tamen intercedere diſcrimen, quod Paſtores hominum ſola frequentatione actuum hierarchicorum, illuminando per doctrinam, &c. Paſtores autem ovium brutarum aliquando uti poſſint coactione, quoniam poteſtatem habent in corpora & vitam ovium aliquo in caſu; Sacerdotes autem nequaquam. Hinc fit ut Chryſoſtomus doceat Chriſtianorum

inge-

Digitized by Google

ingenia magna arte à Sacerdotibus tractanda eſſe, quæ ars divina non alia eſt quàm ipſa charitas patiens, benigna, quæ non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum; omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet: Idque Curiæ Romanæ Principibus conſiderandum relinquo, quando ſuo faſtu atque dominatu mundano omnem ab Eccleſia charitatis ſenſum exterminarunt, quæ ſua ſunt, non quæ Chriſti quærendo.

Idem Commentariis in caput 10. poſterioris ad Corinthios ad hæc verba: Non ſecundùm carnem ambulamus; arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia; non ſecundùm carnem militamus: hoc eſt bellum quidem & dimicationem ſuſcepimus, at carnalibus armis minimè decertamus, nec humanis auxiliis nos tuemur: arma enim noſtra non ſunt carnalia: quænam enim arma carnalia ſunt? Opes, gloria, principatus, facundia, vis dicendi, concurſationes, aſſentationes, aliaque ejuſmodi. At noſtra arma haud quaquam talia ſunt. Qualia ergo? Potentia Deo, &c. Non nos ea talia condidimus, ſed Deus ipſe. Quoniam enim ipſi flagris cædebantur & exagitabantur, atque innumeris & atrociſſimis incommodis premebantur, quæ quidem imbecillitatis argumentum erant. Idcircò potentiam oſtendens, ait, ſed Deo potentia ſunt ad deſtructionem munitionum conſilia deſtruentes, &c. Per figuratum loquendi genus Emphaſim indicat: per id autem quod ſubjunxit, ſpirituale hoc bellum eſſe declarans: munitiones enim iſtæ non corpora, ſed animos obſident, &c. Non enim verbis pugnamus, ſed rebus adversùs verba, non in carnali ſapientia, ſed in ſpiritu manſuetudinis ac patientiæ, &c. Hîc ergo Chryſoſtomus nobis demonſtrat Dei atque Euangelii Panopliam longè differentem eſſe ab armatura mundanæ ſapientiæ & poteſtatum ſæculi, quæ armantur opibus, gloria, principatu, facundia, vi dicendi, concurſationibus, aſſentationibus, ſimulationibus, & aliis ejuſmodi notiſſimis Jeſu ſodalibus, quorum ſpes omnis ſita eſſe videtur in mundanæ ſapientiæ conſiliis & fabricis texendis, quod notius eſt quàm ut probatione indigeat. Nemo enim id neſcit, niſi qui non novit Jeſuitas, his artibus ſibi dominatum in omnes Chriſtianos comparare.

Sed redeo ad Chryſoſtomum homilia 1. in Epiſtolam ad Titum: *Omittam dicere*, ait, *poſſibile non eſſe hujuſmodi dici veraciter Principem*, de Epiſcopo loquitur, *quia in poteſtate ſubjectorum poſitum eſt obedire*

dire vel non. At ſi quis rei veritatem diligenter exploret, non ad principatum promovetur Epiſcopus, verùm potius ad ſerviendum innumeris Dominis, qui contraria cupiunt ſemper & dicunt. Item homilia 2. *Nam is qui exteriore ac mundanâ poteſtate ſubnixus eſt, quoniam lege imperat, ac neceſſariò illi obtemperatur, meritò ſæpius contra ſubjectorum voluntatem & ſententiam dominatur. Porrò is qui volentibus atque hortantibus & gratias agentibus præeſſe vult, ſi ea lege præſumit, ut conſilio proprio tantùm omnia faciat, quaſi nemini rationem redditurus, tyrannicè potius quàm populariter hujuſmodi exercet officium.* Qui locus explicatè docet quantùm interſit lege & canone, id eſt more principum aut poteſtatum ſæculi, & Epiſcoporum imperare; quoniam hi liberis tantùm & volentibus præſunt; illi verò abſolutè imperant & cogunt homines, ut imperata faciant. Ampliùs hinc inimus gubernationem aut regimen Eccleſiaſticum non dici poteſtatem aut principatum, neque Epiſcopos vocari poſſe principes, quoniam nulla jurisdictione coactiva in ſubditos præditi ſunt; neque etiam quidpiam proprio motu, ſed communi Eccleſiæ conſilio gerere debent, ut fit in populari Republica: Et hoc niſi Epiſcopi præſtent, ſimiles ſunt tyrannicè dominantibus. Porrò hæc Chryſoſtomi & Patrum ſuperiorum documenta iis planè concordant, quæ à Scholæ Pariſienſis Doctoribus, nimirum Joanne Pariſienſi, Alliaceno, Gerſonio, Almaino, & aliis quos infrà exhibebimus, perhibentur: nimirum Eccleſiam de mediis & adjumentis ad vitam æternam neceſſariis, directivè tantùm, innuitivè, ſuaſivè & doctrinaliter, non verò imperioſè, coactivè aut coërcitivè per vim externam & irrogationem pœnarum temporalium judicare. Quò etiam ſpectat & hic alius textus ejuſdem Chryſoſtomi cap. 20. operis imperfecti, ubi petitionem matris filiorum Zebedei explicat homiliâ 35. *Principes mundi ideo fiunt, ut dominentur minoribus ſuis, ut ſervificent eos, & ſpolient eos, & comedant, & uſque ad mortem abutantur vitâ eorum ad ſuas utilitates & glorias. Principes autem Eccleſiæ fiunt ut ſerviant minoribus ſuis, & miniſtrent eis quæcumque acceperunt à Chriſto: ut ſuas utilitates negligant & illorum procurent: ut, ſi opus fuerit, neque mori recuſent pro ſalute inferiorum ſuorum, ſicut Apoſtolus dicit. Ego autem impendar & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris. Si hæc ergo ita ſe habent; ſæcularem quidem primatum deſiderare & ſi ratio eſt vel cauſa eſt; Primatum tamen Eccleſiaſticum concupiſcere neque ratio eſt neque cauſa, quia neque juſtum eſt, neque utile. Quis enim ſapiens ultrò ſe ſubjicere feſtinat ſervituti, labori, dolori, & quod majus eſt,*

peri-

Digitized by Google

periculo tali, ut det rationem pro omni Eccleſia apud juſtum judicem, niſi fortè qui nec credit judicium Dei, nec timet, uti abutens primatu ſuo Eccleſiaſtico convertat eum in ſæcularem. Deinde aliquantò infrà: *Quod autem in hoc ſæculo differentia dignitatis facta eſt inter Sanctos: dignitatis dico, non ſanctitatis, ut alter quidem ſit Apoſtolus: alter autem Epiſcopus, ut Miniſter, ut Laicus, contumacia carnis coëgit ut perverſitas mundi & occulta operatio inimici coërceatur: quoniam diabolus imperans carni & mund[illegible] in multam indiſciplinationem excitat homines quamdiu ſunt in carne & in mundo ſubdito ei, alios in laſciviam, alios in delicias, &c. Niſi ergo ſint quos timeant, ſolvitur diſciplina. Denique ipſi honores in Chriſto primâ quidem facie videntur honores, reverâ autem non ſunt honores diverſi, ſed ſunt diverſa miniſteria, ut putà honor oculi videtur, quia illuminat corpus, ſed ipſe honor illuminandi, non eſt ei honor, ſed miniſterium ejus. Et pedum humilitas eſſe videtur, quia bajulant corpus, ſed miniſterium eorum, &c. Sic eſt inter Sanctos: Uniuſcujuſque Sancti honor, non eſt honor ejus, ſed actus ipſius, ut putà Apoſtoli Apoſtolatus putatur à nobis honor eſſe ipſius Apoſtoli; verè autem non eſt honor ejus, ſed miniſterium ejus. Unde Paulus de Apoſtolatu ſuo dicebat: Nam ſi Euangeliſem, non eſt mihi gloria, neceſſitas enim mihi incumbit: Similiter & Diaconatus non eſt contemptibilitas ejus, ſed actus ipſius, propter quod nec Deus Apoſtolum amplius diligit quam Diaconum, quia Apoſtolus eſt, nec contrà, &c. unde ſicut libenter pes ſervit oculo, quaſi ſibi ſervienti, ſciens quia niſi oculus ſuo miniſterio uſus fuerit, nec ipſe ſuo poterit uti, & contrà. Sic & Sancti invicem debent eſſe ſubjecti, ut minor majori non invideat quaſi majori, ſed ei libenter obſequatur quaſi ſibi ſervienti in eo ipſo quod major eſt, &c.* Quæ collectio nos primùm docet poteſtates ſæculi ſubditis ſuis dominari; contra Prælatos iis ſervire quibus præſunt. Secundò dignitates vel honores Eccleſiaſticos, quamquàm primâ facie videantur honores, tamen reverâ eſſe miniſteria; ita ut quemadmodum omnia membra corporis ſibi mutuò ſerviunt, & nullum alteri deſpoticè imperat, aut abſolutè dominatur: Sic Prælati Eccleſiæ debent ſibi invicem famulari. Tertiò valdè dignum eſt obſervatione quod ait Chryſoſtomus, *Neminem Epiſcopatum appetere, niſi fortè qui non credit judicium Dei, nec timet, abutens primatu ſuo ad dominandum more Principum ſæculi, &c.* Quam Chryſoſtomi ſententiam Toſtatus infrà luculenter explicat.

Idem homiliâ 34. in caput 10. Matthæi exponens hæc verba: *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum, &c.* Docet his omnibus

 omnem

omnem ſollicitam curam ab ipſis eorum cordibus ejeciſſe, & ſignorum armaſſe miraculis, omnique ſæculari negotio & curâ liberos, *ferreos & quaſi adamantinos feciſſe.* Deinde aliquantò poſt: *Ut videant,* inquit, *novum quemdam atque inauditum bellandi modum imminere, ac mirabilem hanc aciem militum futuram, qui nudi, unâ induti tunicâ, ſine calceis atque virga, ſine cingulo, abſque proprio cibo in prælia deſcendebant. Non fecit hic dicendi finem, ſed inexpugnabilem virtutem ſuam oſtendens, quamvis adversùs lupos eſſent ituri; nec ſimpliciter adversùs lupos, ſed in medium luporum, omnem tamen manſuetudinem eos habere jubet: nec ovium tantùm manſuetudinem, ſed columbæ quoque ſimplicitatem. Sic enim virtus ejus maximè patere poteſt; ſi lupi ſuperabuntur ab ovibus, quæ cum in medio luporum ſint, & hinc atque illinc morſibus luporum lacerarentur, non modò non deficerent, ſed lupus in naturam ovium tranſmutaretur. Majus certè atque admirabilius eſt mentem atque animum adverſariorum commutare, quàm gladio ipſos ſuperare; præſertim cum duodecim numero ibi eſſent, qui adversùs cæteros omnes homines, qui lupos atrocitate vincebant, mitterentur. Erubeſcant igitur qui contra facientes quaſi lupi adverſarios ſuos perſequuntur, cùm videant innumeros lupos ab ovibus vinci pauciſſimis. Et certè quouſque ſumus oves, facilè hoſtes vincimus: cùm verò in naturam luporum tranſimus, tunc ſuperamur: tunc enim nullum nobis à Paſtore patrocinium adeſt, qui non lupos, ſed oves paſcit: atque ideò cùm in lupum te converteris, abit confeſtim & relinquit te, qui non permittis virtutem ipſius in te clareſcere. Quando enim injuriâ vexatus, æquo mitique animo cuncta pateris, ipſi ſoli trophæum attribuis. Si verò exieris adversùs hoſtes, atque pugnaveris, victoriam illius obfuſcas, &c.* Profectò nihil dici potuit quod poteſtatis miniſterialis ſpiritualis naturam, & paſtorum Eccleſiæ officium accuratiùs hac clauſulâ Chryſoſtomi exprimeret. *Et certè quouſque ſumus oves, facilè hoſtes vincimus, cùm verò in luporum naturam tranſimus, tunc ſuperamur, &c.* Vellemque adverſarios, qui præter ignem, ferrum, & bella contra hæreticos nihil aliud crepant & meditantur, abſque ullo fuco & fallaciis probarent *ſe in luporum naturam non tranſiiſſe, & eo ipſo victoriam Chriſti ſummi paſtoris animarum noſtrarum non obfucaſſe, quòd adverſus hoſtes pugnaverint, & tantum ſanguinis Chriſtiani effuderint.* Sæpè quidem dicendum & valdè dolendum eſt, ab eo die quo Romana Eccleſia ſibi poteſtatem in temporalibus aſſumpſit, Turcicum Imperium ſenſim adoleviſſe, atque hæreſes & ſchiſmata undequaque religionem Catholicam in maximas anguſtias conjeciſſe. *An*

non,

Digitized by Google

non, inquit Chryſoſtomus, *majus eſt mentem atque animum adverſariorum commutare, quàm gladio ipſos ſuperare? Illud enim Chriſtianum; hoc Turcicum & Antichriſtianum eſt.*

D. Auguſtinus tractatu 15. in Joannem cap. 12. *Non enim*, ait, *Rex Iſraël Chriſtus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, hoſteſque viſibiliter debellandos: Sed Rex Iſraël, quòd mentes regat, quòd in æternum conſulat, quòd in regnum Cœlorum credentes, ſperantes, amanteſque perducat.* Qui locus habetur in officio Romano, Sabbatho ante Dominicam Palmarum, & Gregorii VII. Motus ſtudiaque bellica clariſſimè damnat.

Idem Auguſtinus tractatu 115. de cap. 18. Joannis in hunc locum: *Regnum meum non eſt de hoc mundo: & Regnum meum non eſt hinc. Hoc eſt*, inquit, *quod bonus magiſter ſcire nos voluit. Sed prius nobis demonſtranda fuerat vana hominum de regno ejus opinio, ſive Gentium, ſive Judæorum, à quibus id Pilatus audierat: quaſi propterea morte fuiſſet plectendus, quod illicitum affectaverat regnum; vel quoniam ſolent regnaturis invidere regnantes. Et videlicet cavendum erat ne ejus regnum ſive Romanis, ſive Judæis eſſet adverſum.* Et paulò infrà: *Audite ergo Judæi & Gentes; Audi circumciſio, audi Præputium; Audite omnia regna terræ: non impedio dominationem veſtram in mundo; regnum meum non eſt de hoc mundo: nolite timere metu vaniſſimo, quo Herodes major, cùm Chriſtus natus nunciaretur, expavit, & tot infantes, ut ad eum mors perveniret, occidit, timendo magis quàm iraſcendo crudelior. Regnum*, inquit, *meum non eſt de hoc mundo. Venite credendo, & nolite ſævire metuendo.* Verùm ex his duobus Auguſtini teſtimoniis tria evidenter & neceſſariò colligimus, quæ præſentem controverſiam decidunt. Primum eſt poteſtatem legis Euangelicæ præſertim in eo conſiſtere; ut mentem regat & illuminet; nequaquam verò ut corporibus & temporalibus imperet ac dominetur externâ coactione aut irrogatione pœnarum temporalium: quandoquidem Chriſtus Rex Iſraël, quòd mentes regat, quòd in regnum Cœlorum credentes, ſperantes amanteſque perducat, non quòd tributa exigat, exercitum ferro armet, hoſtesque viſibiliter debellet, &c. Secundum notabile eſt Chriſtum dixiſſe: Regnum meum non eſt de hoc mundo, & non eſt hinc, ut oſtenderet cauſis eſſentialibus à regnis ſæculi diſcrepare, quæ quidem cùm corpora & temporalia habeant pro materia & ſubjecto, neceſſariò vi externâ meroque imperio utantur oportet, ad homines in officio continendos. Contrà autem Eccleſia cùm animis quas debet

Digitized by Google

convertere, præſit, nihil quidem habet jure divino ultra actus hierarchicos quod peragat, illuminando per doctrinam, purgando per pœnitentiam & cenſuras: Deinde perficiendo adminiſtratione reliquorum Sacramentorum, qua in re tota poteſtatis Eccleſiaſticæ ſufficientia vertitur: hacque ratione Dominus effecit, ne ejus regnum directè aut indirectè ſive Romanis ſive Judæis eſſet adverſum; & conſequenter calumniam ſibi objectam abunde depulit atque confutavit: quod nequaquàm feciſſet, ſi ratione alicujus poteſtatis indirectæ aliquam ſibi poteſtatem in rebus temporalibus reſervaſſet. Quia, ut aliàs dictum eſt, æquè intereſt Principum, feneſtrâ an portâ, apertè an clanculùm, directè vel indirectè de regio throno deturbentur: Imò magis præſtaret idipſum apertè atque directè fieri, quia Principes ſibi faciliùs conſulerent, & Aſſaſſinorum inſidias vitarent. Tertiò Auguſtinus pronuntiat regnum Chriſti non impedire dominationem Gentium vel Judæorum in mundo, quod valde notabile eſt contra novorum Theologorum doctrinam, quibus non modò animus eſt impedire (quod leviſſimum eſt, ideoque divinitus uſurpatum ab Auguſtino) verùm etiam exturbare atque exſcindere politicas poteſtates, dum fabulantur Romanum Pontificem pollere auctoritate Regum abdicandorum, imò etiam occidendorum. Hoc autem ſi cum doctrina Apoſtolica Auguſtini & cauſis eſſentialibus poteſtatis Eccleſiaſticæ quadrare voluerint, nihil cauſæ dico, quin ad eorum partes transfugiam. Audite Judæi, audite Gentes, audi circumciſio, audi præputium, audite omnia regna: Non impedio dominationem veſtram in hoc mundo: Regnum meum non eſt de hoc mundo, inquit Dominus. Procul dubio ſi Chriſtus dominium gladii materialis, imò & uſum Eccleſiæ conceſſiſſet, ut Bonifacio VIII. Bellarmino, & auctoribus Directorii perſuaſum eſt: inſurgeret non modò voluiſſe dominationem politicam impedire, ſed funditùs exauctorare, opponendo gladium gladio, & rempublicam ſcindendo in duas partes oppoſitas, cauſamque præbendo Eccleſiaſticis, ut quotieſcumque eis lubitum eſſet ſeditiones & bella ad exarmandos & perdendos Principes politicos ſibi parùm morigeros expedirent, ut Bonifacius VIII. erga Philippum Pulchrum facere tentavit. Cui doctrinæ Catholicæ lumen accedit meridianum è 31. concione ejuſdem Auguſtini in Pſalmum 118. ad hunc verſum. Principes perſequuti ſunt me gratis. *Quid*, inquit, *Chriſtiani læſerant regna terrena? numquid eorum Rex milites ſuos prohibuit impendere & exhibere quæ deben-*

debentur Regibus terræ? nonne de hoc ſibi calumniam molientibus Judæis, ait, Reddite Cæſari quæ Cæſaris ſunt, & Deo quæ Dei ſunt? nonne tributum de ore piſcis etiam ipſe perſolvit? nonne præcurſor ejus militibus regni hujus quid facere deberent pro æterna ſalute quærentibus non ait: Cingulum ſolvite, arma projicite, regem veſtrum deſerite, ut poſſitis Domino militare. Sed ait: Neminem concuſſeritis, nulli calumniam feceritis: ſufficiat vobis ſtipendium veſtrum? nonne unus militum ejus & dilectiſſimus comes ejus commilitonibus ſuis & quodammodò Chriſti provincialibus dixit: omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Et paulò pòſt ait: *Reddite omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem: nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis. Nonne præcepit ut pro ipſis etiam Regibus oret Eccleſia? Quid ergo eos Chriſtiani offenderunt? quod debitum non reddiderunt? In quo Chriſtiani non ſunt terrenis Regibus obſecuti? Ergo terreni Reges Chriſtianos gratis perſequuti ſunt.* Vera quidem prædicas, SS. Auguſtine, de Chriſtianis primorum, non ſequiorum & poſtremorum ſæculorum, & præſertim de Eccleſiaſticis ingratiſſimis, qui ipſomet gladio atque opibus terrenis quas à Regibus acceperunt, reges confoderunt atque oppreſſerunt, ut juſtiſſimè luget Otho Frinſigenſis, de quo libro quarto. Idem Epiſtola 48. ad Vincentium Rogatianum aliquantò poſt initium: *Aſpice etiam tempora N. Teſt., quo jam ipſa manſuetudo charitatis non ſolum in corde erat ſervanda, verùm etiam in luce monſtranda, quando Petri gladius in vagina revocatur à Chriſto, & oſtenditur non debuiſſe de vagina eximi nec pro Chriſto.* D. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. cap. 28. in Joannem, excidium mœniorum Jericho Joſ. 6. demonſtrat eſſe figuram Legis gratiæ. *Per Hierico etiam Sacerdotum manu circumducta, non machinis, nec arietibus, aut vincis; ſed tubarum clangore alta dejecit mœnia. Ipſe namque Chriſtus per ſanctos viros modò ubique circumductos, ſed armis aut machinis, ſed buccinarum clangore, ſed Euangelicâ Apoſtolicaque doctrina univerſas diaboli vires evertit, cùm omnium penè gentium conſenſus fide Dominum ſuum ſuſcipiat.* Idem lib. 2. cap. 35. docens cur Petrus reprehenſus ſit à Chriſto, dum gladium exemit, ut ſervum Pontificis feriret. *Docemur igitur*, ait, *ſi nolumus in ſimili certamine Deum offendere, quòd non ferrum accipiendum, non lapides projiciendi, non fuſtes in adverſarios Chriſti erigendi ſunt. Non enim carnalia ſunt arma noſtra, ut ait Paulus; ſed cum effugere pericula non poſſumus, manſuetè vel cruciantes alloquamur.* Gelaſius PP. diſtinct. 10. Can. Quoniam declarat Deum actibus propriis & di-

& dignitatibus diſtinctis officia poteſtatis utriuſque diſcreviſſe; *Propria volens medicinali humilitate hominum corda ſurſum efferri, non humana ſuperbia in inferna demergi. Ubi τὸ propria volens medicinali humilitate, &c.* demonſtrat vim poteſtatis miniſterialis ſpiritualis. Item can. Principes ſæculi 23. quæſt. 5. §. *Caterùm intra Eccleſiam poteſtates neceſſaria non eſſent, niſi quod non pravalet Sacerdos efficere per doctrina ſermonem, poteſtas hoc impleat per diſciplina terrorem, ipſamque diſciplinam, quam Eccleſia humilitas exercere non pravalet, cervicibus ſuperborum poteſtas principalis imponat.* Quo in canone duo præſertim obſervatu digna ſe offerunt. Primum quod ea quæ Sacerdos & Eccleſiæ humilitas non prævalet efficere per doctrinæ ſermonem, &c. nos docent poteſtatem Eccleſiaſticam vacuam eſſe omni poteſtate cogendi extrinſecè. Secundò τὸ poteſtas principalis cervicibus ſuperborum imponat, &c. Opponitur huic formulæ, ipſamque diſciplinam, quam Eccleſiæ humilitas exercere non prævalet, &c. Suprà docui ex Chryſoſtomo & aliis Patribus nomen poteſtatis & principatus, ſi propriè loquamur, ſoli convenire politicæ poteſtati, quæ prædita eſt poteſtate coërcitiva, eamque ob cauſam Apoſtolum politicam poteſtatem vocaſſe ſublimiorem, & omnia ſuperhabentem ad cogendum. Dixi etiam Juriſconſultos nomen Jurisdictionis ſoli poteſtati coërcitivæ attribuere; atque Tertullianum Imperatorem ſolo Deo minorem appellare, quoniam abſolutè poteſt cogere quod imperat. Verùm Lupus Abbas Ferrarienſis Epiſtola 51. congruenter ad Canonem Gelaſii, Quoniam. *Rectè monet neque ſacularem poteſtatem religionem minuere, nec poteſtatem ſacularem confundere religionem.*

S. Gregorius libro 2. indictione 2. Epiſtola 52. de Joanne presbytero & Monachis Iſauriæ cæſis: *Quid autem de Epiſcopis qui verberibus timeri volunt, canones dicant, benè veſtra fraternitas novit: Paſtores enim facti ſumus, non percuſſores. Et egregius pradicator dicit: argue, obſecra, increpa cum omni patientia & doctrina. Nova ergo & inaudita eſt iſta pradicatio, qua verberibus exigit fidem.* In hac autem epiſtola Joannem Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum reprehendit, quòd paſſus ſit presbyterum & Monachos Iſauriæ cædi, vel ipſe cædi juſſerit. Vide totam diſtinctionem 45. de Clericis percuſſoribus.

Idem libro 4. Epiſtola 3. Epiſcopum Carthaginenſem zelotem acriter reprehendit, quòd pro inveſtigandis hæreticis, eos qui negligerent illos deferre, ſtatuiſſet in Synodo ſubſtantiarum, dignitatumque privatione plectendos; quod erat fines poteſtàtis miniſterialis Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiæ longè prætergredi. Unde Gregorius illum ſic corripit: *Quamquam ergo hæc ita ſe habeant, & deſideremus omnes hæreticos à Catholicis Sacerdotibus vigore ſemper rationeque compeſci: tamen ſubtiliter intuentes omnino nos tetigit, ne per ea quæ apud vos geſta ſunt, aliorum Conciliorum Primatibus, quod avertat Dominus, generetur ſcandalum. Sententia namque à vobis prolata eſt in concluſione geſtorum, in qua dum pro inveſtigandis illis hæreticis admonetis, ſubintuliſtis eos qui negligunt, ſubſtantiarum dignitatumque privatione plectendos. Optimum eſt igitur, frater chariſſime, ut in his quæ foris corrigenda ſunt, prius charitas interna ſervetur, & ſimus mente ſubjecti. Quod maximè proprium veſtræ gravitatis judicamus etiam perſonis dignitate minoribus. Tunc enim totis coadunatis viribus, hæreticorum commodius obviatis erroribus, cùm ſecundùm morem Sacerdotii veſtri ſtudueritis Eccleſiaſticam cuſtodire concordiam.* Hac Epiſtola S. Gregorius Carthaginenſem Epiſcopum duabus potiſſimum de cauſis reprehendit. Primò quod hoc novo ſtatuto aliorum Conciliorum Primatus, id eſt, quæ à Carthaginenſibus atque aliarum Eccleſiarum Primatibus erant condita, oppugnaret: quoniam antea numquam auditum eſſet Eccleſiam pœnas temporales inflixiſſe. Secundò quod charitatem violet, injiciendo falcem in meſſem alienam, illumque præterea tanquam typho ſuperbiæ laborantem, id eſt, minùs mente ſubjectum & humilem notat. Quare monet ut ſecundùm fines & cancellos Sacerdotii ſtudeat Eccleſiaſticam cuſtodire concordiam.

Item libro 7. Indictione 1. Epiſtola 1. conjecta in corpus decreti 23. quæſt. 8. can. ſi in morte Longobardorum. *De qua re*, inquit, *unum eſt quod breviter ſuggeras ſereniſſimis Dominis veſtris Quod ſi ego ſervus eorum in morte Longobardorum me miſcere voluiſſem, hodiè Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in ſumma confuſione eſſet diviſa. Sed quia Deum timeo, in mortem cujuſlibet hominis me miſcere formido.* Quod Sancti Gregorii reſponſum apprimè convenit cauſis eſſentialibus poteſtatis Eccleſiaſticæ: minimè verò quæ ambitioſè proferuntur ex Epiſtola ejuſdem Gregorii Magni ſuper privilegio Xenodochii urbis Auguſtodunenſis, & Cœnobii S. Medardi Sueſſionenſis. Verùm quando Gregorius VII. ut ex ejuſdem liquet Epiſtola imitator S. Gregorii haberi voluit, debuerat potius illum Patrem ſanctiſſimum & humillimum imitari in reſponſione facta ſuper gente Longobardorum, quæ legi divinæ congruit, quàm in evulgatione privilegii memorati, de quo infrà pluribus.

Digitized by Google

Beda venerabilis commentariis in caput 10. Matthæi. Per virgam quam Dominus Apoſtolis ferre prohibet, carnis atque mundi præſidium interpretatur. Et in cap. 18. Joannis ad hæc verba: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, interpretationem B. Auguſtini verbum de verbo ſequitur, quam perinde nihil opus eſt iterare, cùm ſuperiùs integra habeatur.

Gregorius II. PP. Epiſtolâ 2. ad Leonem Iſaurum Iconomachum, quæ legitur tomo 3. Conciliorum Romanorum & Binii, atque etiam apud Baronium tomo nono Annalium. *Ecce*, inquit, *tibi palatii & Eccleſiarum ſcribo diſcrimen Imperatorum & Pontificum. Agnoſce illud & ſalvare, nec contentioſus eſto. Nam quemadmodum Pontifex introſpiciendi in palatium poteſtatem non habet, ac dignitates regias deferendi; ſic neque Imperator in Eccleſias introſpiciendi, & electiones in Clero peragendi, neque conſecrandi, vel Symbola Sacramentorum adminiſtrandi, ſed neque participandi abſque opera Sacerdotis: ſed unuſquiſque noſtrûm in qua vocatione vocatus eſt à Deo, in ea permaneat. Vides, Imperator, Pontificum & Imperatorum diſcrimen. Si quiſpiam te offenderit, domum ejus publicas & ſpolias, ſolam illi vitam relinquens; tandemque illum etiam vel ſuſpendio necas, vel capite truncas, vel relegas, eumque longè à liberis & ab omnibus cognatis & amicis ſuis amandans. Pontifices non ita; ſed ubi peccaverit quis & confeſſus fuerit, ſuſpendii vel amputationis capitis loco, Euangelium & crucem ejus cervicibus circumponunt, eumque tanquam in carcerem, in ſecretaria, ſacrorumque vaſorum æraria conjiciunt, in Eccleſiæ diaconia & in Cathecumena ablegant, ac viſceribus eorum jejunium, oculis vigilias, & laudationem ori ejus indicunt: cùmque probè caſtigarint, probèque fame afflixerint, tum pretioſum illi Domini corpus impartiunt, & ſancto illum ſanguine potant. Sic ad Dominum purum inſontemque tranſmittunt. Vides, Imperator, Eccleſiarum, Imperiorumque diſcrimen.* Quibus in verbis ſex eminent notabilia. Primò poteſtatis Eccleſiaſticæ & politicæ diſcrimen ſecundùm cauſas & principia ſuperiùs explicata. Nimirum quòd Eccleſia præſit animis, & proinde tota ſpiritualis ſit: hæc temporalibus & corporibus, ideòque gladio materiali armetur ad abſolutè cogendum quod imperat. Secundò demonſtrat Pontificem minimè donatum poteſtate introſpiciendi in palatium, atque dignitates regias deferendi. Ergo nec etiam auferendi, quia contrariorum eadem eſt ratio. Ex quo datur intelligi merum eſſe commentum quod dicitur Gregorium II. Leonem Iſaurum abdicaſſe, abſolvendo Italiæ populos à

ſol-

ſolvendis Imperatori tributis, & ſacramento fidelitatis. Credo quidem illum id potuiſſe ſuadere, vel etiam de facto ſuaſiſſe Italis, ut jugum excuterent: at jure aliquo potuiſſe Leonem abdicare aut de facto abdicaſſe pernego. De qua re infrà pluribus. Tertiò, quòd ait Imperatorem non habere poteſtatem introſpiciendi in Eccleſiam, &c. Verum eſt ut ſe regularibus vel etiam ſpiritualibus rebus tractandis aut conſtituendis immiſceat: falſum autem, ſi negare velit illum auctoritate pollere cogendi Eccleſiaſticos ad Canonum obſervationem. Quam verò poteſtatem Magiſtratus politicus habeat in ſacras electiones, dicetur infrà lib. 4. Quartò notandum apprimè Imperatorem per vim externam abſolutè cogere etiam eos qui crimina non confeſſi ſunt. Contrà, Eccleſiam ubi aliquis peccaverit & confeſſus fuerit, ſolam injungere pœnitentiam, &c. Ideò enim prævia & ſpontanea eſſe debet criminis confeſſio, quia non dominatur fidei, ſed adjutrix eſt gaudii Chriſtianorum. Quintò iſthinc liquet ante Caroli Magni donationem, Eccleſiam Romanam nullos habuiſſe carceres, quando Gregorius narrat peccatores crimen ſuum confeſſos, conjici ſolitos in ſecretaria, vaſorumque ſacrorum æraria velut in carcerem. Sextò patet ſæculo Gregorii II. uſum Calicis adhuc permiſſum fuiſſe populo; ſiquidem poſt pœnitentiam exactam peccatores ſolitos paſci pretioſo corpore Domini, & potari ſacro ſanguine memorat.

In Synodo octava generali, actione 6. ſub finem: Duo vicarii ſedium orientalium Antiochiæ & Hieroſolymorum clarè demonſtrant poteſtatem Eccleſiaſticam nullam vim habere cogendi. *Et nos quidem*, inquiunt, *ſi irrationabilia animantia paſceremus, fortaſſe coactè ac violenter tractaremus ea, ducentes etiam quò nollent: quoniam verò rationabile animal eſt homo, potius admonitione ducendum.* Quæ oratio ſententiæ Chryſoſtomi ſuprà explicatæ conformis eſt.

Hic & ego teſtimonium Hincmari Archiepiſcopi Rhemenſis impendo jam ſuprà lib. 1. cap. 3. laudatum ex Epiſtola ad Adrianum II. Papam; eò ſe lector conferat.

Nicolaus I. PP. Epiſtolâ 27. *militum Chriſti eſt Chriſto ſervire: militum verò ſæculi, ſæculo, ſicut ſcriptum eſt: Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus. Quod ſi ſæculi milites ſæculari militiæ ſtudent; quid ad Epiſcopos & milites Chriſti, niſi ut vacent orationi?*

Idem Nicolaus I. PP. Albino Archiepiſcopo 33. quæſt. 2. can. Inter hæc. *Sancta Dei Eccleſia mundanis numquam conſtringitur legibus;*

Digitized by Google

gladium non habet niſi ſpiritualem, qui non occidit, ſed vivificat. Joannes VIII. can. porrò 16. quæſt. 3. aſſerit: *Eccleſiam corporalia neſcire arma, ſolumque Dominum & propugnatorem ſuum, quando ei placuerit miſereri, patienter expectare.* Quæ teſtimonia poteſtati miniſteriali ſpirituali Eccleſiæ planè conformia ſunt, demonſtrantque hos Pontifices tenuiſſe Eccleſiam nulla poteſtate cogendi extrinſecè præditam.

Oecumenius in cap. 1. poſterioris Epiſtolæ ad Corinthios ad hæc verba: Non dominamur veſtræ fidei, *hoc eſt*, inquit, *ob fidem non dominamur vobis: ſive non propterea facti eſtis fideles, ut ſubjiceremini ac puniremini à nobis. Nam ſi etiam id fuiſſet, ipſi fide ſtetiſſetis; nec opus eſt parcere aut punire causâ fidei.* Et aliquantò inferiùs: *Quoniam arrogantia videbatur eſſe quod dixerat parcens vobis: Illis enim parcit quiſpiam ſuper quos auctoritatem habet: curat hoc & ait: Non quòd poteſtatem habeam in fidem veſtram: dixi parcens vobis; fidês ſiquidem mentis eſt ac electionis; nec quiſquam nolentem cogit ad credendum.* Senſus eſt voluntatem à ſolo principio interno efficaciter moveri, ut aliàs diximus.

Idem ibidem ſuper cap. 10. in hæc verba: arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia; eadem planè habet cum Chryſoſtomo ſuprà laudato.

Theophylactus congruenter ad cauſas eſſentiales utriuſque poteſtatis appoſitè docet cap. 22. in Matthæum. *In corporalibus & in externis obediendum eſſe regi; in internis autem & ſpiritualibus ſoli Deo.*

Habes, Lector, continuationem traditionis Eccleſiæ ſuper doctrina Euangelica de poteſtate miniſteriali ſpirituali Eccleſiæ ab Apoſtolorum temporibus ad nonum uſque ſæculum, aut circiter: quæ doctrina quamquam conturbari atque interrumpi cœperit Gregorii VII. ſæculo, nihilominùs ipſo vivente non defuerunt viri ſanctiſſimi & doctiſſimi, qui illius conatibus acriter repugnarent, atque doctrinam orthodoxam aſſererent: quorum Princeps Petrus Damianus S. R. E. Cardinalis extitit. Quo enim tempore Romani Pontifices ſeſe negotiis ſæcularibus immergebant, atque etiam bellicas expeditiones inſtruebant, Damianus luculentiſſimam ſcripſit Epiſtolam ad Oldericum Firmanum Epiſcopum, in cujus ſinum uberes fletus effundit propter ſtatus Eccleſiæ conturbationem; demonſtratque neque Imperatores debere, quæ ſunt Sacerdotum attingere; neque viciſſim Sacerdotes, quæ ſunt Imperatorum. Porrò hanc Epiſtolam leges libro 4. Epiſtolarum Damiani Epiſtolâ 9. & apud Baronium

tom.

Digitized by Google

tom. 2. Annalium ad annum Chriſti 1053. cujus Epiſtolæ particulam exſcribere juvat: *Sicut ergo ipſe Dei Filius cuncta mundi furentis obſtacula non per diſtricti examinis ultionem, ſed per invictam ſuperavit inconcuſſæ patientiæ majeſtatem: ita docet mundi rabiem potiùs æquanimiter ferre, quàm vel arma corripere, vel lædenti læſionibus reſpondere, præſertim cùm inter regnum & Sacerdotium propria cujuſque diſtinguantur officia: ut Rex armis utatur ſæculi, & Sacerdos accingatur gladio ſpirituali, qui eſt verbum Dei. De ſæculi nempe principe Paulus dicit: Non ſine cauſa gladium portat; Dei enim Miniſter eſt vindex in iram ei qui malum agit. Ozias Rex, qui Sacerdotale uſurpat officium, leprâ perfunditur: Et ſi Sacerdos arma arripit (quod utique Laicorum eſt) quis miretur? Nam & David idcircò ante Euangelium Euangelicè vixiſſe dicitur, quia non modò Semei & Saül, ſed & plurimis indulſiſſe hoſtibus ſuis invenitur, &c. Si ergo pro fide quâ univerſalis vivit Eccleſia, arma ferrea capere privato non licet: nuſquam ferrea corripere arma conceditur: quomodo pro terrenis & tranſitoriis Eccleſiæ facultatibus loricatæ acies in gladiis debacchantur? Porrò ſancti viri cùm prævalent, hæreticos idolorumque cultores nequaquam perimunt; ſed potiùs ab eis pro fide Catholica perimi non refugiunt. Quomodo ergo pro rerum vilium detrimento fidelis fidelem gladio petat, quem ſecum utique redemptum Chriſti ſanguine non ignorat? &c. Ad hæc ſi quis objiciat Leonem bellicis uſibus ſe frequenter implicuiſſe Pontificem: nihilominùs verum eſſe dico, quod ſentio. Quoniam nec Petrus ob hoc Apoſtolicum obtinet principatum, quia negavit: nec David idcircò prophetiæ meretur oraculum, quia thorum alieni viri invaſit, cùm bona vel mala non pro meritis conſiderentur habentium, ſed ex propriis debeant qualitatibus judicari: numquid hoc loquitur vel egiſſe, vel literis docuiſſe Gregorius, qui tot rapinas ac violentias Longobardorum feritate eſt perpeſſus. Num Ambroſius bellum Arrianis ſe ſuamque Eccleſiam crudeliter infeſtantibus intulit? Numquid in arma Sanctorum quiſpiam traditur inſurrexiſſe Pontificum? Cauſas igitur Eccleſiaſtici cujuſcumque negotii leges dirimant fori, vel Sacerdotalis edicta concilii, ut quod gerendum eſt in tribunalibus judicum, vel ex ſententia debet prodire Pontificum, in noſtrum vertatur opprobrium congreſſione bellorum.*

Huc uſque Damianus concorditer ad doctrinam Apoſtolicam ab Eccleſiæ Primitivæ Patribus ad nos tranſmiſſam. Verumtamen ſi Baronio fides, *hæc illius ſententia penitùs adverſatur dogmatibus Catholicis, quibus hæreſis errore notantur omnes, qui ab Eccleſia Romana Cathedrâ Petri è duobus gladiis alterum auferunt, nec niſi ſpiritualem concedunt,*

ipſo S. Bernardo dicente materialem gladium qui tuum negat, non ſatis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis: converte gladium tuum in vaginam, &c. Quæ Baronii opinio magis lugenda quam confutanda eſt. De duobus autem gladiis, & mente S. Bernardi paulò poſt videbimus. Quod ſi Damiani ſententia dogmatibus adverſatur Catholicis, eo ipſo quod ſtatuit Eccleſiam non habere materialem gladium, ut prætexit Baronius, quid fiet Apoſtolo affirmanti *ſe non dominari fidei Chriſtianorum, & arma Eccleſiæ non eſſe carnalia?* quippe quæ intellectum captivent in obſequium Chriſti. Quid etiam uſu eveniet Chriſto neganti regnum ſuum eſſe de hoc mundo? Quid tot Sanctiſſimis Patribus ſuprà enumeratis clarè docentibus Eccleſiam divinitus nullum habere jus cogendi extrinſecè? Procul dubio hoc unum Curiæ Romanæ Principibus, eorumque aſſeclis videtur propoſitum, ut regnum ſpirituale Chriſti in temporalem dominatum & principatum ſæcularem tranſmutent; ac ſi Eccleſia à Deo jus cogendi per merum imperium obtineret: cujus opinionis abſurditas hac Apoſtoli ſententiâ abundè confutatur: *Animalis homo non percipit ea quæ Dei ſunt: ſtultitia eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur.* 1 Corinth. 2. Cardinalis Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis fingit B. Damianum ideò Leonem IX. reprehendiſſe, quaſi illicitum duceret ſummo Pontifici armis defendere civitates, in quas dominium habet temporale, & de hac re monet Lectorem, ut tomum 11. Annalium Baronii videat. Sed de hac re non eſt impræſentiarum quæſtio: neque Damianus ambigit quin politico principi liceat ſuas Dynaſtias armis defendere; ſed negat id Pontifici, formaliter ut Pontifex eſt, jure divino licitum, aut etiam eidem tanquam Duci militari ſeſe bellis gerendis permiſſum eſſe. Nam ipſe Leo IX. bello intererat, cùm ejus exercitus à Nortmanis eſt profligatus. Itaque Damianus hîc carpit erroneam opinionem, quæ ſuo ſæculo invaleſcebat: ſcilicet Eccleſiam jus habere gladii materialis, & cogendi per pœnas temporales: cujus rei Baronium ipſum teſtem fero, quandoquidem ejus propria verba paulò ante exſcripſimus. Hercle Leo IX. ſuo exemplo cæteros ſucceſſores & præſertim Gregorium VII. ad ſtudium belli incendit; idque poſtea adulatoribus qui Papam infallibilem prædicant, cauſam attulit propugnandi cuncta Gregorii VII. acta veluti fidei Catholicæ dogmata; ne fortè Gregorius erroris inſimularetur, quòd ſeſe altiſſimè ſæcularibus negotiis, bellisque ferendis immerſiſſet.

B. Anſelmus Cantuarienſis in cap. 26. Matthæi ad hunc textum: con-

Digitized by Google

converte gladium tuum in vaginam,&c. *Nota*,inquit,*duos eſſe gladios in Eccleſia: alter materialis, alter ſpiritualis: ſed ſpiritualis non niſi volentes: materialis verò etiam cogit nolentes: plures enim gladio,quam ſtolâ Sacerdotali coguntur in Eccleſia. Sunt & miniſtri ſæculares, à quibus temporalia; & ſpirituales à quibus debent tractari ſpiritualia. Datur ergo materialis gladius carnalibus: ſpiritualis autem miniſtris ſpiritualibus. Sed ſicut non convenit Regibus, quod ad ſtolam pertinet: ſic nec Epiſcopus quæ Regis ſunt, exercere debet. Quod quia Petrus qui figuram ſpiritualium gerit,materialem gladium quodammodò exercuit, dum auriculam ſervi amputavit, à Domino increpari meruit, unde ſubdit: converte gladium tuum in locum ſuum.*

Hildebertus Cænomanenſis Epiſcopus in Epiſtolis quæ tomo 3. Bibliothecæ SS. Patrum habentur Epiſtolâ 40. duos in Cœna fuiſſe gladios hoc quoque legis & intelligis. *Unum quidem Petrus in Malchum vibravit, dum Malchus in Chriſtum manus extendit: alter verò eductus fuiſſe non legitur: aptè profectò inventus eſt uterque apud Diſcipulos Chriſti: membrum enim Chriſti, Rex: membrum Chriſti Sacerdos. Scienti loquor; noſti gladium Regis; noſti gladium Sacerdotis. Gladius Regis, cenſura curiæ: Gladius Sacerdotis, Eccleſiaſticæ rigor diſciplinæ.* Porrò hæc Anſelmi & Hildeberti Cœnomanenſis teſtimonia de duobus gladiis, planè iis quadrant quæ ſuprà ex Gelaſio Papa retulimus. *can. Quoniam; diſt.* 10. & *can. Principes ſæculi* 23. *quæſt.* 5.

Bernardus quem Adverſarii ſuis firmandis dogmatibus habent oſtentui, totum noſtrum eſſe, rebus convincam neceſſariis libro 2. de Conſideratione ad Eugenium cap. 5. ex Gerardi Voſſii recenſione, & Romana editione. *Et nos igitur ut multum ſentiamus de nobis, vel nobis impoſitum ſenſerimus miniſterium non dominium datum, &c. Si ſapis, eris contentus menſurâ, qua tibi menſus eſt Deus: quod amplius eſt, à malo eſt. Diſce exemplo prophetico præſidere non tam ad imperandum, quàm ad factitandum quod tempus requirit. Diſce ſarculo tibi opus eſſe, non ſceptro, ut opus facias Prophetæ: Et quidem ille non regnaturus aſcendit, ſed extirpaturus, &c. Blanditur Cathedra, ſpecula eſt. Inde denique ſuperintendis ſonans tibi Epiſcopi nomine non dominium, ſed officium, &c. Quod habuit, hoc dedit ſollicitudinem ſuper Eccleſias: numquid dominationem? Audis ipſum non dominantes, ait, in Clero, ſed forma facti gregis. Et ne dictum ſola humilitate putes, non etiam veritate; vox Domini eſt in Euangelio: Reges gentium dominantur eorum. Et infert: vos autem non ſic. Planum eſt: Apoſtolis interdicitur dominatus. I ergo & tu, & tibi uſurpare, aude aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus domina-*

mina-

minatum. Planè ab alterutro prohiberis: ſi utrumque ſimul habere voles, perdes utrumque: alioqui non te exceptum illorum numero putes, de quibus queritur Deus ſic: Ipſi regnaverunt & non ex me: Principes extiterunt, & ego non cognovi eos. Jam ſi regnare ſine Deo juvat, habes gloriam, ſed non apud Deum. At ſi interdictum tenemus, audiamus edictum: Qui major eſt veſtrûm, ait, fiat ſicut minor; & qui præceſſor eſt, ſicut qui miniſtrat. Forma Apoſtolica hæc eſt, dominatio interdicitur, indicitur miniſtratio, quæ & commendatur ipſius exemplo Legiſlatoris, qui adjungit: Ego autem in medio veſtrûm ſum, ſicut qui miniſtrat. Quis ſe jam titulo hoc inglorium putet, quo ſe prior Dominus gloria præſignivit? meritò Paulus gloriatur in eo dicens; miniſtri Chriſti ſunt & ego.

Cæterùm in hoc teſtimonio Bernardi ſex nobis animadverſione digna ſeſe exhibent. Primò quidem totam poteſtatem Eccleſiaſticam eſſe purè miniſterialem ſpiritualem, omni dominatione, hoc eſt abſoluta poteſtate imperandi vel cogendi orbatam. *Et nos igitur ut multum ſentiamus de nobis, vel nobis impoſitum ſenſerimus miniſterium, non dominium datum.* Secundò menſuram quam hîc commemorat preſsè ad normam cauſarum eſſentialium poteſtatis Eccleſiaſticæ, quas cap. 1. hujus libri enodavimus, capiendam eſſe; quique contrà faceret, Deo & naturæ repugnaret: *Nam quod ampliùs eſt, à malo eſt.* Tertiò oſtendit poteſtatem Eccleſiaſticam in charitate conſiſtere, id eſt, *non tam ad imperitandum, quàm ad factitandum quod tempus requirit.* Enimverò tota illius ſufficientia in obſervatione mandatorum Dei conſiſtit. Quare Prælati lumine morum atque exemplo benè vivendi prælucere debent: audi ipſum: *non dominantes in Clero, ſed formà facti gregis.* Quartò urget hæc ad verbum & rigorem eſſe capienda: juxtà cauſas eſſentiales poteſtatis Eccleſiaſticæ, inquàm: *Et ne dictum ſola humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini eſt in Euangelio. Reges Gentium dominantur eorum, &c.* Quintò demonſtrat dominium & miniſterium tanquam duo contraria inter ſeſe opponi; atque illud poteſtatibus ſæculi (quæ jus vitæ & necis habent in ſubditos & neceſſitate imperant) convenire ait: alterum verò Prælatis qui animis præſunt, ut eos lege Euangelica perfundant & captivent in obſequium Chriſti per actus hierarchicos, ut toties nec dum ſufficienter inculcavimus. Sextò deberent Curiæ Romanæ principes, eorumque adulatores ad hæc verba S. Bernardi expaveſcere: *Jam ſi regnare ſine Deo juvat, habes gloriam, ſed non apud Deum: Non te exceptum illorum numero putes, de quibus queritur Deus ſic: Ipſi regnaverunt,*

Digitized by Google

runt, & non ex me: Principes extiterunt, & ego non cognovi eos, &c. Nam ut ſuprà ex Chryſoſtomo, aliiſque patribus antiquis docui: poteſtas Eccleſiaſtica cùm poteſtate cogendi extrinſecè expers ſit, herclè ſi propriè loqui velimus, non principatum, ſed purum miniſterium conſtituit: neque excommunicatio, coactio, ſed tantummodo excluſio eſt à communione Eccleſiaſtica, ut probabitur.

At verò inſultant adverſarii S. Bernardum eodem in opere libro 4. cap. 4. docere gladii materialis dominium eſſe penes ſummum Pontificem, omneſque Principes Chriſtianos illum ad nutum Papæ teneri diſtringere & recondere. Contrà rependo Sanctiſſimum Abbatem nihil omninò in hac parte dominatui Curiæ Romanæ, ſed poteſtati miniſteriali ſpirituali Eccleſiæ patrocinari. Enim verò cùm opinioni *de abdicandis Regibus à Pontifice, quæ Gregorii VII. ſæculo increbuerat*, aut nollet, aut non auderet apertè obloqui, eam quidem ſibi per Schematiſmum obliquè debellandam propoſuit; ſicut omnes veritatis amantes facilè ex analyſi ejus contextus cognoſcent. *Dracones, inquis, me mones paſcere, & ſcorpiones, non oves: propter hoc, inquam, magis aggredere eos, ſed verbo, non ferro. Quid tu denuò uſurpare gladium tentes, quem ſemel juſſus es ponere in vaginam? quem tamen qui tuum negat, non ſatis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis ſic: converte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipſe: tuo forſitan nutu, & ſi non tua manu evaginandus. Alioquin ſi nullomodo ad te pertineret, & dicentibus Apoſtolis: Ecce gladii duo, hìc non reſpondiſſet Dominus, ſatis eſt. Uterque ergo Eccleſia & ſpiritualis ſcilicet gladius & materialis: Sed is quidem pro Eccleſia; ille verò & ab Eccleſia exercendus eſt: Ille Sacerdotis; is militis manu: Sed ſanè ad nutum Sacerdotis & juſſum Imperatoris, & de hoc aliàs.* En locus Bernardi integer, qui quidem primùm docet officium paſtorale in eo conſiſtere, ut verbo non ferro grex paſcatur. Quare acrem & aculeatam hanc præmittit reprehenſionem. *Quid tu denuò uſurpare gladium tentes, quem ſemel juſſus es ponere in vaginam?* quâ correptione dogmata Gregorii VII. jam paulò ante à Petro Damiano oppugnata convellit. Nihilominùs ne Curia Romana eam ob rem plus nimio offenderetur, illam reprehenſionem his aliis verbis confeſtim tegit atque emollit: *Quem tamen qui tuum negat, non ſatis mihi videtur attendere ad verbum Domini dicentis ſic: Converte gladium tuum in vaginam: tuus ergo & ipſe.* Porrò cum ibidem de gladio apto uſui menſæ, quem Petrus à Chriſto minimè habebat, ſed illi ad uſum piſcandi & edendi peculiaris erat, agatur ad literam, lubenter vel-

Digitized by Google

lem reſcire ab adverſariis per quam dialecticæ aut Theologiæ regulam ejuſmodi culter, quem, ut dixi, Chriſtus non dederat Petro, poſſit ad Eccleſiam pertinere, ita ut inde dogma Catholicum ſtatui debeat: ſcilicet dominium aut uſum gladii materialis, vel utrumque pertinere ad Eccleſiam & Romanum Pontificem; quando inter omnes convenit locos Scripturæ allegoricos & myſticos nihil omninò conferre ad conſtituendum dogma fidei, niſi alio loco literali, plano quidem & aperto corroborentur. Hunc ergo ſcrupulum velim adverſarii mihi abſque ullis cavillationibus eximant, doceantque quâ ratione cultri quos Chriſtus non donavit Apoſtolis, proprii ſint Eccleſiæ. Cæterùm ubi S. Bernardus affirmatè dixit: *Tuus ergo & ipſe*, continenter ſubnectit: *Tuo forſitan nutu, etſi non tuâ manu evaginandus.* Quæ verba nullo modo ſpectare poſſunt ad dogma, quoniam adverbiis dubitandi non ſolent dogmata conſtitui. Porrò cùm Bernardus ſe his verbis & placita & geſta Gregorii VII. figuratè concutere ſciret, ne Curiæ Romanæ quam ſuaviter volebat ad veritatem erudire, cauſam detrectandæ eruditionis apertè præberet, hanc aliam inſtruxit correctionem: *Alioquin ſi nullomodò ad te pertineret, & his dicentibus Apoſtolis: Ecce gladii duo, hic non reſpondiſſet Dominus, ſatis eſt, ſed nimis eſt: uterque ergo Eccleſiæ.* Quandoquidem vir Sanctiſſimus & prudentiſſimus hîc agit cum Eugenio & Curia Romana, ut conſuetum eſt cum Principibus & potentibus viris, quorum actiones tectè atque obliquè culpantur: quibus aliquid in ſpeciem etiam conceditur, ut ab injuſtitia avocentur. Neque putandum eſt hæc verba Chriſti: *τὸ ſatis eſt*, ad litteram, uſum, aut dominium gladii materialis concedere Eccleſiæ; vel etiam deſignare ſatis eſſe Apoſtolis, quod duos habeant gladios; cùm nihil aliud demonſtrent, quàm reſponſionem Apoſtolorum de duobus gladiis nullomodò quadrare menti & propoſito Chriſti tum allegoriâ utentis, quod non capiebant Apoſtoli unde hæc formula: *ſatis eſt*; idem planè ſonat ac ſi Chriſtus Apoſtolis præcepiſſet, ut ſermonem de duobus gladiis ſuperſederent: quomodo Gallicè diceremus: *C'eſt aſſez de cela: Ce n'eſt que trop de cela.* Hercle cùm S. Bernardus non auderet diſertè aſſerere gladium materialem ad Eccleſiam aut Pontificem ullomodò pertinere, quamdam rationem & ſenſum excogitavit ſpiritualem, quo doceret Eccleſiaſticos jus habere innuendi vel annuendi, id eſt docendi & ſuadendi, quando Principes politici gladio uti deberent ad gloriam & ſervitium Dei. Hæc ſunt ejus verba: *Uterque Eccleſiæ, & ſpiri-*

Digitized by Google

ſpiritualis ſcilicet gladius & materialis : ſed is quidem pro Eccleſia : ille verò & ab Eccleſia exercendus eſt : Ille Sacerdotis ; is militis manu , ſed ſanè ad nutum Sacerdotis, & juſſum Imperatoris. Quare ipſemet Epiſtola 256. ad Eugenium ſcribit ſe à Gallis delectum quaſi in ducem belli ſacri, ut Principes atque milites exhortaretur ad prælia Domini rectè gerenda : ſicque quonam ſenſu capiendum ſit Eccleſiam utrumque habere gladium declarat; hancque ipſam vocem uſurpat. *Exerendus eſt nunc uterque gladius.* Procul dubio hæc oratio Domini Lucæ 22. *Qui habet ſacculum tollat, ſimiliter & peram : & qui non habet, vendat tunicam ſuam & emat gladium. Dico enim vobis quoniam adhuc hoc quod ſcriptum eſt, oportet impleri in me : Et cum iniquis deputatus eſt : Etenim ea quæ ſunt de me, finem habent. At illi dixerunt : Domine : Ecce duo gladii hìc : at ille dixit eis : ſatis eſt, &c.* Hæc inquam oratio Domini tota eſt allegorica, nihilque aliud dogmaticè indicat, quàm graviſſimum tempus perſecutionum imminentium ob paſſionem Chriſti : Firmandum animum magnis exemplis & conſtantiâ adversùm tribulationes.

Bellarminus de Romano Pontifice cap. 5. *Reſpondeo ad litteram nullam fieri mentionem in eo loco Euangelii de gladio ſpirituali vel temporali Pontificis ; ſed ſolùm Dominum illis verbis admonere voluiſſe Diſcipulos tempore paſſionis ſuæ in his anguſtiis & metu futuros, in quibus eſſe ſolent qui tunicam vendunt, ut emant gladium, ut ex Theophylacto & aliis Patribus colligitur. Porrò S. Bernardus & Bonifacius Papa myſticè interpretati ſunt hunc locum.* Hæc ille : at ſi hæc myſtica eſt, ut eſt interpretatio, ſequitur nullomodò poſſe conducere ad figendum dogma Catholicum, ut jam dixi, & Bonifacium cum univerſa Natione Canoniſtarum tota errare via, dum iſthinc colligunt uſum aut dominium materialis gladii Eccleſiæ conceſſum. Fateor quidem Eccleſiam jus habere innuendi, docendi & exhortandi Reges atque Principes Chriſtianos ad bellum contra infideles aut hæreticos, & aliquo etiam in caſu poſſe in pervicaces cenſuris agere, ſervatâ moderatione legis Euangelicæ, de qua capite ſequenti. At quicquam aliud Pontificem aut Epiſcopos jure divino poſſe in Principes qui dicunt, perinde faciunt ac ſi contenderent pædagogum, qui diſciplinæ Scholaſticæ moderatur, pueros laſcivientes, ſibique parere recuſantes, vita aut bonis paternis exuere poſſe. Qua ſimilitudine utor lubentius, quoniam ab eodem D. Bernardo uſurpatur libro 3. de conſideratione cap. 1. *Numquid villa villico, & parvus Dominus ſub-*

 jectus

Digitized by Google

jectus eſt pædagogo? Nec tamen illa villæ, nec is ſui Domini Dominus eſt. Ita & tu præſis, ut provideas, ut conſulas, ut procures, ut ſerves: Præſis ut proſis: Præſis ut fidelis ſervus & prudens quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam. Ad quid? ut des illi eſcam in tempore, hoc eſt diſpenſes; non ut imperes: hoc fac & dominari ne affectes homini homo; ut non dominetur tui omnis injuſtitia. Nam nullum tibi venenum, nullum gladium plus tibi formido quàm libidinem dominandi.

Tota ratio hujus ſententiæ Bernardi inde ducitur, quod Eccleſia *innuitivè tantùm, ſuaſivè & directivè, non coactivè & coërcitivè per vim externam aut abſolutum imperium de mediis & adjumentis ad beatitudinem neceſſariis judicet.* Eant ergo Adulatores, atque S. Bernardum ad curiæ Romanæ patrocinium violenter abſtrahant, quippe qui lib. 1. de Conſideratione cap. 5. doceat poteſtatem Eccleſiaſticam, *quanta quanta eſt in criminibus non in poſſeſſionibus ſitam eſſe; & propter illam, non propter hanc Pontifices claves regni Cœlorum accepiſſe, prævaricatores, non poſſeſſores excluſuros. Quænam tibi major videtur dignitas & poteſtas dimittendi peccata? an prædia dividendi? ſed non eſt comparatio: habent hæc infima & terrena judices ſuos Reges & Principes terræ. Quid fines alienos invaditis? quid falcem veſtram in alienam meſſem extenditis? Non monſtrabunt puto ubi quiſpiam Apoſtolorum judex ſederit hominum, aut diviſor terminorum, aut diſtributor terrarum. Stetiſſe denique lego Apoſtolos judicandos, ſediſſe judicantes non lego: hæc autem confirmat exemplo Chriſti fugientis cognoſcere de duorum fratrum diſſidio.* Lucæ 12.

Euthymius cap. 10. in Matthæum ad hunc locum. *Ecce ego mitto vos tanquam oves in medio luporum: Ecce, inquit Dominus, ego qui omnia poſſum, mitto vos ut mordeamini, ac dilaniemini, neque ulciſcamini, aut manus repugnantes objiciatis. Quamobrem? quia magis ita vincetis, & lupos in oves tranſmutabitis. Quomodo? mea virtute quæ omnia vincit, veſtraque manſuetudine quæ ut plurimum ferocitatem ac truculentiam infidelium ſubmittit: neque enim ferocitas per ferocitatem, ſed per manſuetudinem ſubmitti ſolet. Nam oportet eum qui medetur inſanis, patienter illorum ferre injurias, ſolam præ oculis habendo liberationem ab inſania. Et nos ergo niſi ovium manſuetudinem adversùs ferocitatem illorum qui nos lædunt propoſuerimus, nequaquam Paſtoris noſtri auxilium habituri ſumus: ſiquidem ovium non luporum paſtor eſt.* Procul dubio ut Chriſtus Eccleſiaſticos neceſſariò manſuetudinem omnium edoceret, ideò illos ſola poteſtate miniſteriali ſpirituali donavit, atque omni poteſtate cogendi exuit, more regis apum, qui telo & aculeo caret. Idem

Eu-

Digitized by Google

Euthymius cap. 26. in Matthæum. *Converte gladium tuum in locum ſuum: ubi Petrum increpaviſſet, docuit neque etiam pro Deo defendendo utendum eſſe gladio: per gladium verò omnia arma prohibuit.* Eccleſiaſticis nimirum, quæ omnia cò tendunt, ut Eccleſiaſtici certò ſciant ſe ſpiritualiter examinari; & Deum hac viâ ſapientiam mundi voluiſſe confundere. Hîc autem ut ſæpè aliàs Euthymius Chryſoſtomum imitatur.

.Magiſter ſententiarum Commentariis in cap. 1. poſterioris Epiſtolæ ad Corinthios ad hunc textum: *Non dominamur veſtræ fidei: non ideò dico parcens vobis, quia dominemur fidei veſtræ; id eſt quia dominium & coactionem patiatur fides veſtra, quia voluntatis eſt, non neceſſitatis: ſed ideò dico, quia adjutores ſumus, ſi vultis cooperari, gaudii veſtri æterni, &c.*

Gratianus II. quæſt. 7. ad canonem: Nos ſi incompetenter. §. *Sed notandum eſt quod duæ ſunt perſonæ quibus mundus iſte regitur: Regalis videlicet & Sacerdotalis. Sicut Reges præſunt in cauſis ſæculi; ita Sacerdotes in cauſis Dei. Regum eſt corporalem irrogare pœnam: Sacerdotum ſpiritualem inferre vindictam. David ergo & ſi ex Regali unctione Sacerdotibus & Prophetis præerat in cauſis ſæculi, tamen ſuberat eis in cauſis Dei: unde Reges à Prophetis & Sacerdotibus ungebantur, & eorum oblatione peccata Regum expiabantur. Sicut ergo Ozias à Domino leprâ percuſſus eſt, quia Sacerdotum officia uſurpare voluit: Sic Sacerdotibus & Prophetis Regum officia uſurpare non licuit. Nathan ergo Propheta cum Regem redarguit, ſuum eſt exequutus officium, in quo erat Rege ſuperior: Non uſurpavit Regis officium, in quo erat Rege inferior. Monuit eum ut per pœnitentiam peccata ſua expiaret; non tulit in eum ſententiam, qua tanquam adulter & homicida morti addiceretur. Sic & B. Ambroſius Theodoſium, & B. Innocentius Imperatorem Arcadium excommunicavit, & ab Eccleſiæ ingreſſu prohibuit. Sicut enim non ſine cauſa Judex gladium portat: ita & non ſine cauſa claves Eccleſiæ Sacerdotes accipiunt: Ille portat gladium ad vindictam malefactorum; laudem verò bonorum: Iſti habent claves ad excluſionem excommunicandorum, & reconciliationem pœnitentium.* Hæc compilator canonum. Sed de D. Ambroſii atque Innocentii excommunicatione erga Theodoſium Magnum & Arcadium Cæſares aliàs diſputabimus ex profeſſo.

Idem Gratianus ex Innocentio 23. quæſt. 8. can. *Cum à Judæis Dominus caperetur, & Petrus cujuſdam inobedientis aurem abſcinderet, ferire prohibuit: & forma omnium Sacerdotum, quorum prior erat, etiam pro ſe ipſo capi arma carnalia prohibuit.*

Ivo Carnotenſis Epiſtolâ 247. ad Aurelianenſem Epiſcopum. *Quomodo enim Eccleſia judicare debet fundendum ſanguinem alienum, quæ à primo ortu ſuo juſſa eſt fundere ſanguinem proprium? faciant hæc cuncti judices, qui ad malorum vindictam gladium materialem portant: non qui contra nequitias ſpirituales gladio ſpiritûs pugnant: ut cùm unumquodque membrum Eccleſiæ officium non uſurpaverit alienum, laudes mereantur quæ ſponſæ Chriſti cantantur in* Canticis 6. *Pulchra ut luna; electa ut ſol; terribilis ut caſtrorum acies ordinata. Alioquin ſi alieni Ordinis uſurpatores fuerimus, nec noſtri officii quod poſtpoſuimus; nec alieni quod uſurpavimus, meritum obtinebimus; ſed tanquam capite deorsùm poſito & pedibus erectis tymelicorum inceſſum imitabimur.* Quo ex Ivonis teſtimonio claret contra naturæ ordinem fieri, ſi Eccleſiaſtici ſe ſævis immiſceant, unde cùm à quodam Vice-comite fuiſſet in tetrum carcerem conjectus, cumque Clerus & populus Carnotenſis vi armatâ vellet, poſſetque eripere, id prohibuit. *Nec enim*, inquit, *incendiis domorum & deprædationibus pauperum poteſtis Deum placare, ſed magis exaſperare; ſine cujus beneplacito neque vos, neque aliquis poterit me liberare. Nolo ergo ut adversùm me implere faciatis aures Dei pauperum clamoribus, lamentis viduarum: nec enim decens eſt, ut qui armis bellicis ad Epiſcopatum non veni, armis bellicis recuperem; quod non eſt Paſtoris, ſed invaſoris, &c. Decretum eſt enim mihi non ſolùm includi, vel Eccleſiaſtico honore privari, ſed etiam magis mori, quàm per me ſtragem hominum fieri.* Hæc Ivo B. Gregorii imitatione contra Longobardos verè memor cujuſnam ſit Eccleſiæ ſpiritus. Lucæ 9. verſ. 55.

Cœleſtinus III. in Decretalibus de judiciis cap. Cùm non ab homine. §. *Quod ſi Clericus in quocumque Ordine conſtitutus, in furto, vel homicidio, vel perjurio, ſeu alio crimine fuerit deprehenſus legitimè atque convictus, ab Eccleſiaſtico judice deponendus eſt. Deinde contumacia creſcente, anathematis mucrone feriri. Poſtmodum verò ſi in profundum malorum veniens contempſerit, cùm Eccleſia non habeat ultra quid faciat; ne poſſit eſſe ultra perditio plurimorum, per ſæcularem comprimendus eſt poteſtatem: Ita quòd ei deputetur exilium, vel alia legitima pœna inferatur.* Hic obſervas Lector, Cœleſtinum III. clarè docere *Eccleſiam ultra cenſuras nihil habere quod faciat jure divino ſcilicet.*

Idem pariter docent Patres Synodi Conſtantienſis ſeſſ. 15. ubi Joannem Hus condemnatum, excommunicatum & degradatum tradunt brachio ſæculari puniendum: *attento quòd Eccleſiâ Dei non habeat ultrà quod gerere valeat.* Propria ſunt verba, quæ cauſis eſſentialibus poteſtatis

teſtatis Eccleſiaſticæ congruunt; continuoque omnem excludunt cauſam tergiverſandi. Si forſan adverſarii cauſentur hæc regulariter & ordinariè capi oportere: numquam enim Eccleſiæ licet juri divino & naturali adverſari, cùm iſtud perpetuò pro regula ſibi divinitus præſtita ſequi debeat: quocirca hîc vanæ & ſophiſticæ ſunt diſtinctiones directæ atque indirectæ poteſtatis.

Gloſſa ordinaria cap. 16. in Matthæum liquido demonſtrat poteſtatem Eccleſiaſticam verſari tantùm in ſpiritualibus, non in temporalibus explicans hunc textum: *Tibi dabo claves, &c. Claves ſunt diſcernendi ſcientia & potentia, quâ dignos recipere & indignos excludere debet à regno cœlorum.*

Lyranus: *Iſtæ claves non ſunt materiales; ſed poteſtas ſpiritualis duplex: una diſcernendi peccatum à non peccato, ſicut in veteri lege Sacerdotes judicabant inter lepram & non lepram: alia clavis eſt poteſtas admittendi ad regnum vel excludendi ſecundùm verum judicium præhabitum, quia debent indigni excludi, & digni recipi: & ſuppoſito hîc in terra debito uſu clavis, Deus illud approbat in cœlis, aliter non.* Quæ Lyrani aſſertio *de vero judicio præhabito atque debito uſu clavium* nos apertè docet quidnam de Cenſuris ad Reges exauctorandos latis tenendum ſit: quandoquidem *temporalia non ſunt fori Eccleſiaſtici.* Idem Lyranus in cap.19. Joannis. *Regnum meum non eſt de hoc mundo; quantum ad temporalia iſta quærenda. Dicendum autem*, inquit, *ſecundùm veritatem divinitatis, quòd omnia ſunt ſubjecta Chriſto; tamen quantum ad humanitatem in primo adventu ſuo non venit ad dominandum temporaliter, ſed magis ad ſerviendum & patiendum: & ſic patet quod ſufficienter excludit quod ſibi imponebatur de uſurpatione regni Judææ; quia non fiebat quæſtio de eo, niſi in quantum homo pro ſtatu præſenti in quo erat, qui ad primum ejus adventum pertinebat.* Gloſſa denique pro interpretatione hujus loci Auguſtini teſtimonium paulo ante laudatum ſubjicit, ſicut & B. Thomas Aquinas in catena: *Audite Judæi, audite Gentes, audi circumciſio, audi præputium, audite omnia regna; non impedio dominationem veſtram in hoc mundo: Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Siquidem Judæi Chriſtum quaſi novis rebus adversùs Cæſares ſtudentem criminabantur, eo ipſo quod ſe Regem Judæorum diceret: contra verò illi repugnabant dicentes ſe alium Regem non habere præter Cæſarem.

Rupertus Abbas Tuitienſis libro de Trinitate in volumen quatuor Euangeliſtarum, quod legitur fermè ad calcem tomi primi operum Ruperti cap. 12. memorati voluminis, accuratè explicat quidnam

Digitized by Google

nam ſit: Regnum Chriſti non eſſe de hoc mundo. Ubi de B. Joannis prædicatione in deſerto. Ex cap. 3. Matthæi diſſerit. *Fruſtrà* inquit, *Reges terræ timuerunt: ſine cauſa turbati ſunt. Ecce enim qualis magiſter militum, qualis ſignifer Regis hujus, qualis primæ Legionis Primicerius, pilis camelorum veſtitus, & zonâ pellicea præcinctus. Non dicit: arma corripite, appropinquabit enim regnum Judæorum; ſed pænitentiam agite, appropinquabit enim regnum Cœlorum. Non dicit: Filii Regum & Patriarcharum, demonſtro vobis animoſa ſumere bella; ſed dicit: progenies viperarum, quis demonſtravit vobis fugere à ventura ira? non dicit: Nolite Cæſari cenſum dare; ſed dicit: Jam enim ſecuris ad radices arborum poſita eſt. Non dicit: Oliveta Judaica ſervabuntur, & Romana pomeria ſuccidentur: ſed abſque diſtinctione hortorum aut nemorum: Omnis, inquit, arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur, &c. Pænitentiam agite, appropinquabit enim regnum Cœlorum.*

Idem Rupertus lib. 4. de victoria verbi Dei cap. 8. demonſtrat antiquam Legem ab Euangelica hoc diſtare intervallo; *Quod Judices Legis Moſaicæ gladio materiali uterentur; Euangelicæ verò nequaquàm, quoniam interdictus eſt Apoſtolis: Judicibus ſive ſenioribus poſteris ſcilicet Apoſtolis, non eadem quæ prioribus illis ratio ſive cauſa extitit, ut pro verbo vel teſtamento Dei præliantes materialibus uterentur armis. Venerat enim temporibus illorum ipſe qui mittendus erat, nec alius jam ſperari poterat de carne Abrahæ venturus, in quo eſſet ſalus. Ut quid ergo pro carne protegenda gladio materiali pugnaretur? Idcircò ille qui ex illa carne expectatus venerat, cùm in paſſione ſua diceret illis: Et ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, &c.* Lucæ 12. *Illique ad hæc reſponderent. Domine, Ecce gladii duo hic: ſtatim hujuſmodi gladios eis interdixit: ait enim; ſatis eſt. Itaque continuò cùm percuteret unus ex illis gladio: ſinite, inquit uſque huc. Et ad Petrum qui percuſſerat: converte ait, gladium tuum in locum ſuum. Nempe quod ait: ſatis eſt. Vel; ſinite uſque huc; hoc dat intelligi, quod ſibi complacuerit ante adventum ſuum uſque illuc uſus gladii, quo modo uſi ſunt eò illi judices* cap. 3. Judicum. *Jam autem ſibi non placere, ut uterentur illo; imo ut reconderent & penitus deponerent eum judices illi noviſſimi contenti meliori gladio, qui jam venerat qui jam datus erat, qui eſt ipſum verbum Dei. Proinde ſicut laudabiliter materialem gladium illi dimiſerunt omnino, quia jam non erat neceſſarius: Ita nimirum iſti laudabiliter illo uſi ſunt, quia tunc erat neceſſarius, ne videlicet*

prius

Digitized by Google

prius radix bona deperiret, quàm veniret fructus ejus. Rectè igitur juxta diverſas rationes temporum, & iſtorum militaris induſtria, & illorum verbo Dei famulata eſt inermis patientia. Verum enimverò ſicut litigando jura creſcere experimur: Ita poſtquam Bonifacius VIII. Suam Extravagantem *unam ſanctam de majoritate & obedientia* extruſit, ut Philippum Pulchrum Galliæ Regem exauctoraret, hæc controverſia in Franciæ Regno quatuor doctiſſimis lucubrationibus maximè enucleata eſt, quæ tùm evulgatæ ſunt, earumque aliquot particulas hîc adſcribere pretium duco. Prima lucubratio eſt *Ægidii Romani Ordinis Auguſtinenſium & Bituricenſis Archiepiſcopi*, quam à litteris Bonifacii ad Philippum exorditur; & poſt Philippi Reſponſionem hæc ſubjicit: *Quæſtio eſt*, inquit, *utrum dignitas Pontificalis & Imperialis ſive Regalis ſint duæ poteſtates diſtinctæ ad invicem; & hoc eſt quærere utrum Summus Pontifex plenam juriſdictionem & ordinariam poteſtatem habeat tam in temporalibus quam in ſpiritualibus: Ita quòd omnes principes temporales ſubſint ei quantùm ad temporalia? quod ſint poteſtates diſtinctæ, & quod Papa non habeat dominium omnium temporalium, probatur primò per rationes phyſicas. Secundò per rationes Theologicas. Tertiò per jura Canonica. Quartò per jura Civilia.* Hic verò reliquis omiſſis ſolas Theologicas rationes, neque omnes ab Ægidio Romano enumeratas, ſed aliquas dumtaxat recenſebo: *Nam*, inquit, *ſicut Salvator ait, non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum, nec ſervus major Domino ſuo: nec Vicarius majorem habet poteſtatem, quàm ille cujus vices gerit, ſibi duxerit committendam. Sed Chriſtus, quamvis hæreditario jure Dominus eſſet omnium, tamen hac poteſtate uti noluit, ſed etiam oblatam penitùs recuſavit, ſicut legitur* Joannis 5. *cùm quæreret eum populus, ut faceret Regem, fugit tanquam contemnens, & contemnendam docens inſatiabilem voracitatem avaritiæ, & ambitionis inexplebilem vanitatem: Spiritualiter ſuo Vicario dans exemplum non ambiendi, & multò fortiùs non uſurpandi ſibi Imperatoriam vel regiam dignitatem.* Item Lucæ 12. *Scribitur quod cùm Chriſto Domino diceret quidam: Domine, dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem, reſpondit, homo, quis me conſtituit judicem, & dividere ſuper vos? Ecce Dei filius ſuper dominium temporalium recuſavit judicium, qui tamen conſtitutus eſt à Deo Judex vivorum & mortuorum. Ergo Vicarius ejus de juriſdictione temporali non debet ſe intromittere. Item ſucceſſor Petri non habet majorem poteſtatem in temporalibus, quàm habuit Petrus primus de Vicariis Chriſti: Sed nec Petro, nec cæteris aliis permiſit Deus habere dominium terrenorum: imò potiùs eximiam*

Digitized by Google

humilitatem præcepit eis tenere & inviolabiliter obſervare, ſicut patet in Euangelio. Ergo ſucceſſor Petri nullam habet in temporalibus juriſdictionem. Item Dominus interrogatus à Judæis utrum liceret cenſum dare Cæſari, viſa imagine Numiſmatis reſpondit: Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. Ergo quæ ſunt Cæſaris, & quæ ſunt Dei, ſunt diſtincta. Item in commiſſione factâ Vicario Petro, non legitur poteſtas temporalis, ſed tantùm ſpiritualis ei fuiſſe commiſſa: Tibi, inquit, dabo claves regni cœlorum. Non dicit: Et dominium terrenorum. Unde ſtatim ſubjungit, quaſi ſemetipſum exponens de ſpirituali tantum poteſtate dixiſſe: quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlo: & quodcumque ſolveris. Et poſt reſurrectionem ſuis dixit Apoſtolis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.

Idem articulo 1. *Quod autem iſtæ duæ poteſtates ſint à Deo, de poteſtate ſpirituali quam Chriſtus B. Petro ſucceſſori ejus contulit, habetur* Matthæi 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. De temporali poteſtate dicitur in Authentica coll. 6. de inſtrumentorum cautelâ §. quia igitur imperium de Cœlo Deus conſtituit.* Item Proverb. 8. *Per me Reges regnant, & legum Auditores juſta decernunt. & diſt. 4. transfert regna Deus, & conſtituit. Et Apoſtolus* ad Romanos: *Non eſt poteſtas niſi à Deo. De utraque ſimul dicitur diſt. 96. cap. in Scripturis. Et cap. duo ſunt,* &c.

Idem articulo 2. *Declarandum eſt,* ait, *quod iſtæ duæ poteſtates ſint diſtinctæ & ab invicem ſeparatæ. Cùm enim homo conſtet ex duobus, ſcilicet corpore & animâ, & duplex ſit vita, corporalis & ſpiritualis: propter corporalem vitam obſervandam, homo temporalibus indiget: propter ſpiritualem, ſpiritualibus opus habet. Imperatores & Reges poteſtatem habent ſupra corpora & res corporales ad vitam corpoream pertinentes. Poſſunt enim & debent corporali pœnâ punire reos, & legum Imperialium transgreſſores. Habent etiam Rempublicam ordinare, populos ſibi ſubjectos in pace & tranquillitate ſervare, defenſare patriam, & adverſarios debellare. Pontifices autem ſpiritualem juriſdictionem habent, quæ ad regimen & ſalutem animarum pertinet. Rurſus cum duplex ſit civilitas (id eſt politia) humana videlicet & divina, terrena & cœleſtis, temporalis & ſpiritualis; civilem, mundanam & temporalem ordinat & diſponit Imperialis poteſtas: ſpiritualem verò cœleſtem & divinam in terris regit Pontificalis auctoritas, ad cujus regimen Summus Pontifex habet plenitudinem poteſtatis: inferiores autem Prælati in partem ſollicitudinis ſunt vocati. Ad utriuſque civilitatis regimen Deus duos gladios ordinavit, duas juriſdictiones diſtinctas & differentes*

Digitized by Google

rentes ad invicem: ſicut exponunt illud Lucæ 22. *Ecce duo gladii, &c. Diſtincta ſunt igitur hæ poteſtates, nec debent ſe mutuò perturbare, quia ſicut Princeps non debet de ſpiritualibus intromittere ſe: ita nec Pontifex debet in temporalibus ſe immiſcere, nec juriſdictionem temporalem aſſumere, niſi in certis caſibus determinatis à jure.*

Idem articulo 3. *Declarandum eſt quod Chriſtus in inſtitutione ſpiritualis poteſtatis, nullum commiſit vel potius promiſit dominium terrenorum. Nam* Matthæi 16. *Ubi Chriſtus vicarium ſuum inſtituit videlicet B. Petrum & ſucceſſores ejus, ait: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, &c. Et non dixit: Et dominium terrenorum. Revolve cuncta ſacræ Scripturæ volumina, numquam invenies Apoſtolos ſediſſe, ut de temporalibus judicarent, nec petiiſſe ut Reges & Principes eis in temporalibus ſubjacerent, aut de ejuſmodi reſpondere deberent, &c. Item ſucceſſor Petri non plus habet poteſtatis quam Petrus primus Dei vicarius: Sed Chriſtus tam Petro quam cæteris Apoſtolis dominium, poteſtatem & juriſdictionem in temporalibus interdixit, cum eis eximiam paupertatem indixit, dicens: nolite poſſidere aurum & argentum, &c. Unde Petrus dicebat jocundanter: argentum & aurum non eſt mihi, &c. Omnino elongationem à poſſeſſione terrena & dominio temporali præcepit Chriſtus ipſis, volens eos ſpirituales eſſe, & à terrenis, quantum fragilitas humana patitur, elongatos vacare ſpiritualibus & æternis, ac ſaluti animarum intendere. Sciebat enim quod temporalia perturbant animum, diſtrahunt intellectum, & mentem ad inferiora demergunt: ſicut expreſſe dicitur diſt. 96. cap. Cum ad verum.*

Eſt autem intelligendum quòd cùm Chriſtus triplicem habuerit poteſtatem, videlicet rerum corporalium, animarum, & temporalium facultatum. Prima poteſtate uſus eſt. Secunda uſus eſt & commiſit. Tertia nec uti voluit nec commiſit. Prima quidem uſus eſt, infirmitates corporales curando, mortuos ſuſcitando, ac in cunctis rebus corporalibus multimoda miracula faciendo. Secunda uſus eſt, & commiſit videlicet ſpiritualem, quantum eſt neceſſarium & expediens ad ſalutem animarum. Tertia nec uſus eſt, ſicut patet per exempla præmiſſa, nec commiſit; quin potius tam Petro quàm cæteris Apoſtolis interdixit, ut dictum eſt. Attende quid B Bernardus ſcribens ad Eugenium Papam dicat: Et nos inquit, ut verè ſentiamus de nobis, impoſitum novimus miniſterium, non dominium datum. Si ſapiens, contentus eſto menſura qua menſus eſt Deus: quod enim amplius eſt, à malo eſt. Diſce exemplo propheticæ præſidere non tam ad imperandum,

quàm ad faciendum: Diſce ſarculo tibi opus eſſe, non regio ſceptro, ut opus facias prophetæ, id eſt ut evellas, & deſtruas, diſperdas & diſſipes, & ædifices, & plantes.

Huc uſque Bituricenſis Archiepiſcopus. Verùm quia conjicio adverſarios dicturos ejus argumenta ſolùm militare contra Bonifacii & Canoniſtarum opinionem, qui plenum atque directum dominium in temporalia Pontifici Romano adſcribunt: nequaquam verò contra illos, qui poteſtatem indirectam in ordine ad ſpiritualia propugnant. Contrà excipiam hæc mera eſſe effigia, & commenta hominum obnoxiorum, quæ nullo ſolido fundamento ſcripturæ & Patrum teſtimoniis nituntur. Accedit Papam hac indirecta poteſtate imaginaria tantumdem habere juris, quàm ex plena atque directa poteſtate; & utramque poteſtatem hanc cauſis eſſentialibus poteſtatis miniſterialis ſpiritualis, quam ſolam Chriſtus Eccleſiæ reliquit, omninò repugnare: Cæterùm quod Ægidius Romanus memorat Pontificem non ſe debere immiſcere temporalibus, niſi in caſibus determinatis à jure: hoc intelligi debet conformiter ad cauſas eſſentiales poteſtatis miniſterialis Eccleſiaſticæ, & juxta praxim Eccleſiæ primitivæ, non autem ex uſu præſcripto in Decretalibus, quas Ægidius Romanus meritò impugnat tanquam à malo procedentes, ut D. Bernardi verbis utamur: *quod amplius eſt, à malo eſt, inquit*

Alter tractatus tempore Philippi Pulchri editus, Auctoris eſt anonymi; Incipitque: *Rex pacificus Salomon*, & ab illuſtriſſimo Perronio laudatur in ſua ſuaſione contra articulum tertii Ordinis. Dividitur autem in quinque partes, quarum prima conſtituit libri procemium. Secunda continet ſeptendecim argumenta eorum, qui tenent Papam præditum poteſtate Reges abdicandi: quæ argumenta præſertim hauſta ſunt ex ſumma Cardinalis Hoſtienſis. Tertia pars ſexdecim exhibet rationes contrariæ ſententiæ, quibus domonſtratur Papam nullum jus habere exauctorandi Reges. Quartò proponit & conſtituit fundamentum partis negantis. Quinta ſeptemdecim argumenta ſecundæ partis diſſolvit. Præcipuum fundamentum hujus auctoris anonymi eſt utramque poteſtatem Eccleſiaſticam & politicam, ſic à natura diſtinctas eſſe, ita ut ſpiritualis capiti, temporalis cordi humano reſpondeat. Enimverò ſicut cor eſt principium vitæ & cauſa efficiens ſpirituum vitalium: Ita & caput principium motus, ſenſus, ſpirituum animalium & rationis. *Patet ergo ex prædictis*, ait, *quod ſicut in humano corpore ſunt duæ partes principales officia diſtincta & di-*

diverſa habentes, ſcilicet caput & cor; ita quòd una de officio alterius ſe non intromittat: ſic in Orbe duæ ſunt juriſdictiones diſtinctæ: ſcilicet ſpiritualis & temporalis habentes officia diſtincta. Unde ſicut non eſt aliquis Dominus temporalis qui ſe debeat reputare Dominum in temporalibus & ſpiritualibus: ſic nec eſt aliquis Dominus ſpiritualis qui debeat ſe reputare Dominum in temporalibus & ſpiritualibus: ſed Dominus ſæcularis erit in temporalibus, & Dominus ſpiritualis in ſpiritualibus. Papa ergo non eſt Dominus temporalis omnium Hæc confirmat exemplo politiæ veteris Teſtamenti, *in quo Moſes erat Dux populi, & Aaron Sacerdos: quamvis etiam ipſe Moſes Sacerdos fuiſſe legatur: Moyſes & Aaron in Sacerdotibus ejus* Pſal. 98. *Addit & can. Principes* 23. *quæſt.* 5. *& can. Quo jure diſt.* 8. *atque alia ejuſmodi parte quarta illius tractatus.*

Deinde parte tertia, ubi rationes oppoſitas parti affirmanti explicat, ad ſeptimum argumentum ſic urget: dicit Apoſtolus 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus. Ergo Papa non habet ſuper omnes juriſdictionem temporalem: ſic reſpondetur quòd Papa non habet juriſdictionem temporalem ſuper omnes quantùm ad executionem, quia hoc eſſet ſe implicare negotiis ſæcularibus: ſed benè habet juriſdictionem temporalem ſuper omnes, quantùm ad imperium ipſius ſuper Principes ſæculares. Et ſic reſpondentes multi innituntur auctoritati B. Bernardi libro* 4 *de Conſideratione ad Eugenium Papam. Ad quam auctoritatem reſpondebitur ſuo loco. Tamen contra illam reſponſionem, ſicut dicitur* Deuter. 32. *Dei perfecta ſunt opera, & omne quòd à Domino ordinatum eſt: Sed perfectius & ordinatius eſt quod ille habeat poteſtatem & juriſdictionem, qui eam poteſt licitè mandare executioni, cum militet ſæculo; non Papa qui debet militare Deo.*

Item argumento decimo: *Sicut Papa eſt judex ordinarius totius Eccleſiæ: ita quilibet Epiſcopus eſt ordinarius Diœceſis ſuæ. Extravag. de officio judicis ordinarii cum ab Eccleſiarum. Si ergo Papa haberet juriſdictionem temporalem ſuper omnes perſonas de Eccleſia, quilibet Epiſcopus haberet juriſdictionem temporalem ſuper omnes de ſua diœceſi. Sed hoc eſt falſum; ergo & primum. Probatio minoris; ſcilicet quod non quilibet Epiſcopus habet juriſdictionem temporalem in ſua Diœceſi. Videmus enim multos Epiſcopos qui in ſuis diœceſibus habent Reges & Principes, qui juriſdictionem temporalem ſuper eoſdem Reges & Principes non habent: Sed econtrariò eos recognoſcunt, ſicut etiam verè ſunt, ſuos Dominos temporales.*

Decimo quarto argumento ſic premit adverſarios: *Dominium & mi-*

Digitized by Google

miniſterium ex oppoſito ſe habent; ita quòd nec Domino debet imponi miniſterium; nec Miniſter ſibi debet uſurpare dominium. Sed ex ordinatione Chriſti, qui major eſt in Eccleſia debet exercere temporale miniſterium: Ergo qui major eſt in Eccleſia non debet uſurpare, vel ſibi vendicare temporale dominium. Quod autem major in Eccleſia debet exercere temporaliter humile miniſterium, probatur per illud Lucæ 22. *Ubi cùm fuiſſet contentio inter diſcipulos de majoritate, dicitur ſic: qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator.* Et paucis interpoſitis: *Ego autem in medio veſtrûm ſum, ſicut qui miniſtrat.* Hæc quarta parte memorati tractatus.

Quinta denique, quâ reſpondet argumentis adverſariorum. Primò ad illud quod dicitur: *Papa eſt Vicarius Chriſti, & Chriſtum omnem habuiſſe poteſtatem in cœlo & in terra. Reſpondet re vera Papam eſſe Chriſti Vicarium: ſed certum eſſe quod non acceperit omnem poteſtatem quam habuit Chriſtus: quippe qui habuerit poteſtatem ſuper ſacramenta, poteſtas autem Papæ non eſt ſuper ſacramenta,* inquit, *ſed certis coarctata terminis. Extra de conceſſ. prabend &c.*

Ad octavum argumentum ductum ex 22. diſt. cap. omnes, ubi habetur *Chriſtum B. Petro æternæ vitæ clavigero terreni ſimul & cœleſtis imperii jura commiſiſſe. Reſpondet commiſſum quidem eſſe terrenum imperium B. Petro* cap. 16. Matthæi *his verbis: Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. Ita videlicet quod in terris poſſet ligare & ſolvere ſpiritualiter, non temporaliter, & hoc apparet per illud quod ſequitur: Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis, &c. Nam in cœlis nullum poteſt habere locum ligatio, vel ſolutio temporalis. Et verum eſt quod qui jus iſtud ligandi & ſolvendi ſpiritualiter Eccleſiæ Romanæ ſubtrahit, in hæreſim labitur, ut dicitur cap. omnes, diſtinct. 22.*

Cæterùm jam ſuperius monui in explicatione ſententiæ Ægidii Romani, argumenta hæc, quamquam de pleno atque directo Papæ dominio in temporalibus agant; nihilominùs æqualiter oppugnare indirectum in ordine ad ſpiritualia, quoniam utrumque poteſtati miniſteriali ſpirituali Eccleſiæ æquè adverſatur. Nam ut multoties docui Eccleſia nullam habet poteſtatem à Deo cogendi extrinſece irrogando pœnas temporales: & eam ob cauſam S. Auguſtinus dicit nulla in re dominationem Gentium, Judæorum, aut Chriſtianorum poſſe impedire. Et ſuprà hic ipſemet auctor Anonymus ad ſeptimum argumentum tertiæ partis oppoſuit Deum nihil fruſtrà facere, ejus-

que

Digitized by Google

que omnia opera eſſe perfecta; ac ſoli politico Principi dediſſe poteſtatem ſæcularia tractandi, & arma explicandi ad Juriſdictionem executioni mandandam: atque abſurdum eſſe dicere Papam habere dominium ſuper Principes ſæculares abſque executione. Quam in rem vide quæ notavimus axiomate octavo Apologiæ noſtræ. Cætera argumenta hujus auctoris Anonymi eadem fermè ſunt cum argumentis Ægidii Romani; hoc excepto quod faciliora & nitidiora videntur argumentis Archiepiſcopi Bituricenſis.

Tertius Tractatus eſt quidem Brevis Dialogus auctoris etiam Anonymi, in quo dialogo *Miles & Clericus* inter ſe velitantes de Regiâ & Papali poteſtate exhibentur. Miles autem poſt Lyranum ſuprà laudatum duos adventus aut ſtatus in Chriſto diſtinguit: *Alterum humilitatis quem ante paſſionem ſuam; alterum gloriæ quem poſt Reſurrectionem exercuit, contenditque inſuper Chriſtum conſtituiſſe D. Petrum vicarium ſuum, quo ea quæ ad humilitatis, non ad ſtatum gloriæ ſpectant, exerceret in terris:* quod eſt certiſſimum, & iis concordat quæ ſuprà diximus de ſola poteſtate miniſteriali ſpirituali Eccleſiæ relicta. Porrò omnia argumenta quæ à ſtatu gloriæ aut poteſtate excellentiæ Chriſti ad ſtatum humilitatis & poteſtatem miniſterialem ducuntur, planè cavillatoria ſunt, fallacia quam vocant ignorationem Elenchi. Cæterùm tempore Caroli V. Galliarum Regis quidam etiam auctor Anonymus captavit anſam hujus dialogi ampliandi & diſtribuendi in duos libros profuſiſſimos, quos ſub nomine ſomnii viridarii evulgavit, ſervata quidem Militis & Clerici interlocutione, ſed non Catholica æquanimitate prioris dialogi. Nam cap. 6. libri primi *hic ſomniator viridarius* Primatum Sedis Apoſtolicæ non tam à Chriſto Domino, quàm humanis inſtitutis acceptum refert: quo in errore Marcilium Paduanum & Jamdunum ſequitur, atque ſectariis hujus ſæculi hac in parte velificatur: quod lectorem latere nolui.

Quartum tractatum pro Philippo Pulchro lucubravit Frater Joannes Surdus Doctor Pariſienſis Ordinis Dominicanorum vulgò agnominatus de Pariſiis, quoniam natus eſſet Lutetiæ: Ille autem omnium doctiſſimè de hac controverſia ſcripſit; eſtque mirabile Cardinales Bellarminum lib. contra Barclaium & Perronium in ſua ſuaſione auctorem hunc ad cauſæ ſuæ ſubſidium evocare, cùm omnes ejuſdem Bellarmini & Perronii probationes & fundamenta dilapidet, ſi caput tertium Synodi Lateranenſis ſub Innocentio III. excipias: de quo Joannes Pariſienſis ideo ſiluit, quia hoc primum à Bellarmino excogitatum

Digitized by Google

tatum eſt argumentum. Porrò hic auctor cap. 10. rectè monet *Chriſtum non omnem poteſtatem quam habuit, etiam ut homo, contuliſſe Petro; atque omnia argumenta quæ Petro ideò aliquid tribuunt, quia Chriſtus hoc potuit etiam in quantum homo, nullius eſſe momenti niſi inveniatur expreſſum talem poteſtatem Petro delatam eſſe. Et dato etiam quòd Chriſtus auctoritatem & poteſtatem habuerit temporalem, eam tamen Petro non commiſiſſe: & ideò Papæ ratione qua eſt ſucceſſor Petri, prædictam poteſtatem non deberi: quoniam ſunt duæ poteſtates diſtinctæ, epiſcopalis & regalis vel temporalis, non ſolum re, ſed etiam ſubjecto, & regalis major eſt in temporalibus non habens ſuper ſe ſuperiorem: ſicut nec Papa in ſpiritualibus.*

Idem cap. 14. notat Apoſtolos ſextuplicem habuiſſe poteſtatem ordinariam à Chriſto. Primam vocat Ordinis Sacerdotalis: Secundam Adminiſtrationis Sacramentorum: Tertiam poteſtatem Apoſtolatus, prædicandi ubique Euangelium: Quartam Judiciariam & correctionis in foro externo Eccleſiæ: Quintam diſpoſitionis miniſtrorum, quæ iis verbis, inquit, Paſce oves meas, collata eſt ſecundùm aliquos: Sextam appellat poteſtatem accipendi neceſſaria ad congruentem vitæ ſuſtentationem. Quod attinet ad quartam, de qua eſt potiſſimùm quæſtio inpræſentiarum, hæc ſubnectit: *De quarta verò poteſtate in foro judiciali exteriori eſt tota difficultas, propter quod intelligendum eſt quod illa duo importat, ſcilicet auctoritatem diſcernendi quæ ſignificatur, cùm dicitur: Dic Eccleſiæ, & poteſtatem coërcendi, cùm dicitur: ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Hæ enim ſunt duæ claves in foro exteriori. De prima ergo ſciendum quod judex Eccleſiaſticus, ut Eccleſiaſticus eſt, in foro exteriori non cognoſcit regulariter niſi de ſpiritualibus cauſis quæ Eccleſiaſticæ vocantur, & non de temporalibus niſi ratione delicti: quod tamen ſic intelligitur, quod ſit delictum: nec oportet de hoc fieri exceptionem, cùm de nullo delicto cognoſcat Eccleſia, niſi ſecundùm quod reducitur ad ſpirituale & Eccleſiaſticum. Dupliciter enim peccatur in temporalibus: uno quidem modo peccato oppoſitionis ſeu erroris: ut cùm tenetur quod uſura non eſt peccatum mortale; vel tenetur quod poſſumus alienum vendicare quocumque titulo: vel cùm circà talia aliquis dubitat an ſit licitum vel illicitum ſecundùm Deum. Et cùm omnia talia determinentur per divinam legem ſecundùm quam habet judicare Judex Eccleſiaſticus non eſt dubium quod ad ſolum judicem Eccleſiaſticum pertineat cognitio talium: alio modo peccato vendicationis detinendo ſive impediendo alienum ut ſuum: Et talium cognitio ad judicem ſæcularem pertinet ſolum, qui ſecundùm leges huma-*

humanas judicat civiliter, ſecundùm quas fiunt appropiationes rerum vel vendicationes, ne res humanis uſibus neceſſariæ negligantur, ſi omnibus & ſingulis eſſent communes, & ne ſi communes eſſent ex indiſtincto, non ſervaretur pax de facili inter homines: unde propter hoc facta eſt rerum hujuſmodi appropriatio per Imperatores, ut dicit Auguſtinus ſupra Joannem, ut habetur diſt.8. cap. quo jure: Tolle, inquit, jura Imperatorum, & non potes dicere: hæc mea res eſt: De jure enim naturali eſt una omnium libertas, & communis omnium poſſeſſio. Et ita de peccato in temporalibus non judicat vel cognoſcit Judex Eccleſiaſticus, ſed ſæcularis tantùm, niſi fortè aliunde quàm à Chriſto ei conceſſum fuerit vel permiſſum. Et hoc notavit Bernardus ad Eugenium dicens: non in poſſeſſionibus, ſed in criminibus poteſtas veſtra eſt. Et ſuper illud Matthæi 10. *Ut in ore duorum vel trium ſtet omne teſtimonium, dicit gloſſa: ut probent illud eſſe peccatum; ſi negaverit eſſe peccatum. Sic enim ſi non acquieſcit, dicendum eſt Eccleſiæ, & non aliter, quæ judicat de peccato, &c. De poteſtate verò correctionis ſeu cenſuræ Eccleſiaſticæ ſciendum quod non eſt niſi ſpiritualis directè, quia nullam pœnam in foro exteriori poteſt imponere niſi ſpiritualem, niſi ſub conditione & per accidens. Licèt enim Judex Eccleſiaſticus habeat homines in Deum reducere, & à peccato retrahere & corrigere: hoc tamen non habet niſi ſecundùm viam à Deo ſibi datam, quæ eſt ſeparando à ſacramentis & participatione fidelium, & hujuſmodi ad cenſuram Eccleſiaſticam pertinent; & dicitur niſi ſub conditione: ſcilicet ſi quis pœnitere velit, & pœnitentiam pecuniariam acceptare: non enim poteſt judex Eccleſiaſticus ratione delicti imponere pœnam corporalem vel pecuniariam, ſicut facit judex ſæcularis; ſed ſolùm ſi ille velit illam acceptare. Si enim non vult eam acceptare, compellet eum judex Eccleſiaſticus per excommunicationem vel aliam pœnam ſpiritualem, quæ eſt ultima quam poteſt inferre, nec ultra poteſt aliquid facere niſi dico per accidens, quia ſi eſſet hæreticus & incorrigibilis & contemptor Eccleſiaſticæ cenſuræ, poſſet Papa aliquid facere in populo, unde privaretur ille ſæculari honore, & deponeretur à populo: Et hoc faceret Papa in crimine Eccleſiaſtico, cujus cognitio ad ipſum pertinet excommunicando ſcilicet omnes qui ei ut Domino obedirent, & populus ipſum deponeret, & Papa per accidens. Sic etiam è converſo: Si Papa eſſet criminoſus, & ſcandaliſaret Eccleſiam & incorrigibilis eſſet, Princeps poſſet ipſum excommunicare indirectè, & deponere ipſum per accidens, monendo ſcilicet ipſum per ſe & per Cardinales. Et ſi quidem Papa acquieſcere nollet, poſſet aliquid facere in populo, unde compellaretur cedere; vel deponeretur à populo, quia Imperator poſſet ſub hypotheca rerum vel pœna cor-*

corporum inhibere omnibus & ſingulis, ut nullus ei obediret vel ſerviret Papæ: Et hoc quidem poteſt uterque in alterum. Nam uterque ſcilicet Papa & Imperator univerſalem & ubique habent juriſdictionem, ſed iſte ſpiritualem, & ille temporalem, & tamen in hoc eſt diſtinctio adhibenda, quia ubi Rex delinqueret in ſpiritualibus, ſcilicet in fide, matrimonio & aliis hujuſmodi, quorum Juriſdictio ad judicem Eccleſiaſticum pertinet, Papa habet ipſum monere; & ſi ipſe inveniatur pertinax & incorrigibilis, poteſt ipſum excommunicare, & ultrà non poteſt plus, niſi per accidens; quia ſi fuerit contemptor, poteſt facere in populo, ut dictum eſt. Ubi verò Rex peccaret in temporalibus, quorum cognitio ad Eccleſiaſticum non pertinet, tunc Papa non habet ipſum corrigere primò; ſed Barones & Pares de regno, qui ſi non poſſunt, vel non audent, poſſunt invocare auxilium Eccleſiæ, quæ requiſita à Paribus in juris ſubſidium, poteſt monere Principem & procedere contra ipſum more prædicto. Similiter verò ubi Papa delinqueret in temporalibus, quorum cognitio ad Principem ſæcularem pertinet, ut ſi mutuaret ad uſuram, vel mutuantibus faveret, & præcipuè in iis quæ per leges civiles ſunt prohibita, Imperator ſi eſſet, haberet ipſum Papam primò corrigere immediatè monendo, & poſtea puniendo: nam ad Principem pertinet omnes malefactores corrigere primo jure Rom. 13. *Non enim ſine cauſa gladium portat: Miniſter enim Dei eſt vindex in iram. Gloſſa ſuper illud* Rom. 13. *Ideoque tributa præſtatis. Dicit quod ad hoc inſtituti ſunt ut boni laudentur, mali verò puniantur. Et Hieronymus ſuper Hieremiam ut habetur* 23. *quæſt.* 7. *Regum officium proprium eſt facere judicium & juſtitiam, & liberare de manu calumniatorum vi oppreſſos, & peregrinos, & pupillos & viduas, qui faciliùs opprimuntur à potentibus, &c. Et dicitur quod primo jure habet Imperator ratione delicti præcipuè civilis, Papam immediatè corrigere, quia de privilegio à Principibus indulto Clerici non niſi per ſuos Epiſcopos judicantur. Quod privilegium primò impetravit Julius Papa, qui ſecundus fuit poſt Sylveſtrum, &c. Si verò in ſpiritualibus delinquat, conferendo beneficia Eccleſiaſtica Simoniacè, Eccleſias diſſipando, privando perſonas Eccleſiaſticas & capitula juribus ſuis; vel etiam malè docendo & ſentiendo circa ea quæ ad fidem & bonos mores pertinent: tunc primò monendus eſſet à Cardinalibus, qui ſunt loco totius Cleri; & ſi incorrigibilis eſſet, nec poſſent per ſe amovere ſcandalum ab Eccleſia, tunc in ſubſidium juris haberent ſupplicando invocare brachium ſæculare; & tunc Imperator requiſitus à Cardinalibus cùm ſit membrum Eccleſiæ deberet procedere contra Papam, & Eccleſia non habet gladium ſæcularem alio modo non quidem manu nec juſſu, ſed nutu & ſupplicatione, ut dicit*

Digitized by Google

dicit Bernardus ad Eugenium: Sic etiam duo gladii mutuò ſe juvare tenentur communi charitate, quæ membra Eccleſiæ unit. Colligitur hoc 96. diſtinct. cum ad verum. Et 23. quæſt. 5. Principes, & Capitulis ſequentibus. Et ſic legimus in Chronicis, quod Conſtantinus II. qui poſt ambitionem Papatus cum feciſſet multa Eccleſiæ ſcandala, per Principes eſt depoſitus, & zelo fidelium oculis eſt privatus. Similiter Joannes XII. &c. Sic etiam 4 Regum *legitur quod cum Sacerdotes reciperent oblationes à populo pro reparatione ſartorum tectorum templi, nec ea repararent: Rex Joas prohibuit populo ne ultrà offerrent, & poſuit famulos ex parte ſua, qui oblata reciperent, & ſic de pecunia reparavit ſarta tecta Templi, &c. Ex his patet quod tota cenſura Eccleſiaſtica ſit ſpiritualis ſcilicet excommunicanda, ſuſpendendo, interdicendo, nec aliquid ultrà poteſt niſi indirectè & per accidens, ut dictum eſt. Et quod tota cenſura Eccleſiaſtica ſit ſpiritualis patet etiam per hoc quod dicitur* Matthæi 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, &c. Gloſſa. Objurgatio plurimorum ipſum corrigat. Et ſequitur: Amen dico vobis: quæcumque ligaveris, &c. Gloſſa vinculo anathematis. Chryſoſtomus ibi dicit: vide qualiter incorrigibilem duplicem duplicibus alligavit neceſſitatibus: pœnâ ſcilicet quæ eſt hæc ſcilicet projectione ab Eccleſia, quam notavit cum dixit: Sit tibi ſicut Ethnicus & publicanus; & ſupplicio futuro quod eſt ligatum eſſe in cœlo, ut multitudine judiciorum corrigatur culpa fratris. Hæc eſt ſententia Apoſtoli* 1 Corinth. 5. *dicentis: ſi is qui frater nominatur inter vos, & eſt fornicarius, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum hujuſmodi nec cibum ſumite. Ecce quod ultra excommunicationem non procedit Apoſtolus etiam in culpis gravibus: & inſtruens omnes Epiſcopos ad* Titum 3. *dicit hominem hæreticum poſt unam & ſecundam correptionem, devita, ſciens quia ſubverſus eſt, qui hujuſmodi eſt: ubi nota quod non dicit, combure, ſed devita. Ex quibus patet quod prædicta poteſtas eſt ſpiritualis, nec Principes ratione hujus ſunt Papæ ſubjecti, niſi ut ſuprà dictum eſt. Similiter de poteſtate Petro tradita per illud verbum: Paſce oves meas, patet quod eſt ſpiritualis tantum, & nihil ad Principes de ea, qualitercumque exponatur, ſcilicet primo vel ſecundo vel tertio modo. Sexta verò poteſtas ſcilicet accipiendi neceſſaria ad debitam vitæ ſuſtentationem, eſt temporalis, & magis dici debet jus quod illis debetur in ſtipendium vitæ, in quo non ſunt Principes ſubjecti, ſed debitores ſunt cæteri fideles qui ab eis ſpiritualia recipiunt: Et licèt hoc ſit eis debitum, tamen hoc jus non petebant Apoſtoli per modum auctoritatis, ſed per modum ſupplicationis. Hoc tamen poteſt Papa decernere debitum eis eſſe, & ipſi*

Digitized by Google

poſſunt hoc petere ſecundùm debitam facultati poſſeſſionem; & etiam per cenſuram Eccleſiaſticam poteſt Papa rebelles compellere ad reddendum.

Porrò hæc Joannis Pariſienſis collectio ſexdecim capit notabilia. Primum eſt quartam ſpeciem poteſtatis Eccleſiaſticæ, quæ ad auctoritatem judiciariam & correctionis pertinet, duo includere; ſcilicet poteſtatem diſcernendi & poteſtatem coërcendi; notatque priorem poteſtatem his verbis deſignari: *Dic Eccleſiæ:* quoniam Chriſtus hac formula fecit Eccleſiæ facultatem cognoſcendi atque diſcernendi de peccato & non peccato. Sicut Deut. 17. *Data eſt poteſtas Sacerdotibus legis Moſaicæ diſcernendi inter lepram & non lepram.* Secundò obſervat poteſtatem corrigendi ſeu coërcendi ſignificari hac formula: *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* Haſque duas poteſtates aut claves diſcernendi & corrigendi ad forum exterius ſpectare. Tertiò monet poteſtatem diſcernendi aut cognoſcendi in foro exteriori Eccleſiaſtico totam eſſe ſpiritualem, & Sacerdotes regulariter & ordinariè ſecundùm poteſtatem ſibi à Chriſto conceſſam non cognoſcere niſi de cauſis ſpiritualibus, neque ullo modo poſſe cognoſcere de temporalibus, niſi ſub ratione delicti, ut delictum eſt formaliter; & Eccleſiam de nullo delicto cognoſcere niſi quatenus reducitur ad ſpirituale & Eccleſiaſticum. Hæc autem ut penitius cognoſcantur: Quartò docet duobus modis peccari in rebus temporalibus. Primùm peccato oppoſitionis ſeu erroris, quando aliqui de una & eadem re oppoſitam tenent ſententiam, quarum unam oportet eſſe erroneam; alteram veram: Ut uſuram eſſe aut non eſſe peccatum mortale: Item poſſe aliquem ſummam pecuniæ quam invenit, ſibi juſtè vel non juſtè vendicare, &c. Harum autem rerum veritas cùm ſolâ lege Euangelica cognoſcatur, atque ſolus Sacerdos ſit interpres & judex legis Euangelicæ, ſequitur cognitionem & judicium hujuſmodi oppoſitionis aut erroris ad ſolos ſpectare Eccleſiaſticos. Quintò ait, ſi de peccato vendicationis agatur, quo aliqui ſibi quidpiam velut proprium vendicant: alii verò proprium ei qui ſibi vendicat, negant. Hujus vendicationis cognitionem & judicium ſolis legibus civilibus & humanis judicari debere: Et continuò ſolos Reges & Magiſtratus politicos eſſe hujus rei judices, quia ad eos ſpectat ſecundùm jus gentium definire *inter meum & tuum*; atque rerum communitatem auferre, quatenùs publicæ paci & tranquillitati poſſet officere: Et ad hunc ſenſum verba S. Bernardi lib. 1. de Conſideratione ad Eugenium capienda eſſe ait: dum ille aſſerit poteſtatem Eccleſiaſticam ſitam in crimini-

mini-

Digitized by Google

minibus, non in poſſeſſionibus. His pariter de cauſis Chriſtum noluiſſe cognoſcere de fratrum diſſidio altercantium ſuper hæreditate paterna; quoniam hoc ad peccatum vendicationis & tribunal ſæculare ſpectaret. Et hæc de poteſtate cognoſcendi aut diſcernendi conceſſa Eccleſiæ. Sextò declarat coërcitivam ſicut & diſcretivam poteſtatem Eccleſiæ quanta quanta eſt, directè ſpiritualem, non temporalem eſſe. Etſi enim judex Eccleſiaſticus judicet de mediis ad beatitudinem neceſſariis, atque homines dirigere debeat ad vitam æternam, hoc tamen illi tantùm facere licet juxta poteſtatem & regulam ſibi à Deo datam, quæ eſt per ſecluſionem hominum ab Eccleſiaſtica communione & participatione ſacramentorum, atque aliorum adjumentorum ſpiritualium ope cenſurarum Eccleſiaſticarum. Quocirca neque Sacerdos, neque ipſe Papa ullam poteſt in foro exteriori aliam imponere pœnam quàm ſpiritualem, niſi ſub conditione, inquit Joannes Pariſienſis, hoc eſt niſi ea lege quòd pœnitens ultrò & ſpontè pœnam pecuniariam vel temporalem acceptare & pœnitere velit. Nam ut ait Apoſtolus, *Eccleſiaſtici non dominantur fidei & conſcientiis hominum, ſed dumtaxat ſunt adjutores gaudii illorum*, 2 Corinth. 1. Septimò perhibet dato quod pœnitens nollet acceptare pœnam temporalem ſibi impoſitam, poſſe judicem Eccleſiaſticum in foro exteriori illum per cenſuram aut aliam pœnam ſpiritualem, atque in cenſuris & pœnis ſpiritualibus ſummam conſiſtere totius poteſtatis & juriſdictionis Eccleſiaſticæ: quoniam eſt ſumma atque ultima pœnarum, quas Eccleſia jure divino poteſt irrogare. Octavò ultra has pœnas ſpirituales quas Eccleſiaſtici jure divino poſſunt imponere, dicit etiam per accidens & indirectè aliquid facere poſſe, unde Princeps aliquis temporaliter puniatur, non quidem ab Eccleſia, ſed à populo: quoniam ſi Princeps eſſet hæreticus & incorrigibilis, atque cenſuras Eccleſiaſticas contemneret, Papa poſſet declarare populo illum indignum eſſe principatu, & ſuadere ne ei obediretur; atque ampliùs populum ipſum monitis Eccleſiæ parere detrectantem excommunicare. Quòd ſi populus monitis & cohortationibus Papæ & Eccleſiæ obtemperet, directè quidem dicitur deponere Regem; Papa verò tantùm indirectè & per accidens. Quibus ex verbis clarè colligitur, quonam ſeſe indirecta poteſtas Papæ in Ordine ad ſpiritualia extendat: quoniam Papa ad rigorem nihil poteſt quicquam ad Regis depoſitionem conferre præter monita, cohortationes, minas, & excommunicationem ſi res poſtulet. Hercle quidem ubi omnem animi mei Dianoeam evolvi

 at-

Digitized by Google

atque revolvi: omnia argumenta adverſariorum in omne latus verſavi, nihil video poſſe aliud officere, quàm Eccleſiam jus habere declarandi populum aliquo in caſu non teneri obedire Principi: ac ſi quis diceret depoſitum non eſſe reddendum prodigo, aut gladium furioſo: hoc autem non eſt ſubditos ab obligatione naturaliter debitâ Principi abſolvere, ſed tantùm demonſtrare quando & quatenus obligatio ſtringat aut non ſtringat. Puta ſi Princeps aliquid legi divinæ & naturali contrarium imperet in crimine purè Eccleſiaſtico & ſpirituali, cujus cognitio ad Papam aut Eccleſiam ſpectat, cujuſmodi ea ſunt quæ ad fidem & ſacramenta, aliaque hujuſmodi ſpiritualia, aut purè regularia pertinent: hæc enim propriè ſunt fori Eccleſiaſtici. Quare idem Pariſienſis cap. 16. ſub finem diſputans, quonam jure Zacharias Papa ſolverit Francos à juramento fidelitatis debitæ Childerico. *Reſpondeo*, ait, *quod illud fuit magis declaratio juris, quod ſcilicet juramentum in tali caſu non ligabat, quàm abſolutio à juramento fidelitatis, &c. Subnectit Papam non poſſe ſubditum abſolvere à naturali vinculo; ſed poſſe declarare quod in tali caſu; ſcilicet ubi Princeps eſſet hæreticus, non tenetur Vaſſalus eum ſequi, eique obedire.* Hæc ibi; verùm quod ait Papam poſſe populum Regi hæretico obedientem excommunicare; id quidem non tam ex rei veritate aſſerit, quàm ex opinione adverſariorum, quæ ſæculo Bonifacii obtinebat: quam opinionem Pariſienſis tum nolebat oppugnare. Obiter ergo demonſtrat, quamquam ultrò adverſariis conceſſerit Papam poſſe populum Regi hæretico obtemperantem excommunicare; tamen inde non ſequi Papam donatum poteſtate Reges hæreticos abdicandi; cauſa eſt quoniam Lex Euangelica non impedit civilem dominationem Judæorum, Gentium, aut hæreticorum; continuoque inſurgit populum obedientem Regi hæretico in politicis non poſſe excommunicari ab Eccleſia. Accedit ex indubitata praxi & regula Theologorum neque populum univerſum, neque Rempublicam, aut integras Congregationes & Collegia excommunicari poſſe, & cenſuras non debere pacem publicam, quæ juris eſt divini & naturalis, convellere, ut infrà diſputabitur. Quo ergo ſenſu populum Regi hæretico parentem in temporalibus Papa excommunicare poterit? Nonò, ut duriciem cordis & opinionis adverſariorum edomet, oſtendit Principem politicum puta Imperatorem poſſe viciſſim Papam indirectè & per accidens excommunicare & deponere, ſi modò ſit incorrigibilis, & Eccleſiam ſcandaliſet ratione rerum purè ſpiritualium, quarum cognitio ad Magiſtratum politicum

ticum

Digitized by Google

ticum non ſpectat. Nam, inquit, Imperator primò ac per ſe Papam exhortabitur ad reſipiſcentiam: tum per ipſos Cardinales, qui locum totius Eccleſiæ tenent. Quod ſi Pontifex audiens dicto eſſe noluerit, Imperator aliquid faciet erga populum & Eccleſiaſticos ſibi ſubditos: unde Papa cogetur cedere, ſicque ab Eccleſiaſticis & populo abdicabitur: Quæ nova aſſertio multò certior atque verior eſt quàm alia præcedens; quoniam Princeps politicus ex cauſis eſſentialibus poteſtatis civilis ſupremum dominatum & auctoritatem dirigendi & cogendi habet in omnes ambitu Reipublicæ contentos nemine dempto: quocirca unumquemque Eccleſiaſticum aut laicum cogere poteſt ad ſibi cum effectu obtemperandum; quod de cenſuris Papæ dici non poteſt, cum eas in totam Rempublicam vel populum ferri repugnet; & quotieſcumque irrogantur, id ſemper ſalvâ pace intelligi debet, quia gratia non deſtruit, ſed perficit naturam. Quibus de cauſis Oratores Philippi Pulchri appoſitè & accuratè Bonifacio VIII. fulmina & minas venditanti reſponderunt *quod Regis gladius eſſet realis & temporalis: Papæ autem verbalis & ſpiritualis.* Decimò attexit quod ſi Rex peccaret in temporalibus, quorum cognitio ad Eccleſiam non ſpectat, tunc Papam non poſſe primò & directè Regem corrigere; ſed hoc ad Barones, Pares, & Magnates Regni pertinere. Quod ſi Regem non poſſent vel non auderent corrigere, tum Eccleſiam poſſe illis eſſe ſubſidio, atque Principem monere, & cenſuris uti in illum, ſi minus reſipiſcat. Undecimò obſervat ſi Pontifex delinquat in temporalibus, quorum cognitio & poteſtas primò & per ſe ad Magiſtratum politicum attinet, tum primò & directè Papam ab Imperatore & Principe politico moneri & corrigi poſſe, quia in eum finem *gladium portat ad vindictam malorum; laudem verò bonorum.* Rom. 15. Quandoquidem Reſpublica eſt ſibi ipſi ſufficiens. Quæ Joannis Pariſienſis argumenta invictum robur tribuunt actis Ludovici XII. Francorum Regis contra geſta militaria Julii II. Conſule acta Synodi Turonenſis anno 1510. quæ ſolo lumine naturali ſeſe adverſùm cenſuras & convitia hominum obnoxiorum tuentur. Duodecimò ſi Papa in ſpiritualibus incorrigibiliter ceſpitet, ſpectare quidem ad Cardinales primò & directè illum monere, quia ſunt velut procuratores & legati totius Ordinis Eccleſiaſtici, quem in hac parte repræſentant. Quòd ſi Papa eos audire nollet, aut illi Papam non auderent corripere, tunc debere brachium ſæculare atque opem Magiſtratus politici contra Papam invocare, atque Principes teneri Eccleſiæ auxiliari,
cum

cùm eum in finem gladium portent. Quibus collectionibus ea nobis Pariſienſis ſuppeditat, quæ graviter adverſarios remordeant. Hinc enim clarè cognoſcitur Reges & Principes Chriſtianos tantumdem; imo etiam amplius veri atque indubitati habere juris in corrigendo & exauctorando Pontifice, quantùm ipſe Pontifex ſibi falsò contra legem Euangelicam arrogat adverſus Principes. Ex quo non poſſum ſatis Cardinales Bellarminum atque Perronium demirari, quod ad ſuæ opinionis patrocinium Joannem Pariſienſem abducere voluerint. Decimò tertiò explicat quidnam ſit gladium materialem ſtringi oportere ad nutum Sacerdotis juxta mentem S. Bernardi: ſi quidem rectè perhibet nihil aliud eſſe quàm Eccleſiaſticos nutu & ſupplicatione efficere apud Reges & Principes politicos, ut ſuppetias ferant Eccleſiæ. Quæ omnia exemplis illuſtrat oſtendens aliquos Pontifices abdicatos fuiſſe ab Imperatoribus. Et 4 Regum 12. *Regem Joas Sacerdotes ad ea facienda coëgiſſe quæ ſui erant officii.* Decimò quintò concludit totam poteſtatem & juriſdictionem Eccleſiaſticam eſſe ſpiritualem, atque in cenſuris canonicè ferendis conſiſtere; neque Eccleſiaſticos quicquam ulterius quod faciant habere niſi indirectè & per accidens; idque comprobat ex cap. 18. Matthæi. *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus:* Subjungit Gloſſarum atque Chryſoſtomi teſtimonia. Et D. Paulum 1 Corinth. 5. & cap. 3. ad Titum: *Solam converſationem & vitæ communionem cum hæreticis & excommunicatis prohibere.* Nam clarè docet hominem hæreticum poſt unam & ſecundam correptionem devitandum, quia ille ſubverſus eſt, &c. Aitque Pariſienſis nominatim notandum, quod Apoſtolus non dicit: *combure, ſed devita hæreticum, &c.* Hæcque omnia ad pœnas ſpirituales non temporales pertinere: ſicut & quæ dicuntur Petro Joannis ultimo: *Paſce oves meas, &c.* Hoc enim ſpiritualiter intelligi debet. Decimò ſextò perhibet Eccleſiaſticos jure divino naturali præditos eſſe poteſtate accipiendi neceſſaria ad debitam vitæ ſuſtentationem; idque appellari jus percipiendi temporalia: neque ratione hujus juris Chriſtianos quoſcumque, vel etiam politicos Principes dici poſſe ſubditos, ſed debitores Eccleſiaſticis, qui illis miniſtrant ſpiritualia: quoniam Chriſtus Mathæi. 10. pronuntiat *omnem operarium eſſe dignum mercede ſuâ:* & Apoſtolus: *Non alligandum eſſe os bovi trituranti.* Quæ doctrina apprimè contra Bellarminum militat cap. 3. adversùs Barclaium ſtatim initio, ubi perſuadere laborat Principes Chriſtianos hac de cauſa ſubditos eſſe Pontifici,

Digitized by Google

ci, quòd hic illis imperare poſſit, ut neceſſaria ad vitam Sacerdotibus ſuppeditent. Quaſi verò non longè aliud eſſet debitorem, & aliud ſubditum eſſe: quandoquidem etiam pueri norunt Regem Franciæ verbi gratiâ, eſſe poſſe debitorem ſuis ſubditis, cum ſæpe uſu eveniat ut Reges à mercatoribus, aut aliis nummariis triconibus, vulgò ſinanciarios vocant, pecunias mutuò accipiant, magnoque fænore redimant: quibus tamen propterea jure dominii ſubditi non ſunt. Sed ſicut adverſariis in more poſitum eſt ſemper cavillari, & quæſtionem juris quæſtione facti implicare: ita Bellarminus in ſuo perſonato Schulckemio cap. 8. n. 201. perſuadere vult hunc Joannem de Pariſiis fuiſſe Joannem Polliacenum, cujus errores damnatos fuiſſe prætexit à Joanne 22. Extravagante. *Vas Electionis*. Ex quo efficere vult non magnam haberi oportere rationem auctoritatis illius, ejuſque librum errores admixtos habere: ſic enim viro doctiſſimo Joanni Pariſienſi apud imperitos fidem, ſed fruſtra detrahere nititur, quia nulli planè ſunt in ejus opere errores: & alius eſt à Joanne Polliaceno. Hic enim erat ſocius Sorbonicus Doctor ſæcularis, cujus effigies adhuc hodie viſitur in Bibliotheca Collegii Sorbonæ, de quo alius erit dicendi locus. At Joannes Surdus cognomine Pariſienſis nomen dederat Ordini Dominicanorum, eratque Polliaceno antiquior, quippè ſub Bonifacio VIII. & Polliacenus ſub Joanne 22. floruit.

Porrò Joanni Pariſienſi Doctori Scholæ Sorbonicæ ejuſdem Scholæ alios ſubjungam Doctores, ut pateat quænam illis temporibus totius Scholæ Pariſienſis extiterit doctrina *de poteſtate Papæ in rebus temporalibus*; ordiarque à Petro Alliaceno Magno Collegii Navarræ Magiſtro, & Eccleſiæ Pariſienſis Cancellario in quæſtione reſumptiva, quæ extat inter quæſtiones quas idem Alliacenus edidit ſuper Magiſtrum ſententiarum. Ille ergo velitans adverſus quemdam Magiſtrum Theologiæ, qui in ſuis veſperiis temerè aſſeruerat *B. Petrum eſſe Monarcham in temporalibus, ſicut & Chriſtum: Ita ſuam argumentationem inſtruit & promovet: Si Chriſtus eſſet ſecundùm humanitatem Monarcha regalis: tunc Petrus Apoſtolus ſicut ſucceſſit Chriſto in Monarchia Sacerdotali, ſic ſuccedere debuiſſet in Monarchia regali. Conſequentia videtur bona, quia non apparet ratio diverſitatis: Sed conſequens videtur falſum; quia quòd Petrus talem Monarchiam habuerit, non habetur ex Scriptura ſacra: quare hoc aſſerere apparet temerarium.* At ille Magiſter quem Alliacenus debellat, reſpondet duobus modis: primò negando conſequentiam, *& aſſignando rationem diverſitatis, dicendo*

Digitized by Google

cendo quod ex cauſa rationabili, quæ tamen non habuit locum in Chriſto tempore novæ legis, regnum diviſum eſt à Sacerdotio: ſcilicet ne Sacerdotes vocati ad altius exercitium ſpiritualis vitæ, negotiis ſæcularibus implicarentur: Et hæc eſt, ut dicit, ratio Apoſtoli 2 ad Timoth. 2. *Alio modo reſpondet negando conſequens illatum: Non eſſe inconveniens de Beato Petro & de quolibet Papa ejus ſucceſſore, intelligendo de Monarchia regali quoad auctoritatem originalem architectonicam. Sed contrà arguitur; quia ſi prima reſponſio ſit bona, & ratio diverſitatis in ea aſſignata. Sequitur quod ſecunda reſponſio ſit mala; quia per primam in nova lege regale dominium non eſt cum Sacerdotio; nec Sacerdotes debent ſæcularibus negotiis implicari. Igitur ſummus Sacerdos non dominatur tali dominio temporali; per quod retraheretur ab exercitio ſpirituali, juxta illud Apoſtoli: nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus.* 2 ad Tim. 2. *Sic una reſponſio interimit aliam. Tamen ad fundamentum ſecundum, ſecundùm reſponſionem ponit duas propoſitiones. Prima eſt quamvis Papa de jure divino & naturali utramque ſcilicet ſpiritualem & temporalem habeat juriſdictionem auctoritativè, non tamen æqualiter executivè. Prima pars probatur: quia temporalia ſe habent tanquam diſpoſitiones ad ſpiritualia. Igitur apud quem eſt plena auctoritas ſpiritualium, apud illum etiam eſt auctoritas ordinandi de temporalibus, &c. Item quicumque habet auctoritatem judicandi de ſpiritualibus; ad illum etiam reducitur auctoritas judicandi de temporalibus. Igitur, &c. Antecedens probatur; quia temporalia non niſi ſecundùm ſpiritualia debent judicari & ordinari juxta illud Apoſtoli* 1 Corinth. 6. *Angelos judicabimus: quantò magis ſæcularia. Gloſſa, id eſt de rebus ſæculi, & ad hoc inducit Decretales Extravag. Qui filii ſunt legitimi. cap. per venerabilem. Item deduci poteſt ex dictis Apoſtoli* 1 Corinth. 2. *dicentis quod ſpiritualis omnia judicat, &c. Secunda probatur, quia in temporalibus Papa non habet meram executionem ſicut in ſpiritualibus, ſed ſolùm in certis caſibus habet executivam jurisdictionem temporalem, ſicut probant jura, quæ tamen Magiſter ille non allegat cauſa brevitatis. Tangit etiam ibi auctoritatem Scripturæ* Deut. 17. *ex qua concludunt jura ſicut ipſe dicit: quod cùm in temporalibus aliquid fuerit difficile vel ambiguum, tunc eſt ad judicium Sedis Apoſtolicæ recurrendum, &c.*

Sed iſta poſſunt apparenter ſolvi & contra ipſum magiſtrum reduci, inquit Alliacenus: unde ad primam & ſecundam ſimul poteſt dici quod temporalia, id eſt negotia rerum temporalium & ſæcularium, ſicut principatus, dominium, vel judicium coactivum, non diſponuntur, nec ordinantur ad ſpiritualia: imo magis ea impediunt. Unde ſuper illo verbo Apo-

Apoſtoli prius allegato: Nemo militans Deo, &c. Dicit Gloſſa Ambroſii quod ſicut nemo poteſt duobus Dominis ſervire; ſic nec Deo militare in ſpiritualibus qui implicat ſe negotiis ſæcularibus quibuſlibet: Et dicit quibuſlibet, nullum excipiendo. Item nec concludit illa auctoritas Apoſtoli 1 Corinth. 6. *Angelos judicabimus, &c. Quia ibi alloquitur Apoſtolus omnes generaliter de Corintho ad quos ſcribebat Epiſtolam. Unde contendebant de ſæcularibus judicibus, ipſos monebat ut ex cœtu fidelium aliquos judices conſtituerent; non quidem Epiſcopos aut Sacerdotes, ſed alios, propter quos ſubdit: ſæcularia igitur judicia ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum, &c. Ubi Gloſſa ſecundùm Ambroſium & Auguſtinum: contemptibiles, id eſt aliquos ſapientes, qui tamen ſint minoris meriti, ſupple quàm Apoſtoli vel Miniſtri Euangelii. Illos conſtitue ad judicandum: Et cauſa redditur, quia Apoſtoli talibus non vacabant. Unde etiam Gloſſa ſecundùm Gregorium: hi, inquit, terrenas cauſas examinent, qui exteriorum rerum ſapientiam perceperunt. Qui autem ſpiritualibus donis ditati ſunt, terrenis non debent negotiis implicari. Et hæc eſt etiam ſententia Bernardi ad Eugenium Papam lib. 2. cap. 5. ſi autem aliqua dicta Sanctorum videantur innuere quod judicia ſæcularia ad Epiſcopos pertineant; ſicut etiam videtur innuere illa Decretalis Per venerabilem. Ad omnia talia poſſe dici, ea debere intelligi non de Judicio coactionis ſed de judicio diſcretionis: vel hoc ad eos pertinere non jure naturæ aut divino, ſed humano & poſitivo, de quo ad præſens non eſt intentio. Item illa auctoritas ſpiritualis omnia judicat: non videtur digna ſolutione, quia omninò eſt extra propoſitum: nam Apoſtolus vocat ſpiritualem, non Epiſcopum aut Sacerdotem, ſed prout diſtinguitur contra carnalem, quod patet per illud quod præcedit. Animalis homo, inquit, id eſt qui habet animam ad carnalia depreſſam, non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, id eſt ſpiritualia: Nec Apoſtolus loquitur de judicio rerum ſæcularium, ſed ſpiritualium, quod patet ex auctoritate quam allegat ex* Iſaiæ 40. *Quis enim cognovit ſpiritum Domini, &c. Item ad illam auctoritatem Deuteronomii. Si difficile & ambiguum, &c. Poteſt dici quod loquitur de Sacerdotio veteris legis; nec ſecundùm ſenſum litteralem debet extendi ad Sacerdotes novæ legis propter cauſam ſupra tactam. Ideò per illam non ſufficienter probatur quod ad eos pertineat judicium coërcitivum de jure divino.*

Secunda propoſitio Magiſtri eſt: *Quod Sacerdos Apoſtolicus ſe habet ad Reges & Principes ſicut Architector ad Manuarios artifices: probatur, quia Sacerdos Apoſtolicus habet cognoſcere propter quid, & dare leges & regulas judicandi ſecundùm quas Principes ſæculares debent populum*

Digitized by Google

regere & juriſdictionem exercere; nec poſſunt legibus uti quæ eis aliquo modo ſunt contraria vel earum impeditiva. Sed quia Magiſter hoc dicit pure voluntariè & ſine allegatione Scripturæ authenticæ; ideò non juſtè: reputo enim clarum quod non probat eſſe de jure naturali aut divino, ſicut nec alia dicta ſua. Hic autem dicit quod miratur de modo meo arguendi quem feci in prima ratione, dicendo: hoc non habetur ex Scriptura ſacra. Igitur temerarium eſt hoc aſſerere: Nam multa circa materiam Trinitatis & corporis Chriſti tenemur credere quæ ſacra Scriptura non expreſſit, ſed per doctrinam vocalem Apoſtolorum & Traditiones Eccleſiæ ad nos pervenerunt. Quare, &c. Ad hoc reſpondeo quod in materia de qua loquimur erat opus de hoc expreſſam mentionem facere, cùm ſit clarum quod nec ex doctrina vocali Apoſtolorum aut Traditione Eccleſiæ habetur, quòd Chriſtus aut Petrus, aut alii Apoſtoli & eorum ſucceſſores geſſerint ſe tanquam Reges aut Principes temporales, nec quod eis impoſuerunt leges aut regulas judiciales, nec quod circa eos judicia ſæcularia exercuerint, ſed ſuis legibus & judiciis ſe humiliter ſubjicere voluerunt: Nam Chriſtus per Pilatum Vicarium Romani Imperatoris ſuſtinuit judicari: Et licet fortè ſignificaverit ſe pati injuſtum judicium, non tamen contra ipſum tanquam contra non judicem reclamavit: imò per hoc quod dixit ei: Non haberes poteſtatem ullam adverſum me, niſi tibi datum eſſet deſuper. Joannis 19. *Innuere videbatur quòd haberet poteſtatem ipſum judicandi, & hanc deſuper, id eſt à Deo ſecundùm Auguſtinum. Petrus etiam non dicebat totum mundum in temporalibus ſibi eſſe ſubjectum, ſed loquens de principibus ſæcularibus dicebat: Obedite Dominis veſtris etiam Dyſcolis* 1 Petri 2. *Et Paulus: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Rom. 13. *Et dicit: Omnis anima, id eſt omnis homo nullum excipiendo. Ipſe etiam ad Cæſarem tanquam ad judicem appellavit: unde dicit ad tribunal Cæſaris ſto; ibi me judicari oportet* Actuum 25. *Ubi gloſſa: quia, inquit, hic eſt locus judicii, &c. His ergo conſideratis videretur eſſe temerarium dicere & aſſerere illa quæ ſuperiùs recitata ſunt, eſſe de jure divino, niſi ad hoc cogat Scripturæ ſacræ auctoritas, &c.*

Secundò principaliter arguebam ſic: quod Chriſtus ſecundùm humanitatem habuerit totius orbis Monarchiam regalem, non convincitur ex Scriptura ſacra, nec ex illis auctoritatibus quas ille Magiſter allegat: quia omnes illæ, & ſi quæ ſunt ſimiles, vel non dicuntur de Chriſto ſecundùm ſenſum litteralem; vel intelliguntur de Chriſto ſecundùm divinitatem. Igitur illud dictum eſt voluntarium & quæ facilitate dicitur, eadem facilitate reſpuitur: Et confirmatur quia ex Scriptura ſacra apparentius convincitur oppoſitum.

Digitized by Google

ſitum. Nam Chriſtus interrogatus utrum Rex eſſet? Reſpondit Pilato: Regnum meum non eſt de hoc mundo. Joan. 18. *Per hoc dans intelligere quod ipſe ſecundùm humanitatem, quantùm ad temporalia quæ mundana vocat, non habebat totius orbis Monarchiam regalem. Contra rationem quia videtur replicatio eſſe ſolutio argumenti ſui: Ipſe Magiſter replicat per aliquas auctoritates. Prima eſt Apoſtoli* Epheſ. 1. *Ubi dicitur quod Deus Pater Chriſtum ſuſcitaverit à mortuis, & illum conſtituerit ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſuper omnem principatum & poteſtatem, & virtutem, & dominationes, &c. Et omnia ſubjecerit ſub pedibus ejus, & ipſum dederit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, &c.*

Pro ſolutione iſtorum pono iſtam diſtinctionem, inquit Alliacenus, quòd Regnum Chriſti ſive ejus regale dominium poteſt imaginari triplex. Unum ſcilicet divinum per quod ſecundùm divinitatem eſt Rex & Dominus omnium, ſicut Deus Pater. Et de iſto dominio poteſt intelligi illa auctoritas Apocalyps. Rex Regum & Dominus dominantium: Licet ſecundùm gloſſam Chriſtus habuerit ſcriptum in veſtimento humanitatis: Rex Regum, &c. Unde per communicationem idiomatum idem dominium quod conveniebat Deo, conveniebat etiam homini Chriſto. Nec etiam loquitur ibi Scriptura de tali dominio de quo loquimur, ſcilicet de dominio temporali, ſed de dominio regni æterni: unde gloſſa ſubdit: Rex Regum, ſcilicet ſuper omnes ſanctos. Aliud eſt Chriſti dominium ſcilicet humanum, quod Chriſto convenit ſecundùm humanitatem; & iſtud poteſt ſubdiſtingui & intelligi duplex: unum ſpirituale ſive ſacerdotale: aliud temporale ſive ſæculare. De ſpirituali ſive ſacerdotali regno loquitur Pſalmiſta: Sedes tua vel thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi. Et generaliter regnum ſive imperium Chriſti, de quo Prophetæ ſunt loquuti; ſive ejus ſedes aut thronus aut poteſtas Regis intelligenda ſunt de regimine ſpirituali quoad ſalutem æternam acquirendam, & non de temporali ſive corporali: quod poſſet faciliter ex Scripturis declarari; Sed ad præſens ſufficit illud quod allegatur Hebr. 1. *Ubi ſecundùm Apoſtoli ſententiam iſta ſedes vel poteſtas permanſura eſt in ſæculum ſæculi, id eſt ſine fine, &c. Ad idem facit illud* Daniel. 7. *Poteſtas ejus, poteſtas æterna quæ non auferetur: Et regnum ejus quod non deſtruetur ſive corrumpetur. De temporali ergo & corruptibili regno non intelliguntur Scripturæ; nec tale regale dominium dicunt Chriſto convenire: Et maximè loquendo de generali regno totius mundi. Quicquid ſit de ſpeciali regno Judaici populi, de eo nihil ad præſens; ſed intelligitur de regno ſacerdotali: nec obſtat ſi Sacerdotium regnum dicatur in Veteri Teſtamento, cum etiam in Novo Petrus Apoſtolus Sacerdotium Chriſti vocet regale*

Digitized by Google

Sacerdotium. Quare, &c. Sed adhuc eſt aliud Chriſti regnum, ſive regale dominium, non temporale ſeu terrenum, ſed cœleſte & æternum ac ſupernaturale ſeu miraculoſum: Et de tali dominio vel poteſtate intelliguntur hæ auctoritates 1 ad Epheſios. *Quòd Deus ſubjecerit ſub pedibus Chriſti omnia, & ipſum dederit caput ſuper omnem Eccleſiam, &c.* Item Hebr. 2. *Non enim Angelis ſubjecit Deus orbem terræ, ſed Chriſto quem paulò minùs ab Angelis minoravit, &c.* Item Matthæi ultimo: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra: quæ omnia non pertinent ad dominium humanum, ſeu temporale vel terrenum de quo ad præſens loquimur, ſed ad dominium regni æterni, quod Chriſtus in ſua paſſione meruit, juxta illud Apoſtoli* Philipp. 2. *Humiliavit ſemetipſum, &c. Propter quod Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium & infernorum. Hoc ergo dominium licèt Chriſtus ab inſtanti ſuæ conceptionis habuerit ſecundùm aliquos, tamen non niſi rarò & ſupernaturaliter ac miraculosè uſus fuit illo, ſicut in ejectione dæmoniorum in porcos, & præcipitatione porcorum in mare.* Marci 5. *In areſactione ficulneæ* Matthæi 21. *& aliis quibuſdam factis miraculoſis ad confirmationem fidei & ſuæ divinitatis, & non ad oſtendendum poteſtatem ſeu auctoritatem humani ſeu terreni Principatus, &c.*

Tertiò principaliter arguebam. Sic Chriſtus tenuit arctiſſimam paupertatem. Igitur non habuit Monarchiam temporalem ſeu regalem. Conſequentia tenet, quia arctiſſima paupertas excludit tam in proprio quàm in communi omne dominium temporalium rerum: Et per conſequens regale dominium. Antecedens patet, quia Chriſtus tenuit & ſervavit omne illud quod ipſe ad Euangelicam perfectionem pertinere docuit juxtà illud Actuum 1. *Cæpit Jeſus facere & docere: Et ipſe docuit arctiſſimam paupertatem ad Euangelicam perfectionem pertinere. Igitur, &c. Confirmatur antecedens probando per octo media, quod Chriſtus facto & verbo ſummam paupertatem docuit. Primò ait per Prophetam: pauper ſum ego, & in laboribus à juventute mea.* Pſal. 87. *Secundò. Propter nos egenus factus eſt.* 2 Corinth. 8. *Tertiò in ſua nativitate omnia paupertatis ſigna oſtendit: Invenietis infantem poſitum in præſepio.* Lucæ 2. *Quartò dixit: vulpes foveas habent, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Lucæ 9. *&c. His ergo attentis cùm ex ſcriptura pateat quòd Chriſtus ſecundùm humanitatem oſtenderit ſe in omnibus eſſe pauperem, mirandum eſt quomodo aliquis dicat ipſum fuiſſe Monarcham totius orbis & Regem temporalem, cum etiam ſe eſſe Regem negaverit* Joannis 18. *& à turbis regnum reſpuerit, Cæſaris imperium recognoverit: Reddite quæ ſunt Cæſaris,*

Digitized by Google

ris, Cæſari, Matthæi 22. *&c. Nam licèt Chriſtus quantùm ad uſum aliqua tam in proprio quàm in communi habuerit: In proprio quidem ſicut cibum, potum & veſtimenta propria: In communi verò loculos quos Judas ſervabat* Joannis 12. *In quibus loculis ſecundùm gloſſam* Matthæi 18. *erant communia ſcilicet Chriſto & Apoſtolis. Tamen hoc certum eſt quòd in iſtis ſeu in aliis quibuſcumque rebus temporalibus Chriſtus ultra uſum non habuit propriè dictum dominium ſive in proprio ſive in communi: Et quòd ſua arctiſſima paupertas quam docuit & ſervavit, tale dominium excludit. Nam ubi dat conſilium perfectionis, dicens: ſi vis perfectus eſſe, &c. Nihil excipit, ſed dicit: omnia quæcumque habes, da pauperibus: nec addit proprium vel commune, ſed univerſaliter hoc intelligit. Ideo ſignum univerſale ingeminat dicens: omnia & quæcumque. Igitur tale dominium non habuit, nec habere voluit, &c.*

Verùm hæc Cardinalis Alliaceni ſententia quamquam adversùs plenum & directum dominium in temporalibus decertet, nihilominùs æquè etiam indirectam opinionem Bellarmini labefactat, qui quidem non modò dominium, verùm etiam uſum gladii materialis Summo Pontifici ad cogendos & abdicandos Reges Eccleſiæ parere detrectantes arrogat contra cauſas eſſentiales poteſtatis miniſterialis ſpiritualis Chriſti, quam ſolam Eccleſiæ reliquit, eſtque jure divino & naturali omni facultate cogendi temporaliter orbata, ſicut etiam probat Alliacenus, qui eam ob rem ſolum judicium diſcretionis Eccleſiæ in temporalibus concedit; coactivam verò poteſtatem omnino denegat; niſi fortè ſecundùm jus humanum, quatenus Eccleſiaſtici ex Principum Chriſtianorum indulgentia & conceſſione aliquam habent juriſdictionem & dominium temporale. Certè in hac doctiſſima quæſtione reſumptiva Cardinalis Alliacenus omnia fundamenta recentiorum Theologorum de poteſtate Papæ in rebus temporalibus demolitur.

Gerſonius Magiſtrum ſuum Alliacenum ſequitur libro de poteſtate Eccleſiaſtica, conſideratione 4. ubi de Excommunicatione diſſerit. *Sunt qui dicunt,* ait, *pœnam hanc eſſe ultimam quam infligere poteſt Eccleſiaſtica poteſtas juriſdictionis ex inſtitutione Chriſti ſola primaria: ſic quòd non extendatur ad incarcerationem, nec ut aliquis adjudicetur morti, vel flagello corporali: ſed facit hoc Eccleſiaſticus, dum facit ex conceſſione Principum. Quemadmodum multam ob eorum devotionem juriſdictionis temporalis auctoritatem Clerus accepit: quæ nihilominus juriſdictio vel cenſura dicitur ſpiritualis: ſicut & Eccleſiaſticorum bona temporalia propter dedi-*

Digitized by Google

dedicationem & applicationem ad eos qui miniſtrant Eccleſiæ, ſicut panes propoſitionis, primitiæ & decimæ.

Ibidem aliquantò inferiùs oſtendit excommunicationem periculosè & ſcandalosè uſurpari ad defenſionem rerum temporalium, cùm natura ſua ſpiritualis, & propter finem purè ſpiritualem inſtituta ſit. Quæ omnia congruunt doctrinæ Magiſtri Joannis Pariſienſis, cujus habes ſuprà analyſim. *Hæc autem applicatio gladii ſpiritualis ad defenſionem temporalium, ſi confuſionem magnam in Eccleſia, ſi vilipenſionem vel contemptum Euangelicæ illius cenſuræ, quæ excommunicationis gladius eſt extremè formidabilis: ſi denique laqueos animabus multorum magis quàm ſalutem ſpiritualem induxerit vel inducat, experientiam teſtem voco, inquit Gerſonius.*

Ibidem Conſideratione 12. *Poteſtas Eccleſiaſtica Papalis non ita habet dominia & jura terreni ſimul & cœleſtis imperii, quòd poſſit ad libitum ſuum de bonis Clericorum, & multò minùs Laicorum diſponere: quamvis concedi debeat quod habet dominium quoddam in eis regitivum, directivum, regulativum & ordinativum. Declarationem hujus Conſiderationis, quam diſcretio moderatrix atque mediatrix ponit inter errores oppoſitos, dum facere meditarer, occurrere viſa eſt protinus in ipſo meditationis meæ ſecreto duplex improba peſtis. Nomen unius, detractio livida: nomen alterius, adulatio ſubdola. Prima poteſtatem Eccleſiaſticam deprimens ſubjiciebat temporali: altera ſuſtollebat in immenſum, velut ad ſimilitudinem Altiſſimi confundens jura cujuſlibet alterius poteſtatis. Tolle, tolle, clamat detractio temporalitatem omnem, jus vel dominium ab Eccleſiaſticis. Quare? quia ſic inſtituit Chriſtus, cujus iſta vox eſt: niſi quis renuntiaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Conſurgit ex adverſo blandiens & ſubdola adulatio & ad aures Eccleſiaſticorum, præcipuè ſummi Pontificis inſuſurrans: ô quanta eſt, quanta ſublimitas Eccleſiaſticæ poteſtatis tuæ! ô Sacer Clere, quam nihil eſt ſæcularis auctoritas tua comparata! quoniam ſicut Chriſto collata eſt omnis poteſtas in Cœlo & in terra; ſic eam Chriſtus omnem Petro ſuiſque ſucceſſoribus dereliquit: unde & nec Conſtantinus quicquam Sylveſtro Papæ contulit, quod non eſſet prius ſuum; ſed reddidit injuſtè detentum. Porrò ſicut non eſt poteſtas niſi à Deo, ſic nec aliqua temporalis vel Eccleſiaſtica, Imperialis vel Regalis niſi à Papa in cujus femore ſcripſit Chriſtus: Rex Regum, Dominus Dominantium: de cujus poteſtate diſputare inſtar ſacrilegii eſt: cui neque quiſquam dicere poteſt: cur ita facis? ſi etiam temporalia omnia, ſi Eccleſiaſtica bona atque dominia mutaverit, diripuerit, diſtraxerit. Mentior,*

Digitized by Google

tior, ſi non inveniantur hæc ſcripta ab illis etiam qui ſapientes ſunt in oculis ſuis: ſi præterea non inveniantur fuiſſe per aliquos ſummos Pontifices hæc credita. Notum eſt illud Satyrici: nihil eſt quod credere de ſe non poſſit, cùm laudatur: Diis æqua poteſtas. Et illud Comici, de adulatore: Hic profectò ex ſtultis inſanos facit. Sentiens autem adulatio quandoque nimis ſe cognoſci, ſtudet quaſi modeſtiori ſermone depreſſiùs uti, ut credibilior appareat. Concedit ſæculari poteſtati poſſeſſiones & jurisdictiones proprias, quas tollere nequit pro libito Papa: recognoſcit Conſtantinum vel alios Principes aliquid Eccleſiæ noviter contuliſſe, nihilominùs tradit quòd Summus Pontifex ſupremus eſt Monarcha nedum in ſpiritualibus ſed temporalibus, habens poteſtatem hanc immediatè à Chriſto: Sed alii Reges omnes & Principes ſuam recipiunt dominationem ab eo, & ſolùm mediatè à Deo. Alioquin ut monſtruoſus eſſet hic mundus, ſi haberet tot capita quæ non ſub unico regerentur; rediretque Manichæi deliramentum ponentis duo principia: unum bonorum: aliud malorum & temporalium: unde & ſicut corpus eſt propter animam, & ab anima vivit & regitur: Sic poteſtas ſæcularis propter ſpiritualem, à qua recipit ſuum eſſe legitimum. Quam auctoritatem ſpiritualem qui negant vel impugnant, ſive intus, ſive foris Eccleſiam, poſſunt gladio vel ſpirituali excommunicationis, ſicut Catholici, vel debellationis ſicut infideles feriri, & eorum dominia vel bona in alios transferri. Hanc æſtimationem habuiſſe viſus eſt Bonifacius VIII. in quadam Decretali: Et in hac fundari putatur ab aliquibus Dominorum Prutenorum adversùs infideles debellatio ſuorumque bonorum & dominiorum conquiſitio. Putatur ab aliis depoſitio unius Regis Franciæ per Papam Zachariam hic eſſe fundata, tanquam Papa ſit qui poſſit transferre Reges & regna. Rurſus animadvertens adulatio durum eſſe multis hunc ſermonem, & ideo minùs credibilem, ſtudet loqui reſtrictiùs, concedens quòd ſicut ante Petrum fuerunt apud infideles vera dominia, quemadmodum irrefragabilis auctoritas Sacræ Scripturæ & Euangelicæ narrationis teſtis eſt, &c. Tandem miſerante Deo moderatrix diſcretio colluſtrata lumine legis Euangelicæ mediam ac Regiam viam tenens inter devios errores extremos detractionis & adulationis ponit hanc conſiderationem duodecimam cum prioribus tanquam ſignum aliquod oſtenſivum itineris recti, ne fortè offendant ad lapidem erroris pedem ſuum inquiſitionis ſcrutatores veritatis. Unde dicimus Eccleſiaſticos & capaces eſſe bonorum temporalium, & multa eis ex debito, non ex eleemoſina pura competere: & non debere eos coërceri vel ſpoliari per ſæcularem poteſtatem, &c. Poſtremò ſuis ſe terminis ita poteſtas Eccleſiaſtica coërceat, ut meminerit poteſtatem ſæcularem etiam apud infideles

Digitized by Google

ſua habere propria jura, ſuas dignitates, ſuas leges, ſua judicia de quibus occupare ſe Eccleſiaſtica poteſtas non præſumat vel uſurpet, niſi dum redundat abuſus poteſtatis ſæcularis in impugnationem fidei & blaſphemiam Creatoris, & in manifeſtam Eccleſiaſticæ poteſtatis injuriam. Tunc enim attendere convenit ultimam hujus conſiderationis duodecimæ particulam: quòd in his Eccleſiaſtica poteſtas habet dominium quoddam regitivum, directivum, regulativum & ordinativum. Concludunt hoc, & nihil ferè aliud rationes & allegationes omnes induci ſolitæ: quòd plenitudo poteſtatis Papalis ſuperior eſt, & omnem aliam Eccleſiaſticam & temporalem. Quamvis ſub hoc reſpectu poteſtas univerſalis Eccleſiæ vel generalis Concilii legitimè congregati dici poſſit major in amplitudine vel extenſione; major in infallibili directione; major in morum reformatione in capite & in membris; major in coërcitiva poteſtate; major in cauſarum fidei difficilium ultimata deciſione; major denique, quia copioſior. Complectitur enim ſaltem virtualiter omnem poteſtatem & omne politicum regimen, Papale, Imperiale, Regale, Ariſtocraticum, Democraticum, prout aliàs deductum eſt ex deſcriptione Concilii Generalis.

In hac conſideratione Gerſonius clarè Bonifacii VIII. Extravagantem unam ſanctam; & continuò etiam poteſtatem indirectam Bellarmini oppugnat, quando Eccleſiæ relinquit ſolum *dominium quoddam regitivum, directivum, regulativum & ordinativum abſque ulla coactione extrinſeca*, quam fautores indirectæ poteſtatis tribuunt Eccleſiæ contra eſſentiales cauſas auctoritatis Eccleſiaſticæ, ut ſæpè dicendum eſt. Et ita etiam patet Cardinalem Perronium fruſtrà ad cauſæ ſuæ patrocinium hunc locum Gerſonii detorſiſſe: qui ſolummodò demonſtrare voluit quonam ſenſu capi debeat hoc Nicolai pronuntiatum: *Quòd Dominus B. Petro æternæ vitæ clavigero terreni ſimul & cœleſtis jura Imperii commiſerit. Diſt. 22. canone omnes:* Et Decretalis Bonifacii *unam ſanctam:* concludit enim omnia quæ pro Papæ auctoritate in temporalibus adduci ſolent, nihil aliud efficere *quàm Eccleſiam dominium quoddam habere regitivum & directivum,* juxta doctrinam Joannis Pariſienſis & Alliaceni ſuprà laudatam: quod Pariſienſis Cancellarius conſideratione 4. libri de poteſtate Eccleſiaſtica ita confirmat: *Sunt qui dicunt*, ait, *pœnam Excommunicationis eſſe ultimam quam infligere poteſt Eccleſiaſtica poteſtas juriſdictionis ex inſtitutione Chriſti ſola primaria, &c.* De ſe autem hîc loquitur in tertia perſona. Cùm enim tractatum doctiſſimum de Eccleſiaſtica poteſtate integrum, & qualem habemus coram Patribus Synodi Conſtantienſis recitarit; una dare operam voluit, ne curiæ Romanæ ho-

homines (qui omni viâ & ratione impedimenta reformandæ Eccleſiæ nectebant, ſicut ex actis liquet) dicta ſua graviùs acciperent, & inde occaſionem turbandæ reformationis captarent. Quocirca toto in hoc tractatu D. Bernardi æmulatione ad Eugenium, tectè atque obliquè loquitur Gerſonius, ut vel hujus duodecimæ conſiderationis lectione innoteſcit. Porrò cùm poteſtas Eccleſiaſtica non ſe extendat ad eos qui foris ſunt. 1 Corinth. 5. Planum eſt illa verba Doctoris Chriſtianiſſimi *de quodam dominio regitivo & directivo Eccleſiaſticorum in res temporales*, reſtringi ad illos tantùm Principes qui nomen dederunt Euangelio: ſi fortè contingeret illos infeſtos eſſe Chriſtianæ & orthodoxæ Religioni. Hinc autem claret Gerſonium eos improbare, qui putant ſolam Religionem orthodoxam juſtum dare titulum regni atque principatus: Nam diſertè ait legitimas poteſtates politicas etiam inter infideles regnare, &c. Quod autem perhibet poteſtatem univerſalis Concilii ſaltem virtualiter omnem complecti poteſtatem & regimen politicum, Papale, Imperiale & Regale, Ariſtocraticum, &c. Id lumen capit ex definitione Concilii, quam eâdem conſideratione tradit Gerſonius ſtatuens & Imperatorem & Reges, atque omnes alias Reipublicæ formas admitti debere ad Concilium; ita ut nullus fidelis qui audiri velit, excludi debeat.

Jacobus Almainus pariter Scholæ Sorbonicæ Doctor hanc quæſtionem fuſiùs & clariùs tractat; atque omnem occaſionem ambigendi tollit: primum in medio quæſtionis reſumptivæ, de dominio naturali, civili & Eccleſiaſtico, concluſione ſecundâ, parte ultimâ, ubi diſputat *poteſtatem temporalem non eſſe annexam poteſtati Eccleſiaſticæ. Ultima pars eſt quòd ex inſtitutione Chriſti auctoritas Eccleſiaſtica nullam habet poteſtatem laicam annexam. Iſta propoſitio patet auctoritate Bernardi dicentis: Non in poſſeſſionibus ſed in criminibus poteſtas veſtra: Et ex cap. novit de judiciis, ubi Innocentius ad Prælatos Franciæ ſcribens: Non enim intendimus, inquit, judicare de feudo cujus judicium ad Regem ſpectat: Sed decernere de peccato, cujus ad nos pertinet ſine dubitatione cenſurâ, quam in quemlibet exercere poſſumus & debemus. Secundò probatur eadem propoſitio: De ratione poteſtatis Laicæ eſt pœnam civilem poſſe infligere, ut ſunt mors, exilium, bonorum privatio, &c. Sed nullam talem pœnam ex inſtitutione divina infligere poteſt Eccleſiaſtica poteſtas: imo neque incarcerare, ut pleriſque Doctoribus placet: Sed ad ſolam pœnam ſpiritualem extenditur, ut putà excommunicationem: Reliquæ autem pœnæ quibus utitur, de jure purè poſitivo ſunt. Et ſi dicat aliquis: ad poteſtatem Eccleſiaſticam*

Digitized by Google

ſiaſticam ſpectat civiles leges auferre, ut patet cap. ultimo de præſcriptionibus, ubi abrogatur lex permittens præſcriptionem fieri cum mala fide, breviter dicitur, prout habetur in gloſſa in regulam, poſſeſſor de Regulis juris in 6. quod nullam legem civilem auferre poteſt ſuprema poteſtate Eccleſiaſtica fungens, niſi illa contineat peccatum: quemadmodum erat lex illa præſcriptionis: Et actus ille non eſt actus juriſdictionis civilis, ſed Eccleſiaſticæ, ad quam ſingula peccata cohibere ſpectat.

Idem Almainus libro de auctoritate Eccleſiæ cap. 2. differentiam poteſtatis laicæ & Eccleſiaſticæ in foro exteriori aſſignans docet *hoc ipſo primùm diſtingui, quòd una ſit naturalis quantum ad inſtitutionem: altera ſupernaturalis. Secundò ex parte finis, quòd una ſit ad finem naturalem; altera ad finem ſupernaturalem. Tertiò ex parte pœnarum, quia per unam corporalis pœna dumtaxat infligi poteſt, per alteram ſpiritualis præcisè. Quarto ex parte ſubjectorum; quia unius capax eſt etiam infidelis: alterius verò nullus capax eſt niſi ſacro baptiſmate regeneratus. Etiam una ſcilicet temporalis in infideles exerceri poteſt; altera in ſolos fideles.*

Item cap. 8. ejuſdem libri reſponſione ad quintum, oſtendit Papæ, formaliter ut Papa eſt, jus gladii materialis non poſſe convenire. Nam inquit, in terris immediatè ſubjectis ſummo Pontifici, *in quibus Pontifex nullum recognoſcit ſuperiorem quoad temporalitatem, Prætores ſeu judices licitè cauſas ſanguinis exercent, & non auctoritate Pontificis, nec auctoritate alicujus Principis laici, cùm nullus in illum populum jam haberet juriſdictionem; nec etiam auctoritate quæ ſit formaliter in Summo Pontifice: abſit enim dicere in Summo Pontifice eſſe formaliter poteſtatem ad occidendum, cui Dominus uſum gladii materialis prohibuit. Ergo auctoritate quæ eſt formaliter in populo.* Nihil evidentius & certius ad directam aut indirectam poteſtatem Papæ in temporalibus profligandam dari poteſt: quoniam Almainus hic abſolutè negat Papam ut Papam ullâ præditum poteſtate temporali coactiva, qualem Bellarminus, Suares & alii auctores poteſtatis indirectæ ſomniant, cùm ejuſmodi poteſtas coactiva in terris patrimonii Sancti Petri exerceatur auctoritate quæ formaliter eſt in populo non in Papa, aut alio quocumque Principe.

Idem Almainus de poteſtate Eccleſiaſtica & Laica quæſt. 1. cap. 9. circa medium diſputans an vi excommunicationis Papa poſſit deſtituere Reges. Primùm in aciem producit rationes Guillelmi Ockam, quem paſſim Doctorem indigitat, eumque ſtatuere ait *datam poteſtatem coërcitiuam Petro, ut unumquemque fidelem per cenſuras coërceret ad*

divi-

divina præcepta ſervanda, & Chriſtum numquam dediſſe auctoritatem Petro aliquem Regem temporalem à juriſdictione ſua deponendi. Ergo in iſta auctoritate: quodcumque ligaveris ſuper terram, promiſit Petro poteſtatem abſolvendi ſacramentaliter & taxandi pœnam & poteſtatem coërcitivam ad obſervationem mandatorum Dei, & non ad Conſilia, & non dedit poteſtatem Laicos ſuis proprietatibus & dominiis privandi, niſi in caſu ſi contingeret Principem ſæcularem abuti re ſuâ in perniciem Chriſtianitatis vel fidei: ita quod ille abuſus eſſet in maximo nocumento pro conſecutione felicitatis æternæ: Non negat quin in tali caſu Papa poſſit eum deponere, etſi alii Doctores hoc negent; quamvis doceant Papam habere ſolùm poteſtatem declarandi ipſum Principem eſſe deponendum. Patet quia eſſet occaſio quod ratione talis poteſtatis Papa efferretur in maximam ſuperbiam: & illa plenitudo poteſtatis eſſet multum damnoſa ſubjectis: ideo illa eſſet etiam nociva Papæ, & ſubjectis. Et ſic non eſt veriſimile quod Chriſtus ei talem contulerit poteſtatem. Dices: ſi neminem excepit his verbis: quodcumque ligaveris, quomodo audes aliquem excipere? Reſpondetur quòd Chriſtus verbo & exemplo, & Apoſtoli docuerunt aliqua excipienda. Reges dominantur; vos autem non ſic, &c. Similiter exemplo, quando voluerunt eum facere Regem, effugit. Quæ Almaini collectio geminam nobis exhibet ſententiam. Prior eſt Guillelmi Ockam aſſerentis Papam aliquo in caſu poſſe Reges deponere, &c. Poſterior aliorum Doctorum, quorum in numero ipſemet Almainus eſt, abnegantium Papam donatum tali poteſtate Reges exauctorandi; cùm ſolummodò innuere & declarare poſſit, quando obligatio obediendi Principi minimè populum obſtringit: quæ vera eſt Almaini & plurimorum aliorum opinio exiſtimantium Regem à populo abdicari poſſe, quam opinionem ſupra libro ſecundo confutavimus.

Idem Almainus ibidem cap. decimo circa medium. *Tertium corollarium quod ſequitur eſt: quod vitare excommunicatum quantùm ad collocutionem, & quantùm ad illa quæ ſunt merè civilia, non videtur eſſe de jure divino, ſed ſolùm de Jure poſitivo, ut dicit Ockam.* Item eodem cap. 10. versùs finem aſſerit Eccleſiam ſuaſivè tantùm & directivè, non coactivè aut coërcitivè judicare de mediis neceſſariis ad beatitudinem: hocque Durandi à Sancto Portiano argumentum ita proponit atque diruit. *Cujus eſt de fine, ejuſdem pariter eſt de mediis ad illum finem neceſſariis judicare, &c. Reſpondet Joannes de Pariſiis ad Majorem inquit Almainus. Cujus eſt judicare de fine, ejuſdem eſt judicare de mediis, ſupple innuitivè: id eſt innuere quæ ſunt media neceſſaria ad illum finem conſequendum, & quæ impedimenta; & hoc verum eſt quod ad Eccleſiaſticum*

 ſpectat,

Digitized by Google

ſpectat, quia ad eum ſpectat oſtendere quod eſt neceſſarium ad felicitatem conſequendam. Sed ſi intelligas cujus eſt judicare de fine: Ejuſdem eſt judicare judicio coërcitivo & correctivo de quolibet neceſſario ad illum finem: negatur; imò illa eſt falſa univerſaliter. Cujus eſt judicare de fine; illius eſt judicare de mediis judicio coërcitivo: Et hoc ordinariè de quolibet neceſſario vel impediente reſpectu talis finis. Etiam dico quod Summus Pontifex non judicat de beatitudine externo iſto judicio de quo loquimur, ſed per modum doctrinæ & incitamenti, oſtendendo de mediis neceſſariis ad ſalutem. Regulariter ergo civilia ad Laicos pertinent. Hæc ampliùs illuſtrat Almainus exemplo medici, qui ſanitatem conſiderat pro fine, & quæ ipſam impediunt; & tamen media ad ſanitatem conducentia non præſcribit judicio abſoluto coërcitivo, ſed tantum ſuadendo & exhortando.

Ibidem eadem quæſtione cap. decimo quarto ad cap. 13. & quintam allegationem Doctoris Ockam, quæ incipit: *Arguit quintò: Et circa hoc mota eſt quæſtio. Chriſtus habuit ſupremam poteſtatem in temporalibus: ſed Papa eſt ejus vicarius: Ergo habet ſupremam poteſtatem in temporalibus, &c. Dico, inquit, quod ſi Chriſtus illam habuit, non tamen ſequitur: Ergo etiam ejus vicarius: non valet conſequentia. Nam Chriſtus ſecundùm humanitatem majorem poteſtatem habuit quam Papa habeat, puta inſtituendi legem Euangelicam: neque etiam habuit potentiam alligatam Sacramentis: poterat enim condonare peccata ſine applicatione Sacramentorum; & vicarius ejus non habet illam, ſed ſolùm illam quæ explicatur in ſuo vicariatu: Nam dedit ei poteſtatem remittendi peccata, prædicandi, dandi indulgentias, &c. Sed nullibi reperitur quod dederit ei poteſtatem inſtituendi & deſtituendi Reges temporales. Ideo ex collatione poteſtatis ſibi facta à Chriſto, non habet poteſtatem ſupremam jurisdictionis in temporalibus. An Chriſtus illam habuerit à Deo, Credo quod ſic. Data enim, inquit, mihi ſumma poteſtas in cœlo & in terra; & aliquando illam exercuit videlicet quando miſit Dæmones in porcos: alias intuliſſet damnum proximo: ſimiliter quando acceptis funiculis ejecit vendentes & ementes de templo.*

Ibidem quæſtione 2. cap. 12. Doctoris Ockam: *Ad ſeptimam rationem adductam, quærit an Papa habeat jus utriuſque gladii, & poteſtatem abſolvendi Vaſſallos à juramento fidelitatis, quam in rem tribus modis arguit. Primò ſic: Papa poteſt unumquemque Regem deponere, quantum ad illam poteſtatem regalem & jurisdictionem quam habet erga ſubditos. Tunc benè ſequetur: Iſti abſolvuntur à juramento fidelitatis præſtito Regi. Ergo Rex non eſt ampliùs ſuperior eorum, &c. Patet antecedens: Ad Pa-*

Digitized by Google

Papam ordinariè ſpectat diſpenſatio in votis & juramentis: Ergo Papa non ſolum cauſaliter, ſed poteſtate ordinaria & regulari poteſt ſubditos abſolvere ab obligatione juramenti & fidelitatis quod praſtiterunt Principi. Et ecce ratio pracipua Juriſtarum, inquit Almainus, probantium ex illa quòd Papa poteſt dominium temporale auferre ab ipſo Principe.

Secundò arguitur ſic: *Papa poteſt excommunicare Dominum temporalem in cap. Novit de Judiciis: ubi ſe oſtendit habere poteſtatem excommunicandi Regem Francorum: ſed in caſu quo Rex eſſet excommunicatus, Vaſſalli ejus pro tunc non tenerentur ei prabere obedientiam; & pro tunc ſententia lata à Rege nulla eſſet, quia ſententia ab excommunicato lata nullius eſſet efficacia. Ergo pro tunc deponit Papa Dominum temporalem à Juriſdictione quam habet: Et iſta duo ſunt apparentiora argumenta pro parte adverſa.*

Tertiò arguit Doctor Ockam in ſeptima ratione: *Ab illo eſt imperium, qui habet utrumque gladium, ſcilicet tam ſpiritualem quàm temporalem: Sed Papa eſt ejuſmodi.* Ergo. *Patet antecedens, ſupponendo quod per gladium materialem intelligatur poteſtas regia ad quam ſpectat uti gladio in malos.* Ad Rom. 13. *Non ſine cauſa gladium portat; ſed Petro & ſucceſſoribus commiſſus eſt uterque gladius* Lucæ. 22. *Quaſivit Chriſtus an eſſent gladii? Reſpondit Petrus: Ecce duo gladii ſunt: Et cùm eruiſſet Petrus unum illorum, dixit Chriſtus: mitte gladium tuum in vaginam, & non dixit: aufer gladium: Et per hoc oſtenditur quod prohibuit uſum illius, & non poteſtatem: Et ex illo paſſu arguunt quod utraque poteſtas eſt commiſſa Petro: Et iſta ſententia videtur eſſe Innocentii III. quod in gremio Eccleſia ambo gladii ſunt, & qui extra Eccleſiam ſunt, nullius habent gladii poteſtatem.*

His autem argumentis ſic Almainus reſpondet: *Ad primum duplex diſtinguit juramentum: Unum quod fit ſolum in reverentiam Dei, ut ſi Socrates juret perpetuò ſervare caſtitatem: alterum quod fit in favorem & utilitatem alterius perſona à jurante: Ut ſi Socrates juret ſe ſoluturum decem aureos Platoni quos eidem debet. Quantùm ad juramentum primi generis, Papa de illo poteſt diſpenſare, cùm ſit Vicarius Dei: Quantùm verò ad juramenta ſecundi generis, cujuſmodi eſt ſacramentum fidelitatis praſtitum Principi à ſubditis, quia fit in utilitatem Principis, & non ſolum propter reverentiam Dei, Papa non poteſt obligationem illo juramento introductam ſolvere: ſic enim faciendo de obligato non obligatum, injuriam alteri faceret & teneretur ad reſtitutionem: Quare non poteſt Papa regulariter ſolvere Vaſſallum ab obligatione, quâ obligatur ſuperiori.* Hæc Almainus

mainus ad ſolutionem primi argumenti; notandumque eſt diſparatam eſſe maximè comparationem inter obligationem naturalem qua vaſallus Domino ſuo ſupremo, & eam qua debitor aliquis creditori obſtringitur. Hæc enim non tam ſtricta & anguſta eſt, quàm illa qua jure divino & naturali conſtituitur, eaque ſalus, incolumitas & tranquillitas Reipublicæ tota continetur: unde ſi tantillum relaxetur, ordinem politicum & pacem publicam, quæ juris eſt divini naturalis, violat. Ex quo fit ut multò minùs reſolvi poſſit, quàm aliqua privata obligatio inter creditorem & debitorem.

Ad ſecundum de Excommunicatione. *Hoc tangit multa ſatis difficilia, inquit Almainus. Nam habetur ex multis teſtibus & ex practica, quòd familiares excommunicati poſſunt participare cum eo ad minus in rebus civilibus. Ergo cum Rege excommunicato vaſalli & ſubjecti poſſunt participare, cùm ſint quodammodo ſervi ejus, nam obedientiam tenentur illi dare & exhibere.* Et hæc eſt genuina Almaini reſponſio vera quidem & cauſis eſſentialibus utriuſque poteſtatis Eccleſiaſticæ omnino conſentiens.

Deinde ſubjicit opinionem Canoniſtarum circa hanc difficultatem. *Quantum ad hoc dicitur in cap. Nemo, & in gloſſa, quod illa obligatio vaſſali & ſubditi qui non eſt ſervus domeſticus, pro tempore quo Dominus excommunicatus eſt ſopita, ſed non ablata: Imò pro tempore excommunicationis Principis ſervi locatitii non tenentur communicare cum illo in rebus civilibus. Sed alii ſubditi, dicit gloſſa, abſolvuntur ab actu obligationis, ſed non ab obligatione, & tenentur pro tali tempore cum eo non participare & non ei obedire. Sed ipſo abſoluto ab excommunicatione, tenentur ut priùs.*

Deinde Almainus ſubjicit opinionem Doctoris Ockam, quam ſimpliciter ait eſſe probabiliorem: *nimirum quòd nec per excommunicationem, nec alio modo Papa poteſt Principem deponere à ſua dignitate Imperiali & Regali:* quæ reſponſio quadrat ſimiliter cauſis eſſentialibus utriuſque poteſtatis; minimè verò quæ à Canoniſtis dicuntur de ſopita & ſuſpenſa obligatione.

Ad tertium argumentum de duobus gladiis, reſpondet Ockam negando *quòd uterque Gladius ſit commiſſus Petro, & ad probationem* Lucæ 22. *dicit quod duo ſunt in ſenſu litterali: & hoc intelligitur de gladiis materialibus & tempore quo Chriſtus hoc quæſivit, nondum Petrus erat Papa, ſed poſt reſurrectionem factus eſt: Ideo tunc non quærebat an haberet gladium ſpiritualem. Bene verum eſt quòd in ſenſu myſtico poteſt intel-*

Digitized by Google

intelligi per iſtos duos gladios iſta duplex poteſtas: Sed ex ſenſu myſtico non poteſt efficax argumentum ad aliquid probandum ſumi, niſi fuerit per alium paſſum Scripturæ habitum: Ideo per illos duos gladios non poteſt inferri, quod fuerit Petro & ſucceſſoribus commiſſa utraque poteſtas. Et hæc ex mente Doctoris Ockam. *Secundò. Ego dicerem,* ait Almainus, *quod quamvis intelligatur in ſenſu litterali, non tamen ſequitur, quòd fuerit commiſſa Petro: Nam licèt in Eccleſia ſit utraque poteſtas, non tamen in eadem perſona: Nam illa poteſtas quæ ſignificatur per gladium materialem, eſt Petro prohibita: Dicit enim Chriſtus Petro: mitte gladium tuum in vaginam: Reges gentium dominantur eorum, &c. Si verò in ſenſu litterali per utrumque gladium utraque poteſtas acciperetur; ſolùm poteſt inferri quod utraque poteſtas eſt in Eccleſia. Sed non poteſt inferri quòd utraque poteſtas ſit in Eccleſia in eadem perſona. Et ad verba Innocentii ſi intelligantur quod extra Eccleſiam nullus habeat legitimam poteſtatem quâ utatur gladio materiali, illa ſapiunt hæreſim: Nam & apud fideles & apud infideles eſt vera poteſtas laica. Ideò parùm curandum eſt de auctoritate Innocentii in propoſito.* Hæc Almainus ex propria ſententia.

Idem eodem libro quæſtione 3. cap. 2. demonſtrat juriſdictionem civilem nec actu nec regulariter poſſe competere Pontifici ut Pontifex, variaſque variorum opiniones in eam rem enumerat. Et primùm Marſilii Paduni, quam ut erroneam planè rejicit. Secunda autem iis omnino conformis eſt, quæ paulò ante ex eodem Almaino propoſuimus in quæſtione reſumptiva. *Secundus modus*, ait, *eſt quòd Papa quantùm ad ſpiritualia habet poteſtatem coactivam per cenſuras ſpirituales, putà per Excommunicationem, ut in peccatis contra Sacramenta & contra Euangelium: Sed in temporalibus nec habet regulariter, nec caſualiter poteſtatem coactivam ex inſtitutione Chriſti: ſed ſi habet, hoc eſt à Principe vel populo.*

Tertius modus dicendi eſt: Papa habet poteſtatem coactivam per cenſuras ſpirituales in ſpiritualibus: Sed in temporalibus non habet illam regulariter ſed ſolùm caſualiter. Et videtur difficultas ex varietate textuum. An videlicet Papa ex inſtitutione Chriſti in cauſis purè laicis habeat poteſtatem diſcernendi, judicandi & cogendi, &c. Deinde hanc quæſtionem ita concludit. Reſolutio eſt quantum ad primum modum dicendi Marſilii de Padua, erroneus eſt: ſcilicet quòd Papa non habeat poteſtatem coactivam in nullis rebus. Item uterque aliorum duorum modorum eſt probabilis, videlicet quòd Papa in rebus purè civilibus nullam juriſdictionem nec regulariter nec caſualiter habeat jure divino & ex inſtitutione divina; vel quod habeat

Digitized by Google

non regulariter, ſed caſualiter, putà in duobus caſibus, ſcilicet ſi nullus ſit judex temporalis: Et ſi ſit, & non poſſit, vel negligat eam exercere: probabile eſt quòd caſualiter in illis duobus caſibus Papa habeat juriſdictionem adminiſtrandi in temporalibus. Vide eumdem Almainum de auctoritate Eccleſiæ cap. 5. reſponſione ad primum: & de poteſtate Eccleſiaſtica & laica quæſtione 1. cap. 10. paulò ante finem.

Ex his autem teſtimoniis liquet quænam ſit vera & genuina Almaini doctrina? Scilicet Papam poſſe tantùm declarare Principem quempiam indignum cui populus obtemperet, & deponendum eſſe: at verò non poſſe illum deponere aut ejus ſubditos à ſacramento fidelitatis naturaliter debitæ principi abſolvere. Quî ergo fieri potuit ut Cardinalis Bellarminus libro adversùs Barclaium ſtatim initio hunc Doctorem Pariſienſem ſibi tam contrarium, augendo numero ſcriptorum quos undequaque convaſavit, in claſſe illuſtrium ſcriptorum nationis Gallicanæ adſcriberet. Et Cardinalis Perronius in ſua ſuaſione ad eumdem lapidem poſt Bellarminum allideret?

Hîc Bellarmini verba adſcribam: *Jacobus Almain*, inquit, *in tractatu de ſuprema poteſtate Eccleſiaſtica & temporali quæſt. 2. principali quæ eſt de ſuprema poteſtate laica cap. 8. ad tertiam allegationem. Papa*, inquit, *poteſt Imperatorem deponere in duobus caſibus: primus pro crimine purè ſpirituali, ut eſt hæreſis. Secundus quando illi ad quos ſpectat jure ordinario ſunt negligentes ipſum deponere. Ibidem ad quartam allegationem ſic ait: Si gens Imperii efficeretur hæretica, vel transferret ſe ad aliam ſectam dimittendo ſectam Chriſtianam, poſſet propter hoc Papa illam gentem privare dignitate Imperiali, & ſic transferre in aliam gentem.* Hæc Bellarminus, qui contra omnem fidem & pudorem ut ſpecioſiùs fucum faciat veritati, opinionem Guillelmi Ockam addicit Almaino; eo quòd hic nonnullas quæſtiones Guillelmi Ockam de poteſtate Papæ explicandas ſuſcepiſſet in illo tractatu, quem Auctorem Almainus *paſſim nomine Doctoris indigetat*, ut jam dixi. Quod ſi Bellarmini ratio valet, eſtque æquum alicui auctori ea tribuere quæ non ex propria, ſed ex aliena ſententia in libros ſuos ingerit; nihil facilius quàm convincere Bellarminum, qui in ſuis controverſiis dogmata hæreticorum refert, & impugnat eſſe hæreticum. Porrò hæc ſunt propria verba Almaini quæ Bellarminus compendioſè protulit. Nam libro de poteſtate Eccleſiaſtica & laica quæſt. 2. cap. 8. ad tertiam allegationem hæc enarrat: *Veruntamen dicit Doctor quòd Papa poteſt Imperatorem deponere in duobus caſibus. Primus pro crimine purè ſpirituali, ut eſt hæreſis.*

Se-

Digitized by Google

Secundus, quando illi ad quos ſpectat jure ordinario, ſunt negligentes ipſum deponere. Deinde cap. 9, 10, 11. *Doctoris ad quartam allegationem dicit Doctor quod Papa poteſt transferre imperium, ſed hoc ſolum caſualiter: unde Papa poteſt exercere juriſdictionem in purè temporalibus caſualiter: hoc eſt quando non eſt judex ſæcularis. Ita ſi deſit congregatio populi, poteſt Papa transferre, & hoc caſualiter. Secundò poteſt pro crimine purè ſpirituali, ut ſi gens illius Imperii efficeretur hæretica, vel transferret ſe ad aliam ſectam, dimittendo Religionem Chriſtianam, poſſet propter hoc Papa illam gentem privare dignitate Imperiali, & ſic transferre in aliam gentem: ſed hoc non eſt regulariter, ſed ſolùm caſualiter, &c.* Hæc ibi ex mente Doctoris Ockam, cujus opinionem aliàs improbavit Almainus ut patet ex locis ſuperiùs expoſitis, præſertim ex quæſtione reſumptiva. Item libro de poteſtate Eccleſiaſtica & laica quæſt. 1. cap. 9. ubi diſertè ait, *Papam habere dumtaxat poteſtatem declarandi principem indignum principatu, & deponendum eſſe.* Item cap. 10. ejuſdem libri affirmans *Eccleſiam aut Papam non judicare de mediis ad beatitudinem neceſſariis coërcitivè & coactivè, ſed innuitivè & ſuaſivè tantùm per doctrinam & actus hierarchicos, &c.*

Cæterùm quæ Guillelmus Ockam de hac re diſſeruit capienda ſunt his poſitis principiis: nimirum *quòd Papa tranſtulerit Imperium ad Germanos; atque Electores Imperatoris inſtituerit.* Ex quo infert Ockam Pontificem aliquo in caſu poſſe Imperatorem deponere. Sed longè eſt alia ratio regnorum quæ nihil à Pontifice Romano pendent. Itaque malè ducitur argumentum à Bellarmino ex Imperio ad cætera regna: cùm Pontifex aliquem titulum videatur in Imperio obtinere ratione Bullæ quam auream vocant, quæ primùm facta eſt Othone III. procurante; deinde à Carolo IV. renovata. Vide librum ſecundum Hiſtoriæ Thuani ſtatim initio.

Joannes Major Doctor etiam Sorbonicus quarto ſententiarum, diſt. 24. quæſt. 3. ante medium: *Tertia Concluſio*, ait, *Maximus Pontifex non habet dominium temporale ſuper Reges. Probatur. Nam dato oppoſito, ſequitur quòd Reges ſunt ejus vaſſalli, & eos ad nutum à regno trudere poteſt de facto, licèt peccet ſine cauſa eos expellendo.* Et aliquantò poſt: *Nullum titulum habet ſuper regnum Francorum vel Hiſpaniarum in temporalibus. Ergo nec ſunt ei ſubjecta in temporalibus. Antecedens patet. Nam quæro quem titulum? ſi dicas ſuccedere Chriſto, & Chriſtus eſt Dominus omnium. Contra probare non potes quòd Chriſtus ſecundùm humanitatem eſt Dominus omnium, cum dixerit Pilato: Regnum meum*

Digitized by Google

non eſt de hoc mundo. Et illo dato quòd Chriſtus ſecundùm humanitatem eſt Dominus omnium, conſequentia eſt invalida, & impoſſibile eſt eam probare: Crebrò enim vicarius non eſt tantæ auctoritatis, quanta eſt ſuperior, cujus eſt vicarius. Nam Chriſtus inſtituit Sacramenta; dedit legem gratiæ, & poteſt revocare omne jus divinum poſitivum: hoc tamen non poteſt Pontifex.

Idem aliquantò infrà: *Rex Francorum ſuperiorem in temporalibus minimè recognoſcit: propterea cum filio ſpurio Comitis Montiſpeſſulani tanquam cum inferiore diſpenſare poterat. Sed dicis cum gloſſa cap. per venerabilem: Non recognoſcit de facto, debet tamen jure. Hanc gloſſam probo eſſe Aurelianenſem, & textus corruptivam: quia ſic Romanus Pontifex non ſufficienter reſpondiſſet. Regem Francorum eſſe ſupremum in ſuo regno in temporalibus, &c. Oppoſitum aſſerens & maximum Pontificem & Reges offendit, & eis nocumentum præſtat. Ergo ſapiens non debet illud aſſerere. Quòd non proſit Pontificibus, manifeſtum eſt, quia facit eos quantum in ſe eſt ſollicitos, ut illud mathematicum Imperium in temporalibus manu teneant: quia non patiuntur diminutionem in temporalibus ad ſe ſpectantibus verè vel apparenter fieri; & ſic miniſtratur eis materia rapiendi alieni Imperii, quod numquam ad finem deducere poterunt, ut legimus de Bonifacio VIII. contra Philippum Pulchrum, & aliis variis. Similiter eſt nocumentum Regibus in temporalibus pro ſuis regnis defendendis: & in ſpiritualibus, quia multa mala tempore belli committuntur, &c.* Demum ſub finem hujus quæſtionis examinans argumenta Innocentii III. cap. *Solitæ de majoritate & obedientia, ubi Papa ſoli, & Imperator lunæ comparatur, diciturque Zachariam Papam Childericum Regem depoſuiſſe. can. alius. quæſt. 6. Reſpondet argumentum ductum à ſenſu myſtico & ſimilitudine ſolis & lunæ, claudicare & debile eſſe, ac ſufficere aliquam ſimilitudinem & convenientiam: nam ſicut ſol lumen ſuum lunæ communicat, ſic fidem & illuſtrationem in ambiguis fidei Imperator à Pontifice accipit, & hoc ſufficit: & reflectitur argumentum in arguentes. Luna aliquod lumen ex ſe habet, ut videmus in deliquio lunæ, cum ſol eſt in capite Draconis, & luna in cauda. Et dato quòd luna nihil habeat luminis niſi à ſole, tamen influentiam aliam habet ſuper humida, cùm medullæ oſſium ſint in incremento lunæ majores. Idem patet de fluxu & refluxu maris, &c. Sic dicitur in propoſito quòd Reges non habent ſuas poteſtates immediatè à Romano Pontifice, nec influentiam ab eo ullam in temporalibus ſuſcipiunt: ſed conſenſu populi, ſucceſſione, electione, donatione, vel alio titulo habent regna: poteſtas enim terrena non ſic dependet à poteſtate ſpiri-*

tuali

Digitized by Google

tuali maximè Pontificis, ut centurio à Principe militiæ; ſed ſunt duæ poteſtates non ſubordinatæ, quarum neutra dependet ab altera: nam regnum poſſidens non eſt Vaſallus Romani Pontificis, nec Imperator illo modo eſt ei ſubjectus, &c. Quod attinet ad canonem, alius, & depoſitionem Childerici Regis: *Opponit Zachariam illum non depoſuiſſe, ſed regni Primatibus illum deponentibus conſenſiſſe, dum Pontificem ob reverentiam conſuluerunt: concluditque ex talibus factis ſingularibus, quæ ex devotione ad Eccleſiam, & non debito juris fiunt, non eſſe trahendum aliquid in conſequentiam; quemadmodum nec ex multis aliis, ut ubi Imperatores elegerunt maximos Pontifices, &c. Demum dicit locum de duobus gladiis* Luc. 22. *hyperbolicè dictum eſſe: quare ex ipſo non poſſe trahi efficax argumentum, ſubjungitque Papam duos habere gladios: unum actu ſcilicet ſpiritualem cum interdicit, & excommunicat: alium in habitu, id eſt poteſt rogare principes terrenos, quatenus ſibi ſint ſubſidio, & ſic alium habet in habitu id eſt in potentia: nec capitur hic habitus, ut capitur ab Ariſtotele in Ethicis, &c. Quòd ſi Papa intelligatur habere dominium in temporalibus caſualiter, & multum poſſe agere ad depoſitionem Regum ſuadendo, conſultando; imò alios ad gladium provocando in eos, quando ſunt labefactatores fidei, & Reipublicæ Chriſtianæ prorſus inutiles. Hoc mitiùs ferendum eſt, nec eſt alienum à dictis noſtris. Si verò aliqui Reges cum populo ſe tradiderunt Romanis Pontificibus, ut fertur de Anglis; nihil ad nos, &c.*

Hactenus Joannes Major, qui commentariis in caput 16. Matthæi hanc controverſiam uberiùs ſub iiſdem principiis, imò fermè terminis, diſcutit. Cæterùm in hac collectione tria præcipue notanda veniunt. Primum: Dato quòd Chriſtus ſecundùm humanitatem eſſet Dominus omnium, non ſequi Petrum ei ſucceſſiſſe in hac poteſtate, ſed in ſola miniſteriali ſpirituali, qua tenetur Eccleſiam regere conformiter ad jus divinum, naturale & canonicum. Et ita depellitur hoc Bellarmini ſophiſma cap. 27. adversùs Barclaium. *Securus affirmo*, ait, *potuiſſe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum tempore mortalitatis ſuæ diſponere de temporalibus omnibus, & Reges atque Principes regnis dominiiſque privare, & hanc poteſtatem vicario ſuo ſine dubio conceſſiſſe, ut ea utatur quando neceſſarium judicaverit ad animarum ſalutem, quæ illi præcipuè curæ eſſe debet.* Hæc ille. *Contrà ſecuriſſimus affirmo hanc Bellarmini aſſertionem juri divino & naturali, atque etiam conſenſui Catholico planè repugnare: atque Romanæ curiæ Principem non audiendum in ſua cauſa.* Alterum notabile eſt Joannem Majorem appoſitè *Imperium Papæ in temporalibus agnominare mathematicum:* quoniam inſtar rerum

Digitized by Google

mathematicarum vel potiùs chimericarum totum conſtat imaginationibus & figmentis hominum obnoxiorum, quibus propoſitum eſt æternæ veritati illudere, ut ſua fulciant commoda. Qua ex re cogitari nedum dici poteſt quanta mala, calamitates, bella, urbium atque provinciarum everſiones, hominumque interneciones extiterint: Idque Ioanni Majori cauſam præbuit juſtiſſimam conquerendi. Sed Deus bone, ſi duo parricidia Regum noſtrorum vidiſſet, & ſcriptores hujus ſæculi audiviſſet aſſerentes *Papam non modò poteſtate Reges abdicandi, ſed & occidendi præditum eſſe, quid non dixiſſet?* Tertiò obſervat Papam nihil poſſe ad Reges deponendos, niſi fortè ad ſenſum ſuperiùs allatum à Joanne Pariſienſi & Almaino, ſcilicet *applicando activa paſſivis; ſic enim loquitur, hoc eſt ſuadendo, conſultando, & alios ad gladium provocando in eos Principes qui fidem labefactant, & Chriſtianam Rempublicam infeſtant.* Quibus verbis poteſtatem indirectam Bellarmini profligat, quæ abſque vi coactiva, quam Major in Eccleſia minimè agnoſcit, ſubſiſtere nullo modo poteſt.

Cardinalis Cuſanus obſervata diſcordia, quæ inter Eccleſiaſticam & politicam poteſtatem graſſatur, *tres libros de Concordantia Catholica conſcripſit*, quibus demonſtrat tandem in Orbe Chriſtiano omnia paſſim ruitura, niſi ſeſe utraque poteſtas terminis à Deo & natura præſtitutis contineat; doletque magnopere adulatores extare, qui ea Summo Pontifici attribuant, quæ illi neque divino neque naturali jure competunt. Certè lib. 1. cap. 12. ait: *Ex hodierna diſpoſitione Papatus atque Imperii colligi non multùm ſupereſſe temporis ad diem Domini: atque Eccleſiam numquam ad eum caſum deveniſſe in quo nunc eſt: quid ſi noſtra tempora infœlicia vidiſſet?* Deinde lib. 3. cap. 41. aſſerit: *Operâ diaboli ſchiſmata inter utramque poteſtatem, Imperium & Sacerdotium ſuſcitata, & conſtare ex Euangelio inde Regni atque Imperii ruinam imminere: Hocque ubi contigerit, tantam orbi conturbationem naſcituram, ut omnia jura divina & humana atque cenſuræ Eccleſiaſticæ evertantur, nullumque locum habere poſſint in terris, eamque ob cauſam omnes Orthodoxos in hoc ſtudium ſemper incubuiſſe, ut illæſam utriuſque poteſtatis hierarchiam concordi vinculo conſervarent. Cùm itaque inſtituta ſit à Deo ad regimen mundi: cogitet itaque Summus Pontifex, ait, dum hæc inſtinctu turbatoris pacis mentibus hominum ſuggeruntur, ſe miniſtrum ex humilitate exaltari: quodque ſupremus aliorum miniſterialem curam habet, non Dominationis Imperium, ac utraſque à Deo eſſe poteſtates, ac noſtro gratiæ tempore verè diſtinctas, ut Nicolaus Maximus Romanus Pontifex*

tifex

Digitized by Google

tifex aſſerit 96. *diſtinct. Cùm ad verum, & diſtinctione* 97. *Eccleſia meæ confirmatur, &c. Et illa fuit omnium Antiquorum opinio vera: Et ſi dubia noviter exorta ſunt ob ſiniſtrum multorum complacendi ſtudium. Repetantur vetera. Imò ſi gladii utriuſque poteſtatem Papa haberet, non eſſet adhuc illorum intentio verè probata, Imperatorem ab eo dependenter gladii uſum habere, &c. A quo, rogo, dependebat Imperium, Paulo appellante ad Cæſarem, aut Chriſto ipſum approbante, dum juſſit dari Cæſari quæ ejus erant? Nec exaltat Papam Imperialis ſpontanea humilitatis reverentia, propter Chriſtum qui eum nominat & honorat, &c. Sed potiùs advertat quòd humiles Imperatores Catholici Romanum Pontificem ſcripturis & operibus, ut ſpiritualem Patrem & cuſtodem animarum venerabantur. Multò etiam plures ſcripturæ invenirentur quomodo Romanus Pontifex Imperatores honorare multò ampliori gradu ſolitus fuerit, ut Agathonis Papæ cum ſuo Concilio ad Conſtantinum Epiſtola declarat, ubi dicitur: omnes enim exigui Eccleſiarum Præſules veſtri Chriſtiani Imperii, famuli, &c. Hoc ita Papa ut aliis ſufficiat: Imò recordetur capitis omnis animæ, quod eſt* Pauli 13. ad Romanos: *ac etiam quantos honores conſecutus eſt ab Imperio, &c. Sufficiat ei eminentia qua ſol ſupra Lunam, & anima eſt ſupra corpus; abſque hoc quòd Imperium non eſſe niſi per eum ab eo dependenter affirmet. Si Regum & Imperatorum diſpoſitiones ac Imperii tranſlationes, &c. Fortè ad hoc præſumendum Apoſtolicum moverent: ſciat, niſi fortè religioni & humilitati obſtaret, omnibus illis verè & clariſſimè reſponderi poſſe: & taliter quòd fortè hæc minimè tantam poteſtatem abſque partium contendentium aut conſenſu aut acceptatione in Papa, ut Papam arguerent. Non defuerunt antiqui qui Henricum IV. Baſileæ coranatum per Romanorum Legatos, ab Excommunicatione Gregorii ſeu Hildebrandi defendebant: Etiam Apoſtolicæ Sedis Cardinales pro tunc, ac quoddam Concilium Romæ pro tunc celebratum: Imò ipſa generalis Baſileenſis Synodus tunc celebrata illa egit de eligendo Honorium Papam: propter quæ Henricus demum excommunicatus pronuntiabatur. Sic de Frederico II. viro utique in Eccleſia ſtrenuiſſimo ac fidei propugnatore ſcripta defenſoria & fortia inveniuntur, ac etiam de aliis Imperatoribus: acquievit ſæpè Pontificibus populus ad obedientiæ bonum. Non hæc trahantur ad poteſtatis elationem, niſi ut præhabitum eſt, ob delictum & peccatum juxta caput, Venerabilem de Electione. Iſtæ omnes quæſtiones ceſſent. Amplius & ſentiamus cum ſanctis veteribus noſtris prædeceſſoribus etiam temporalia donata Eccleſiæ, huic paci non præponendo, ſed potiùs ad modum Leonis in Synodo, qui Othoni primo & ſucceſſoribus perpetuè omnia reſti-*

reſtituit; quia tunc deficiente fide & exortâ turbatione conveniebat Imperatorem fidei defenſorem potentem eſſe: quando expedire videbitur faciendo maximè hodie opportunum foret Imperium abundare: deficiente enim defenſore videmus quò tendimus: ſufficiat Papa quod Imperium Eccleſia in omnibus compatitur: agit pro ejus tutela quæcumque poſſibilia ſunt, & quantùm ejus vires ſufferunt: non vi capit; non repetit donata, ſed defendit & nutrit Sacerdotium, quod ſolum ut digniſſimum veneratur, &c. Sacerdotium quidem ſanctum Imperio ſuperadditum tanquam vera vitalis anima corpori ſummopere venerandum eſt. Deus enim ſpiritus eſt qui per medium Sacramentorum, quorum miniſtri ſunt Domini Sacerdotes, tanquam per animas corpori, id eſt fideli populo gratioſe conjungitur, ut homo ſit in Deo. Eſt itaque omnis diſputatoria commotio ad concordiam pacatis animis redigenda, & perpetuò ſtabilienda: quia tota iſta noſtra Eccleſia ex corpore & anima juxta præfata conſtituitur, divino ſpiritu eamdem Eccleſiam per concordiam inhabitante & inſpirante: ut ſic ex ſpiritu divino, animâ ſacerdotali, & corpore fidelium una omnium fidelium Chriſti Eccleſia concorditer ſubſiſtat. Ruptâ verò harmoniâ, ac naturaliter concordante proportione, ut notiſſimum eſt in quolibet vivente ſegregatur anima à corpore præcedente mortali febre & incurabili infirmitate. Ut in hac Cuſani lamentatione ejuſdem ſenſum percipiamus, notandum venit Apoſtolum poſterioris ad Theſſalonicenſes cap.2. Imperii Romani excidium pro argumento certiſſimi exitii mundi impendentis adſignaviſſe. Quandoquidem Patres & Doctores Eccleſiæ hæc verba: *Nam myſterium jam operatur iniquitatis tantum ut qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat: & revelabitur ille iniquus, &c.* de Imperii Romani occaſu interpretantur: quem occaſum tectè ab Apoſtolo deſignari dicunt: ne fortè gentes inde occaſionem Chriſtianos ſeveriùs tractandi captarent, quos jamjam Imperii & poteſtatum ſæculi hoſtes fingebant: Neque verò abs re eſt quòd Cuſanus Imperium tanquam corpus, & Sacerdotium quaſi Chriſtianæ Reipublicæ animam eſſe memorat: atque ex ruina Imperii, id eſt corporis Chriſtianæ Religionis, brevi futuram mundi conflagrationem innuit: quemadmodum qui corpus humanum Petri contabeſcere videret, facilè Petrum ſtatim moriturum colligeret; ut enim homo quamdiu corpore habitiore & bene valido eſt, actiones ſtrenuas: contrà verò infirmas edit, dùm languet & contabeſcit. Similiter quamdiu Romanum Imperium floruit, unà quoque Chriſtiana Religio meliùs habuit; atque ubique gentium, & locorum Imperii Romani adminiculo promulgata: Contrà verò cadente

Digitized by Google

dente Imperio ad paucos redacta eſt; atque in dies magis ac magis poteſtatum ſæculi & regnorum potentiſſimorum ruina redigetur. Cui Imperii excidio Curiam Romanam magnam feciſſe acceſſionem certo certius eſt. Curiam dico Romanam; propterea quòd Romanæ Eccleſiæ id jam amplius adſcribere non audemus: tametſi Cuſanus poſt Frinſigenſem Epiſcopum, multoſque alios Catholicos Doctores adſcribat. Verùm ſæculo Gregorii VII. Frinſigenſis vixit, atque Imperii Romani, hoc eſt Chriſtianæ Reipublicæ propugnaculi dilapidationem ita eluxit libro 7. hiſtoriæ in prologo. *Sicut Regnorum mutationes, & ad ultimum imminutiones qui fructus ſequatur, quia non ſine gravi ſcandalo dicere poſſumus: Deo apud quem nihil inutiliter effluere poteſt relinquamus. Non deſunt tamen qui dicant Deum ad hoc regnum imminui voluiſſe, ut Eccleſiam exaltaret. Regni quippe viribus, ac beneficentia Regum exaltatam & dilatatam nemo ambigit Eccleſiam, conſtatque non priùs eam in tantum Regnum humiliare potuiſſe, quàm ipſo regno ob amorem Sacerdotii, eviſcerato, ac viribus exhauſto: Non ejus tantùm id eſt ſpirituali, ſed ſuo proprio materiali ſcilicet gladio percuſſum deſtrueretur. Quod indicare vel diſcutere ſupra noſtras vires eſt. Videntur tamen Sacerdotes culpandi per omnia, qui regnum ſuo gladio, quem ipſi ex Regum habent gratia, ferire conantur.* En Othonis Epiſcopi Frinſigenſis ſententia de Gregorii VII. geſtis. Deus immortalis! Ecquod eſt portentum & ſcelus Eccleſiam temporali ditione, atque opibus Regum pietate & munificentiâ locupletatam, ipſos Reges opprimere conari, quæſito colore quòd ſint tyranni, hæretici aut fautores hæreticorum, atque aliis ejuſmodi artificiis & commentis, quibus duos optimos & maximos Catholicos Reges Franciæ, ut cæteros taceam Imperatores & Principes Chriſtianos perfidè ac ſceleratè oppreſſos oculis noſtris conſpeximus? Profectò dum ad verba Apoſtoli & Patrum antiquorum explicationem de Romani Imperii ruina animum adjungo, videoque Romanum Imperium jam pridem Curiæ Romanæ molitionibus attritum, nec dum tamen mundi occaſum veniſſe; mihi perſuadeo hanc Apoſtoli clauſulam: *Qui tenet nunc, teneat donec de medio fiat, &c.* Sic eſſe capiendam, ut Sanctus Paulus nobis adjunctum pro ſubjecto, id eſt Imperium & regnum pro auctoritate politica, quæ in ipſo exiſtit imperio, deſignare voluerit: ac ſenſum eſſe tum mundi conflagrationem futuram, quando legitimæ poteſtates politicæ, quæ ſecundùm legem naturalem imperant, ſic ſua exarmabuntur auctoritate, ut nec ſe nec

Digitized by Google

ſuos ampliùs tueri queant: quo in opere conficiendo jam pridem *myſterium iniquitatis operatur*, ut ait Apoſtolus: Jamque in dies ſingulos magnum capit incrementum illorum artibus qui dictatus Gregorii VII. & Bullam Cœnæ Domini cum aliis arcanis Curiæ Romanæ placitis conſerunt, & in rem judicatam velut dogmata fidei Catholicæ credenda mittunt. De quibus infrà libro 4.

Hæc igitur de primo notabili ex collectione Cardinalis Cuſani. Secundò docet Papam ſolum habere poteſtatem miniſterialem: Et cùm ſit Miniſter humiliatione & charitate, non poteſtate mundanâ exaltari. *Nam ſupremus aliorum miniſterialem curam habet, non dominationis imperium, ait*; ſuprà autem ex D. Bernardo docuimus miniſterium atque dominium eſſe inter ſeſe oppoſita: Tertiò naturâ & eſſentiâ diſtinctam eſſe utramque poteſtatem, atque eam eſſe omnium antiquorum ſententiam, quam noviter exorti adulatores corrumpere moliuntur nimio complacendi ſtudio. Quartò & Chriſtum ſiſtendo ſe coram Pilato præſide imperii; & Sanctum Paulum poſt Chriſtum, qui jubet reddi Cæſari quæ ſunt Cæſaris, auctoraſſe poteſtatem imperii, dum appellavit ad Cæſarem. Quintò, non debere gloriari aut efferri Romanos Pontifices, eo quòd Imperatores propter ſingularem devotionem ad Chriſtianam Religionem ſe eis ſubmiſerint, cùm viciſſim plures Romani Pontifices reperiantur qui ſubmiſsè admodum loquuti ſunt Imperatoribus, ut liquet de Agathone Papa in Actis 6. Synodi, & plurimis aliis. Sextò monet nullum jus acquiſitum Pontificibus ex depoſitione Imperatorum: quia, inquit, *niſi fortè Religioni & humilitati obſtaret, omnibus illis verè & clariſſimè reſponderi poſſe; & taliter quod fortè hæc minimè tantam poteſtatem abſque partium contendentium aut conſenſu aut acceptatione in Papa ut Papam arguerent.* Senſus eſt populum Religione permotum ſæpè partes Imperatorum deſeruiſſe; quod certiſſimum eſt, docetque Religionem fortiſſimum eſſe telum ad percellendos vulgi animos, quod experientia plus ſatis confirmat. Nam inquit Cuſanus: *Acquievit ſæpè Pontificibus populus ad obedientia bonum.* Quò & referri poteſt illud Gerſonii in dialogo pro actis Synodi Conſtantienſis. *Deſiderium pacis & ſchiſmatis vitandi & extinguendi ſæpè effeciſſe ut multa perferrentur, quæ alioquin nullo modo eſſent toleranda.* Quam piam & charitativam tolerantiam Chriſtianorum Curia Romana ſemper in ſuum privatum dominatum avidè abripuit, non conſiderans piis viris propoſitum quæcumque potius perpeti, quàm ullam viam ſchiſmati præbere: Rectè enim à vulgo uſurpatur multò

Digitized by Google

multò ſatius eſſe infantem ſuum naſo mucoſo & ſtirioſo relinquere, quàm ei naſum evellere atque ſanguinem elicere: Et ita claret Curiam Romanam à permultis annis cauſam activam ſcandali & ſchiſmatum inter Regnum & Sacerdotium extitiſſe.

Toſtatus Abulenſis Epiſcopus cap. 20. in Matthæum quæſtione 94. hoc Chriſti oraculum exponens. *Principes Gentium dominantur eorum, &c. Quicumque Principatus Gentium quantumcumque juſtiſſimus multùm habet de honore, & ideo propter magnitudinem excellentiæ eſt concupiſcibilis, & competit ei littera Chriſti: ſcilicet Principes Gentium dominantur eorum: quia licèt dominentur tyrannicè, dominantur, id eſt domini reputantur; quia propter excellentiam ſtatus & magnitudinem honoris & poteſtatis judicantur domini ſubditorum ex modo loquendi noſtro: & qui majores ſunt, poteſtatem exercent in eos, id eſt opera poteſtatis: ſcilicet habent vim coactivam, quia habent poteſtatem incarcerandi & occidendi, & bona poſſeſſa auferendi, & relegare & deportare, & omnia genera pœnarum inferre quas ſubditi patiuntur inviti, & iſta eſt veritas. Principatus autem Apoſtolorum non erat ſic futurus, quia qui primus eſſet inter eos, nihil plus de honore & reverentia & ſtatu temporali habiturus eſſet quàm ſubditi, ſed ita pauper ſicut illi: poteſtatem autem non exerceret in ſubditos, quia non cogeret eos per pœnas ad aliquid agendum, ſed per exhortationem verbi Dei. Et ita nihil eſſet in Principatu Apoſtolorum propter quod concupiſci poſſet ſicut Principatus gentium quantumcumque bonus eſſet, quia in eo erat dominari & poteſtatem exercere, licèt intendat præcipuè ſubditis proficere. Sic dicit Origenes: Inter vos autem qui eſtis mei, non erunt hæc; quoniam ſicut omnia carnalia in neceſſitate ſunt poſita, ſpiritualia autem in voluntate: Sic & qui Principes ſunt ſpirituales, Principatus eorum in dilectione ſubditorum debet eſſe poſitus, non in timore corporali. Et ita rectè oſtendit Chriſtus Principatum inter ſuos non eſſe concupiſcibilem ſicut inter gentes.* Hucuſque Toſtatus clarè explicans ſententiam Chryſoſtomi ſuprà poſitam: quod dignitates & Prælaturæ Eccleſiaſticæ non ſint deſiderandæ; idque uberiùs interpretatur quæſtione 95. *Erat enim Principatus Eccleſiæ ſecundùm quod à Chriſto inſtitutus eſt omni ſæcularitate carens, nihil concupiſcibile habens; non quidem divitias, non excellentiam: Habere autem decebat multam ſanctitatem exemplaritatis, & ſollicitudinem ad providendum in ſpirituali. Quæ omnia apertè poſuit* Petrus in Canonica prima cap. 5. *ſcilicet: Seniores obſecro qui in vobis ſunt: paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, providentes non coactè ſed ſpontaneè ſecundùm Deum, neque turpis lucri cauſâ ſed voluntariè,*

Digitized by Google

neque ut dominantes in Clero, ſed, forma facti gregis ex animo: In quantum dixit: Paſcite qui in vobis eſt gregem, oſtendit ſollicitudinem Paſtorum providendo ſpirituali gregi ſuo: & iſta eſt propria conditio præſidentis ſcilicet ut ſollicitus ſit. Sic dicitur ad Rom. 12. *Qui præeſt in ſollicitudine, in quantum dixit non coactè ſed ſpontaneè, abſtulit exercitium poteſtatis: ſcilicet quod non deducerent homines ad bonum per pœnas, & nolentes credere non cogerent. Peccantes autem poſtquam credidiſſent; verberibus non caſtigarent, ſed verbis deducerent, & pro eis Deum orarent, ut daret eis ſpiritum compunctionis & pœnitentiam & reſipiſcerent à laqueis diaboli.* 2 ad Timoth. cap.2. *In quantum dixit non turpis lucri gratiâ, abſtulit divitias Principibus Eccleſiæ, ſcilicet quod non exigerent collectas à ſubditis, neque tributa imponerent, neque lucrum aliquod inde expectarent, ſed ipſimet manibus ſuis laborantes victum acquirebant. Sicut Paulus* Actuum 18. & 20. *Niſi quando aliquid gratis dabatur propter prædicationem.* Nam ut ait quæſtione 96. ante medium. *Decuit quod pauperes eſſent & inglorii qui fidem prædicabant, ut quicquid facerent, totum divino operi adſcriberetur; & ita magis laudaretur Deus in converſione Gentium, & non haberet fides noſtra ullam calumniam: Et ita conſtituit Chriſtus Principatum inopem, quia nullas divitias dedit Prælatis. In quantum Petrus dicit non dominantes in Clero, abſtulit excellentiam eorum quantùm ad ſtatum & honorem & Imperium: Scilicet non imperarent quaſi Domini, ſed ut æquales: Et ideo ſola duo eis tradidit quæ laborioſa ſunt, ſollicitudinem & ſanctitatem. De ſollicitudine dictum eſt. Sanctitatem autem oſtendit in quantùm dixit forma facti gregis, id eſt debeant ipſi fieri velut quædam regula actionum, ſive forma exemplaris quam ſequatur populus: & hoc eſt quòd actiones ſingulæ Prælatorum tam puræ & emendatæ eſſent, quod nihil in eis inveniretur reprehenſibile: & tunc omnis operatio eorum poterat teneri ut regula & exemplum, quod ad magnam ſanctitatem pertinebat. Unde* 1 Timoth. cap.3. *primam conditionem Epiſcopi ponit, quòd ſit irreprehenſibilis. Sicque eſt forma actionum aliis. In Principatu autem ſæculari quantumcumque juſto tria ſunt contraria. Primò habet vim coactivam ad puniendum delinquentes: Imò ſi non punit, non eſt conveniens Principatus. Secundò habet aliquam utilitatem, poteſtque exigere de bonis ſubditorum: Tertiò habet honorem & Imperium aliquod ſuper ſubditos; ita ut dominum eum aliquo modo vocent, &c. Ideo Principatus quem Chriſtus inducebat non eſt talis qualis Principatus Gentium, &c.* Item quæſt. 96. profuſiſſimè in eamdem rem diſputat. Et aliquantò poſt medium quæſtionis exponens hunc textum Apoſtoli

cap.6.

Digitized by Google

cap. 6. prioris ad Corinthios. *Contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum, &c. Et ita verum eſt quòd Prælati Eccleſiæ nullam omninò juriſdictionem cum coërcitione exercebant tempore Pauli, neque criminalem neque civilem. Et ita erat ubicumque erant Chriſtiani, qui erant tunc ſubditi Pontificibus fidelibus.* Ob hoc ergo Chriſtus expreſſè dixit quod habentes primatum inter Apoſtolos, non exercerent poteſtatem ſicut Principes Gentium; ſed miniſtrarent exhortantes per verbum bonum ad obſervationem Legis & juris æquitatem: Subjicit quòd ſi Chriſtus dediſſet Apoſtolis facultatem coërcendi per pœnas temporales, quod ſequerentur ſcandala; quia Principes Gentilium juſtè eos perſequerentur tanquam invaſores alienæ juriſdictionis, & hoſtes Reipublicæ quaſi alienæ invaderent. Unde* 1 Petri 4. *præcipitur ne quidquam objiciatur Chriſtianis aliud quam Religionis Chriſtianæ profeſſio. Nemo autem veſtrum patiatur quaſi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: Si autem ut Chriſtianus, non erubeſcat, glorificet autem Deum in iſto nomine. Ideo fuit conveniens ut Chriſtus diceret Apoſtolis de conditione primatus eorum: ſcilicet ut non niterentur habere coërcitionem, ſicut Principes Gentium. Item Chriſtus dedit Principatum Apoſtolis in exemplum ſui Principatus, ut patet in littera. At Chriſtus non principabatur ut habens coërcitionem, ſed ſolùm ut miniſtrans: prædicabat enim hominibus, & per verbum diſſuadebat malum, & nitebatur eos ad bonum convertere; & nolentes non puniebat, ſed liberos relinquebat: Imò profitebatur ſe non exercere opus juriſdictionis* Lucæ 12. *Homo quis me conſtituit judicem aut diviſorem inter vos, &c.* Quæ Toſtati diſputatio tota conformis eſt *cauſis eſſentialibus poteſtatis Eccleſiaſticæ: Ideoque ſecundùm jus divinum ſtrictè capienda eſt: demonſtrat enim quid ſit Eccleſiam non dominari fidei hominum. Quod verò ait Eccleſiaſticorum Primatum habuiſſe divitias & jus coërcendi poſt pacem datam Eccleſiæ*; hoc verum eſt jure poſitivo & ex Principum Chriſtianorum liberalitate, ut ſtatim oſtendetur.

Robertus Guaguinus Presbyter & Religioſus Ordinis SS. Trinitatis in vitâ Philippi Pulchri de Bonifacio. ***Talem***, inquit, ***vitæ exitum habuit contemptor omnium hominum Boniſacius, qui Chriſti Præceptorum minimè recordatus, adimere & conferre regna pro ſuo arbitrio conabatur; cum non ignoraret ejus ſe loco in terris verſari, cujus regnum non de hoc mundo & terrenis rebus, ſed de cœleſtibus eſſet. A quâ pariter ſententiâ Platina in Bonifacio minimè abludit: Moritur autem hoc modo Boniſacius ille, ait, qui Imperatoribus, Regibus, Principibus, Nationi-***

Digitized by Google

bus, populis terrorem potius quàm Religionem injicere conabatur; quique dare regna & auferre, pellere homines ac reducere pro arbitrio animi conabatur: aurum undique conquiſitum pluſquam dici poteſt ſitiens. Diſcant itaque hujus exemplo Principes omnes tam Religioſi quàm ſæculares præeſſe Clero & populis, non ſuperbè & contumelioſè, ut hic de quo loquimur, ſed ſanctè & modeſtè, ut Chriſtus Rex noſter ejuſque diſcipuli, ac veri imitatores: & maluit à populis amari quàm timeri: unde Tyrannorum pernicies meritò oriri ſolet.

Claudius Guillandus Doctor Sorbonicus Commentariis in cap.18. Joannis in hæc verba. *Mitte gladium tuum in vaginam, &c. Non hujuſmodi præſidiis oblectatur negotium Euangelicum: alio pugnandum eſt gladio his qui in meas vices ſuccedere volent: nimirum gladio ſermonis & verbi, qui vitia amputat, & homines ſervat.* Item ad hunc alium locum: *Regnum meum non eſt de hoc mundo: hoc eſt, regnum meum non eſt Cæſareum & terreſtre, ſed cæleſte & ſpirituale: Nihil ergo quod affectò Cæſarem lædere poteſt: nam hujus mundi regnum ſubſiſtit manu militari, ferreo gladio, ſervis & ſubditis corporalibus, caſtris, oppidis, propugnaculis, arcibus, vicis, villis; & prædiis: at ſpirituale regnum ſubſiſtit ſtultis hujus mundi, carnis impotentiâ, afflictionibus, juſtitia æquitate, bonitate, gaudio, ſpiritu, vitâ æternâ: Regnum mundi exercitu inſtructo & gladiis defenditur: Cæleſte verò defenditur verbo, veritate & ſanguinis effuſione. Milites enim cæleſtis regni ſuo ſanguine veritatem ipſam obſignant, pro qua mortem oppetunt: & quò plures ſanguinem effundunt, eò illuſtrius & amplius redditur regnum ſpirituale. Hujus regni cæleſtis Rex pro oppidis & habitaculis corda credentium habet, quæ non armorum machinis, ſed verbo Dei, remiſſione peccatorum, vivâ fide, juſtitiâ, bonitate, atque adeo vitâ æternâ reguntur & defenduntur.*

Joannes Arboreus Doctor Pariſienſis Commentariis in cap. 16. Matthæi. *Sed nec ſilentio prætermittendum,* ait, *quod dixit Dominus Petro: Tibi dabo claves regni cœlorum; & non dixit: Tibi dabo poteſtatem & dominium regni terreni, ut agnoſcant Prælati Eccleſiaſtici, quòd ſedulò debent vacare rebus ſpiritualibus, non gerere curam rerum temporalium, niſi quatenus temporalia bona ordinantur ad alimoniam ſcilicet miniſtrorum Dei & ornamentum Eccleſiæ.*

Eſpenſæus noſter Commentariis in priorem ad Timoth. Lib. *Digreſſionum cap. 6. qui eſt de Clerico milite ſive bellatore.* Multa de Gregorii VII. & aliorum Pontificum bellicis expeditionibus conqueritur, tandemque versùs finem capitis, poſtquam aliquot antiquorum

rum

Digitized by Google

rum geſta manſuetiſſima recenſuit, ait: *Et tales quidem fuerunt in populo Dei Sacerdotum inermium & pacificorum erga ſæculi dominos fideles & infideles, mites & barbaros, victoria non minùs glorioſa quàm incruentæ, quibus non contenta poſteritas veteris gentilis ritu togas in ſaga mutavit, &c. Nec tantùm contra barbaros & incredulos, ſed contra ejuſdem quoque ſanguinis, patriæ, aut certè fidei Principes Domini noſtri Dei pacis quidam vicarii minùs pacifici bella indixerunt & geſſerunt exemplo ſcandalis infinitis gravido, & nulla ſcripturarum aut canonum auctoritate probato.*

Joannes Ferus Franciſcanus Libro 3. Commentariorum in Matthæum cap. 16. ad hæc verba: *Tibi dabo claves regni cœlorum: non dicit regni terrarum poteſtatem, quam tamen ex his verbis ſtabilire nituntur, aſſerentes Petrum necdum in ſpiritualibus, ſed in externis plenitudinem poteſtatis accepiſſe: Id quod Bernardus ad Eugenium manifeſtè arguit: In criminibus*, inquit, *non in poſſeſſionibus eſt poteſtas veſtra.* Deinde paulò infrà: *Tibi dabo claves; claves hæ, ut dixi, non materiales ſunt, ſed metaphyſicè poteſtatem ſignificant: poteſtatem igitur accepit Petrus, non terrenam aliquam, ut poſſet ſcilicet dare, auferre, alienare Regna, Principatus, &c. Nec talem poteſtatem ut ſibi licuerit facere quicquid libuiſſet, id quod plerique ſomniant: ſed poteſtatem accepit ligandi & ſolvendi, remittendi peccata & retinendi, aperiendi & claudendi: neque id pro libito ſuo, ſed tanquam miniſter voluntatem Domini iperficiens.*

Joannes Maldonatus in cap.27. Matthæi verſu 11. de Regno Chriſti diſputans: *Sunt*, inquit, *qui quodammodo invitum facere velint Regem Chriſtum, hæreticoſque eos putent qui temporalem etiam Regem fuiſſe negant, cùm ipſe in judicio interrogatus palàm reſponderit: Regnum meum non eſt de hoc mundo, id eſt, non eſt mundanum, non eſt terrenum, non eſt temporale, ſed cœleſte & ſpirituale, &c. Deinde aliquantò pòſt probat Chriſtus apud* Joannem cap.18. 36. *Regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, id eſt mundanum; quia ſi mundanum eſſet, mundanos etiam qui pro ſe pugnarent, miniſtros haberet. Tantùm verò aberat ut haberet, aut habere vellet ut Petrum unum ex diſcipulis ſuis, qui ſervum Pontificis vulnerarat, ut ſe defenderet, & graviter reprehenderit; juſſeritque gladium in vaginam mittere, ſuoſque miniſtros non terrenos ſed cœleſtes, id eſt Angelos eſſe ſignificaverit, &c.* Ad hæc illi attendant qui prætextu Religionis & fidei Catholicæ, id eſt Regni Chriſti defendendi, poteſtates ſæculi Reges in Reges invicem armant, atque committunt, & ſanguinem Chriſtianum in alios uſus deſtinatum effundunt.

Car-

Digitized by Google

Cardinalis Toletus Commentariis in caput 18. Joannis adnotatione 25. Primùm obſervat Chriſtum *Pilato tametſi iniquè & contra ordinem juſtitiæ interrogaret & examinaret, reſpondiſſe & obediviſſe.* Hæc ibi quæ contra artem æquivocandi judicibus fallendis adinventa notanda veniunt. Prætcrea in Commentario ad hæc verba: *Regnum meum non eſt de hoc mundo, &c. Regnum ſe Chriſtus habere concedit, ſed non quod tollat regnum mundi: Se Regem eſſe, ſed non qui alios expellat. Unde Auguſtinus tractatu* 115. *inquit. Audite, Judæi & Gentes; audi circumciſio & præputium; audite omnia regna terrena, non impedio dominationem veſtram in hoc mundo, regnum enim meum non eſt de hoc mundo.* Hæc Toletus plus ſatis clara ex analyſi ſententiæ Auguſtini ſuprà evolutâ, nec non ex iis quæ lucubravit adnotatione quartâ in cap. 19. Joannis ad hæc verba: *Non haberes poteſtatem in me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper,* de quibus actum eſt ſuprà lib. 2. cap. 2.

Porrò Joannem Maldonatum Commentarios in omnes verſus Euangelii B. Joannis atque Pilati interrogationem cum Domini reſponſione de regno ſuo prætermiſiſſe: Et tamen duo ultima capita Euangelii Joannis accuratiſſimè explicuiſſe, id certiſſimo eſt argumento, illum, quæ de Chriſto ſentiret, conformiter ad ea quæ Matt. 27. docuerat, vel non auſum ſcribere Romæ inter ſodales Jeſuitas, vel quæ ingenuè dixerat, expurgata fuiſſe poſt ejus exceſſum. Sicut rumor eſt permulta ei afficta. Herclè ad finem Commentarii in cap. 19. Joannis ſic legitur: *Hæc tantùm in hoc caput* 18. *uſque ad* 20. *in auctoris auctographo reperta ſunt.* Enimverò nihil penitùs Commentariorum Maldonati in caput 19. Joannis extat. Verùm quæ habet Maldonatus cap. 18. Matthæi in hæc verba: *Dic Eccleſiæ: Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus, &c.* Non obſcurè indicant quid de hac controverſia ſenſerit, quando ſummam poteſtatem Eccleſiæ in hoc ſolùm conſiſtere ait, ut homines mittat in exilium, id eſt Eccleſiæ aditu & communione Sacramentorum prohibeat. *Chriſtus voluit Eccleſiæ tribunal ultimum eſſe,* inquit, *ad quod eſſent peccatores, cum aliud non eſſet remedium, deferendi: Ideòque ſummam illi tribuit poteſtatem: Summam autem non tribuiſſet, ſi majorem illi non dediſſet, quam omnis Reſpublica jure ſuo habet, ut homines pernitioſos mittat in exilium, quod in Eccleſia eſt excommunicatio.* Hinc autem infero quando Auctore Maldonato ſumma poteſtas eccleſiaſticæ Reipublicæ in excommunicatione conſiſtit; fruſtrà quidem de poteſtate Regum abdicandorum ab Papæ adulatoribus diſceptari. His aggregandus

Digitized by Google

dus eſt alius locus ejuſdem Maldonati, quo demonſtratur ratione poteſtatis miniſterialis Chriſtum tanquam hominem, non tanquam Deum ſubjectum fuiſſe Cæſari, eique tributum perſolviſſe cap. 17. in Matthæum. *Diſputant nonnulli an re verâ Chriſtus tanquam homo tributum debuerit? Reſpondent debuiſſe, quia D. Paulus teſtatur illum per omnia nobis, excepto peccato, ſimilem factum fuiſſe: & hoc loco non tanquam hominem, ſed tanquam Deum argumentari ſe à tributo liberum eſſe. Id an dici poſſit doctiores viderint: Ego quidem non dixerim*, inquit Maldonatus. Quæ poſtrema verba: *Ego quidem non dixerim*, videntur amoliendæ invidiæ causâ adjuncta fortè ab alio, quando iis minimè congruunt quæ de regno Chriſti ſuprà ex cap. 27. Matthæi diſſeruit. Procul dubio neque Romæ, neque in Jeſuitarum Sodalitio ullus ſcribere poteſt quæ ſentit de poteſtate Eccleſiaſticâ & Eccleſiaſticorum immunitatibus; quoniam hoc Sodalitium eſt quarto voto Romano Pontifici mancipatum: Ideoque illos ad gratiam Curiæ Romanæ ſcribere & jure vel injuriâ illius dominatum tueri & ampliare quantùm poſſunt, compertum habemus.

Summa trium primorum capitum Libri tertii eſt Chriſtum Dominum ex triplici poteſtate quam habuit; auctoritatis nimirum ut Deus; excellentiæ ut Chriſtus; & puri miniſterii ut homo, ſolam poteſtatem miniſterialem omnium mitiſſimam, ſuaviſſimam, atque omni regio dominatu & abſolutâ poteſtate cogendi vacuam Eccleſiaſticis reliquiſſe: propterea quòd animis liberè & canonicè præeſſe, corporibus & temporalibus imperioſè, abſolutè, aut deſpoticè imperare debent. Deinde quia vellet Clerum humilitate, patientiâ atque obſervatione mandatorum Dei, potentiam, ſapientiam, dominationem & ſuperbiam mundi confundere; nec ſe umquam ſæcularibus negotiis immergere, aut ſanguini & ſævis immiſcere; cùm pax, dilectio, charitas atque unitas ſit Legis Euangelicæ ſcopus. Enimverò virtutem humilitatis, patientiæ, & exinanitionis ſui Chriſtus ſibi & ſuis propriam & peculiarem eſſe voluit, quò omnes mundi Principes & Reges in admirationem Legis gratiæ raperet & converteret, eiſque omnem timendi cauſam auferret: quando naturæ & gentium jura eo in ſtatu planè relinqueret, quo ante promulgatum Euangelium erant ab ipſis Regibus & politicis poteſtatibus conſtituta: quamobrem regnum ſuum non eſſe de hoc mundo perhibet, & ſe in mundum veniſſe, ut teſtimonium perhibeat veritati: unde Auguſtinus exclamat: *Audite ergo Judæi & Gentes: Audi circumciſio & præputium: Audite*

dite omnia regna terræ; non impedio dominationem veſtram in mundo: Regnum meum non eſt de hoc mundo: Nolite timere metu vaniſſimo quo Herodes Major cùm Chriſtus naſceretur, expavit, & tot infantes ut ad Chriſtum mors perveniret, occidit. Regnum, inquit, *meum non eſt de hoc mundo: Venite credendo, & nolite ſævire metuendo.*

Caput IV.

I. *De natura Excommunicationis, quæ pœna eſt coërcitiva & nativus gladius ſpiritualis Eccleſiæ.*
II. *Excommunicationem non poſſe privare homines ſubſidiis & adjumentis quæ jure divino naturali hominibus competunt, ſed tantùm communione Eccleſiaſtica.*
III. *Solo Jure humano, non divino communionem in civilibus prohiberi cum excommunicatis.*
IV. *Argumenta Gregorii de Valentia, & Franciſci Suaris in contrarium examinantur & confutantur.*
V. *Gregorii VII. Conſtitutiones in eam rem.*
VI. *Excommunicationem debere Legis naturam & conditiones æmulari; ideoque juſtam, neceſſariam, poſſibilem, utilem, loco temporique convenientem eſſe, nec pacem publicam debere ſollicitare.*
VII. *Ex Gloſſa & Auguſtino neque multitudinem neque Principem populi excommunicandum eſſe.*
VIII. *Analyſis Epiſtolæ Auguſtini contra Parmenianum, quâ diſputat de natura & fine cenſurarum.*
IX. *Rationem ſervandæ unitatis petendam eſſe ex promiſſis Dei ſacrâ Scripturâ declaratis Eccleſiæ, non autem ab humanis adinventionibus, auctore Auguſtino.*
X. *Ivonis Carnotenſis Epiſcopi, & Jacobi Almaini de cenſuris ferendis ſententia ſalutaris contra Bellarmini & Recentiorum placita.*
XI. *Quando & quatenus uti liceat cenſuris in Reges, & de arreſtis Parlamenti, quibus declaratur Regem Franciæ excommunicari non poſſe: Et quonam ſenſu id capi debeat.*
XII. *Actum ſecundum, hoc eſt actualem obligationem cenſurarum pendere à conſenſu totius Eccleſiæ, eamque ob cauſam Apoſtolum, inceſtuoſum Corinthienſem duntaxat in actu primò excommunicaſſe.*
XIII. *Auxilius Juvenis Epiſcopus ab Auguſtino reprehenditur, quòd integram familiam ob unius culpam excommunicaſſet.*
XIV. *Interdictum loci quo tempore inventum, quàm ſit periculoſum, contraque charitatem & pacem quæ eſt finis omnium Legum; eamque ob cauſam Parlamenta Franciæ ſemper obſtitiſſe ne hujuſmodi Interdicta mitterentur in rem judicatam.*
XV. *Quando & quatenus Princeps aut Magiſtratus Politicus poſſit judicium ferre de cenſuris Eccleſiaſticis*
XVI. *Quo ſenſu Joannes Pariſienſis dixerit Papam ultra cenſuram Eccleſiaſticam nihil poſſe conferre ad Regum depoſitionem, niſi per accidens, atque pro certiſſimo tenendum Leges Eccleſiaſticas numquam obligare cum magno vitæ, rerum temporalium & pacis publicæ diſpendio.*

I. De pœna coërcitiva Eccleſiæ, hoc eſt de excommunicatione diſputaturus, ante enucleandam eſſe difficultatem arbitror, quam ex principiis à me ſuperiùs poſitis exciri poſſe video.

Digitized by Google

video. Cùm enim hoc libro tertio paſſim demonſtrarim Eccleſiam nullâ inſtructam poteſtate cogendi. Et lib. 2. nullam eſſe poteſtatem directivam, quæ aliquâ poteſtate coactivâ ſibi proportionatim reſpondente orbata ſit: atque inſuper nomen poteſtatis & juriſdictionis per excellentiam uni & ſoli poteſtati coërcitivæ à Juriſconſultis adſcribi. Inde inferet aliquis me & pugnantia loqui; atque Eccleſiam, ſi nullo jure cogendi armata eſt, nullâ etiam poteſtate præditam eſſe. Sed reſpondebis directivam aut præceptivam poteſtatem Eccleſiæ pro materia & ſubjecto nativo animam habere quam per actus ſolùm hierarchicos debet informare, atque poteſtatem excommunicandi per analogiam locum poteſtatis coactivæ occupare: & propriè ac preſsè loquendo, coactionem dici non poſſe, ſed tantùm excluſionem à communione Eccleſiaſtica: eamque ob cauſam Sanctum Chryſoſtomum & alios Patres ſuprà docuiſſe nomen principatus aut poteſtatis propriè convenire non poſſe Eccleſiæ, quoniam poteſtate cogendi extrinſecè vacua eſſet. Porrò quemadmodum finis & bonum vitæ civilis ac Reipublicæ temporalis in fructu & communione pacis ſæcularis verſatur; atque turbulenti & pernicioſi cives tanquam membra putrida & inutilia ſuaviſſimo ſenſu hujus communionis exilio vel morte ipsâ per merum imperium & abſolutam Principis poteſtatem privantur.

II. Similiter finis & bonum gratiæ aut Euangelicæ Legis in ſanctorum communione & pace conſiſtit; à cujus commercio cuncti nefarii & pervicaces Chriſtiani per excommunicationem velut per ſpirituale exilium excluduntur & reſecantur: hæcque eſt ſumma omnium pœnarum Eccleſiaſticarum maxima; quando certum eſt Eccleſiaſticos jure divino nihil quidquam aliud habere, quo ſceleratos plectant, ut capite præcedenti docuimus Gregorii II. Papæ, Nicolai I. Joannis VIII. Cœleſtini III. Synodi Conſtantienſis, Joannis Pariſienſis, Cardinalis Alliaceni, Gerſonii, Majoris, atque Joannis Maldonati teſtimonio in cap. 18. Matthæi, cujus verba hîc frequentare operæ pretium duco. *Chriſtus*, ait Maldonatus, *voluit Eccleſiæ tribunal ultimum eſſe ad quod eſſent peccatores, cum aliud non eſſet emendationis remedium deſcendendi: ideoque ſummam illi tribuit poteſtatem: ſummam autem non tribuiſſet, ſi majorem illi non dediſſet, quam omnis Reſpublica jure ſuo habet, ut homines pernicioſos mittat in exilium, quod in Eccleſia eſt excommunicatio.* Hercle quidem Dominus Matthæi 18. ſupremum Eccleſiæ tribunal erexit atque Rempublicam Eccleſiaſti-

 cam

cam ſibi ipſi ſufficientem hac lege conſtituit, ut quotquot Eccleſiæ parere detrectarent, pro Ethnicis & publicanis haberentur: hoc eſt templi aditu, ac Legis gratiæ & Eccleſiæ communione, quæ ſpiritualis & ſupernaturalis eſt, excluderentur. Enimverò alludit Dominus ad Judæorum ritus, qui omnes Ethnicos & publicanos templi ſui ingreſſu & Sacris ceremoniis tanquam profanos & pollutos arcebant: ſcitumque Ethnicos & publicanos exceptis ritibus Legis Moſaicæ, cætera omnia cum Judæis habuiſſe communia; cui rei intelligendæ nobis facem præfert Apoſtolus cap. 3. poſterioris ad Theſſalonicenſes: *Quòd ſi quis non obediat verbo noſtro per epiſtolam; hunc notate, non commiſceamini cum illo, ut confundatur, & nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite ut fratrem, &c.* Quem ad locum Chryſoſtomus: *ut non confundatur, &c. Nec ſinit ulteriùs progredi*, inquit, & gloſſa ibidem: *Societatem ejus vitate, quia ſi vitium odiendum ſit, natura tamen eſt diligenda.* Item cap. 3. ad Titum: hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita: Devitare autem ad vitæ conſuetudinem & communionem pertinet; eſtque notabile, inquit, Joannes de Pariſiis *Apoſtolum in tanto crimine quale eſt hæreſis, nihil aliud præter vitæ atque ſocietatis excluſionem præſcribere. Non enim præcipit ut comburatur, aut in carcerem detrudatur, vel temporaliter puniatur.* Idemque eſt ſenſus & hujus alterius loci ſecundæ Epiſtolæ Joannis: *ſi quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis: qui enim dicit illi, ave, communicat operibus ejus malignis.* Quem ad locum gloſſa: *Nolite communicare cum eo in potu vel cibo, ſeu habitaculo, ne ſeducamini ab eo, &c.* Quæ converſatio intelligenda eſt præſertim de communione & conſuetudine in rebus divinis & Eccleſiaſticis: minimè verò in rebus civilibus & temporalibus, cæteriſque juris naturalis officiis atque opibus quæ homines à natura poſſident. Quandoquidem Eccleſia ea non tollit quæ non largitur; neque etiam jura naturæ & gentium reſolvit, ſed perficit: certumque eſt Apoſtolos inter Ethnicos Principes, quamquam jura civilia ſocietatis & gentium prohibere voluiſſent, id tamen facere non potuiſſent, quin continuò criminis perduellionatus accuſarentur, quaſi pacis publicæ violatores. Procul dubio hæc niſi ita haberent, numquam homines & præſertim Principes Ethnici induci potuiſſent ut nomen darent Euangelio.

III. Ecquis illorum, amabo, ſub Eccleſiæ ſignis tanquam vaſſallus Papæ ea lege militare vellet, ut ſi minùs Eccleſiæ dicto auſcultaret,

ret,

ret, *ex Rege non Rex atque privatus efficeretur?* quemadmodum docet Bellarminus libro adverſùs Barclaium cap. 19. & 31. quòd ſi aliquis inſurgat in teſtimonia Sancti Pauli & Joannis ſuperiùs exhibita de excommunicatorum atque hæreticorum conſortio vitando, diſertè præcipere abſtinendum eſſe à civili ſocietate & converſatione: *Non commiſceamini cum illo: Nolite eum recipere in domum, nec ave ei dixeritis, &c.* Reſpondebis huic præſertim interdici *converſationem Eccleſiaſticam, aut quaſi Eccleſiaſticam cum excommunicatis*, nequaquam verò politicam & civilem ſaltem directè, quoniam juris eſt naturalis, tollique non poteſt ab Eccleſia, Almainus de poteſtate Eccleſiaſtica & Laica quæſtione 1. cap. decimo, circa medium. *Tertium corollarium quod ſequitur eſt quod vitare excommunicatum quantùm ad collocutionem, & quantùm ad illa quæ ſunt merè civilia, non videtur eſſe de jure divino.* Rationem reddit: *quia ſi eſſet divinum præceptum, nulla indigentia etiam extrema, poſſet aliquem excuſare de participando cum excommunicato: quia propter nullam indigentiam etiam extremam ſunt præcepta divina frangenda, &c. Et hoc argumentum eſt multùm apparens: ideo vitare excommunicatum quantùm ad civilia iſta & non ſacramenta, eſt ſolùm de jure humano & non divino.* Ibidem quæſtione 2. cap. 12. *Habetur ex multis textibus, & ex practicâ quòd familiares excommunicati poſſunt participare cum eo in rebus civilibus. Ergo cum Rege excommunicato vaſalli poſſunt participare, cùm ſint quodammodo ſervi ejus: Nam obedientiam tenentur illi dare & exhibere.* Cajetanus cap. 18. in Matth. ad hæc verba: *Sit tibi ſicut Ethnicus & publicanus. Libenter viderent ſervari hanc definitam a Jeſu Chriſto ſententiam, & pœnam non audientium Eccleſiam: quòd ſcilicet ſufficeret eos haberi ut Ethnicos: hoc eſt ut ipſi quidem ex vi excommunicationis haberentur ut Ethnici & publicani, & non involverentur innocentes alii loquentes cum eis qui nullum peccatum incurrunt loquentes & comedentes cum Ethnicis.* Joannes Driedo lib. 1. de libertate Chriſtiana cap. 14. *Si ex jure divino*, ait, *non prohibemur communem eſcam ſumere, utpote comedere & bibere, videtur ſequi nos ex conſtitutione juris divini non prohiberi cum hæreticis edere & bibere; quod & manifeſtum videtur multis Sanctorum exemplis qui communicaverunt Juliano Imperatori Apoſtatæ in cibo & potu. Quod autem dicit Paulus ad* Titum 3. *hæreticum poſt unam aut alteram admonitionem devita. Et Joannes Euangeliſta: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, &c. Intelligitur talem non eſſe recipiendum, neque pro Prælato cui obediamus in ſacramentorum communione, neque pro*

Digitized by Google

Magiſtro ad doctrinam illius audiendam; neque pro membro Eccleſiæ ad communicandum illi ſpiritualia. Hi etenim ſunt actus in quibus etiam non poſſumus jugum ducere cum infidelibus & paganis

Hactenus Driedo. Gregorius Sayrus Religioſus Ordinis Sancti Benedicti opus magno cum judicio & diligentia ex omnibus Scholaſticis & ſummularum ſcriptoribus ab aliquot annis collegit. Libro autem ſecundo cap. undecimo numero 21. fermè innumeros tum Theologiæ cùm juris Pontificii Doctores recenſet, ex quibus ſtatuit participationem in civilibus cum excommunicatis ad ſummum non eſſe niſi peccatum veniale: *Cùm duplex ſit Chriſtianorum & fidelium participatio*, inquit, *una quæ Chriſtianorum propria eſt, quatenùs Chriſtiani ſunt, ut eſt participatio in divinis: alia quæ communis eſt hominibus quatenus homines & concives ſunt; ut eſt communicatio in temporalibus & actibus humanis, illam Eccleſia directè prohibet, & proinde cum excommunicato in divinis participans directè contra præceptum Eccleſiæ faciens moraliter peccat. Quia verò communionem cum excommunicatis in temporalibus prohibet tantùm indirectè, & ex conſequenti qui in illis communicat, non contra præceptum facit, & ideo venialiter tantùm peccat.* Cùm igitur communio & participatio in civilibus & temporalibus ſolo jure humano non divino prohibeatur, & ad ſummum dumtaxat veniale peccatum inducat, facile eſt judicare rectè quidem dictum ab Almaino *Vaſſalos & ſubditos Regis excommunicati poſſe cum eo verſari & conſueſcere in civilibus & temporalibus.* Quod etiam confirmatur definitione excommunicationis, quam ipſemet Suares tomo quinto in 3. partem diſputatione 8. ſeſſione 3. affert poſt omnes Eccleſiaſticos. *Excommunicatio*, ait, *eſt cenſura Eccleſiaſtica, quâ quiſpiam ſeparatur ab Eccleſiaſtica communione fidelium.* Cui definitioni generatim ſumptæ omnes excommunicationes ſpeciales Regum, aut aliarum perſonarum ſingularium debent ſicut ſpecies, generi ſuo convenire & ſubjici. Hîc autem Eccleſiaſtica communio civili & temporali opponitur: neque putandum eſt majorem excommunicationem à minori diſtingui; quaſi minor excommunicatio Eccleſiaſtica tantùm conſuetudine: Major verò & Eccleſiaſticâ & civili communionè homines privet. Hinc enim differentiæ ratio non petitur, ſed dumtaxat à duplici communione Eccleſiaſtica, quarum una in communione & receptione Sacramentorum conſiſtit: altera in abſoluta & generali communione omnium bonorum, ſuffragiorum, atque adjumentorum Legis gratiæ, hocque articulo Symboli Apoſtolici deſignatur:

Digitized by Google

gnatur: *Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum.* Quocirca minor excommunicatio dicitur à Theologis, quæ homines excludit communione, uſu & receptione ſacramentorum: Major autem quæ illos omni aditu Eccleſiæ, & generali communione Sanctorum abſolutè privat; ita ut tanquam membra putrida Eccleſiæ reſecentur, atque exilio ſpirituali puniantur. Quæ cùm ita ſint, miror Auctores Directorii Inquiſitorum parte 3. quæſt. 119. comment. 168. Et Jacobum Simancam Hiſpanum libro de Catholicis Inſtitutionibus, titulo 45. numero 25. ſcripſiſſe uxorem Catholicam non teneri reddere debitum viro hæretico: hoc enim & falſum & erroneum eſt; quia ut toties dixi, excommunicatio jus naturæ & gentium non reſolvit, quando certiſſimum eſt gratiam perficere, non deſtruere naturam. Credo equidem illos auctores hæc odio hæreſeos ſcripſiſſe. Sed oppono Theologos, & juris pontificii Profeſſores nihil contra veritatem cujuſquam odio vel gratiâ aut dicere, aut ſcribere debere, unamque ex ſummis illorum virtutibus eſſe veracitatem; ita ut cætera omnia veritati poſthabere debeant. Verùm quod ſuperiùs notatum ex civili converſatione cum Rege excommunicato ſolum veniale peccatum ad ſummum contrahi, mihi in mentem revocat regulam vulgarem Theologorum: ſcilicet: *Quando duo præcepta contraria juris diverſi ordinis inter ſe committuntur, tunc præceptum inferioris ordinis debere cedere præcepto ordinis ſuperioris.* Qua ex regula ſi comparationem faciamus venialis peccati, quod ex converſatione cum Rege excommunicato contrahitur, cum nefandis atque horribilibus cladibus & ſtrage populorum, quæ Regum abdicationes ſequi & comitari ſolent, pronum & facile omnibus erit de hac controverſia judicare, & videre longè ſatius eſſe aut more Patrum antiquorum Reges non excommunicare, aut cum illis excommunicatis conſueſcere in civilibus, quàm unitatem & tranquillitatem publicam labefactare; quia minus malum habet rationem boni in hac parte.

IV. Contra hæc principia veriſſima & certiſſima novi Theologi velitantur: nimirum Gregorius valenſis Profeſſor Theologiæ ſodalitii Jeſuitici 2. 2. quæſt. 12. articulo 2. *Infert enim non ſolùm excommunicatos eſſe vitandos, ſed etiam ab imperandi poteſtate, ſi quam habent, excidere; eò quòd nemo teneatur cum iis vivere, & conſequenter multò minùs parere.* Quam falſam opinionem Franciſcus Suares multò profuſiùs & ſpecioſiùs tractat in opere quod inſcripſit. *Defenſio fidei Catholicæ*

Digitized by Google

tholica adverſus formam Juramenti propoſitam Catholicis Anglis à Rege Magna Britannia. Summa verò omnium rationum Suaris eſt lib. 6. cap. 3. ſectione ſexta, & cap. 6. ejuſdem libri à ſectione 13. ad 17. *Quòd Rex contumax duobus modis poteſtate regni privari, & ejuſdem ſubditi totidem modis à Sacramento fidelitatis abſolvi poſſint. Primò quoad actum vel uſum duntaxat, & per modum cujuſdam ſuſpenſionis. Quocirca Canoniſtæ docent per excommunicationem, obligationem naturalem debitam Regibus non abſolutè tolli, ſed tantummodò ſopiri, & habitu non actu vigere.* Quam pariter opinionem *Cardinalis Perronius tuetur in ſua ſuaſione contra articulum Tertii Ordinis, affirmans in Principe quem Papa depoſuit, ſemper caracterem & habitudinem ad regiam dignitatem remanere. Alter modus quo Reges abdicari poſſunt apud Suarem eſt per modum abſolutæ depoſitionis, quando omni dominio & proprietate non modò quoad uſum, verùm etiam quoad habitum privantur; ita ut Papa ex Rege non Regem faciat*, auctore Bellarmino cap. 31. adverſùs Barclaium. Porrò contendit Suares *hos duos modos Reges abdicandi in formula juramenti Anglicani abnegari, idque planè erroneum eſſe in fide.* A qua etiam ſententia Cardinalis Perronius non longè abludit in ſua ſuaſione. Cæterùm Suares priorem modum privationis Regum in ipſo vinculo majoris excommunicationis includi Elencho à petitione principii probat nimirum *ex Gregorii VII. Conſtitutione: Nos Sanctorum Prædeceſſorum* 14. *quæſt.* 6. perhibetque ejuſmodi conſtitutionem eſſe declarationem juris, non aliquam novam prohibitionem, quia in vim, robur, & conſequentiam cenſuræ fit, eamque ſequitur tanquam effectus cauſam. *Nam*, inquit, *illa cenſura privat non tantùm ſacrâ, ſed etiam civili communicatione in omnibus rebus ſeu caſibus in jure non exceptis: In hoc autem non ſolùm fit exceptio, ſed etiam declaratur prohibitio. Quòd autem illa non ſit abſoluta depoſitio, ſed quaſi ſuſpenſio patet ex hac limitatione adjunctâ in conſtitutione Gregorii: quò uſque ipſi ad ſatisfactionem veniant. Hinc enim conſtat illam abſolutionem non eſſe perpetuam, ſed durante illo vinculo: Eſt ergo per modum ſuſpenſionis poteſtatis quoad uſum, & non per modum depoſitionis. Quia verò illa verba ultima: quouſque ipſi ad ſatisfactionem veniant, dicuntur non inveniri in codice manu ſcripto in Vaticano invento, ſimilis deciſio cum illa expreſſa declaratione reperitur ex Paſchali II. in cap. Juratos* 15. *quæſt.* 6. *quamdiu excommunicatus eſt. Et ſimilis limitatio habetur in cap. ultimo de pœnis. Neque contra hoc obſtat objectio Regis Angliæ, ait Suares, dicentis quia excommunicatio eſt ſpiritualis cenſura; & ideo privatio Juriſdictionis,*

Digitized by Google

nis, vel temporalis poteſtatis etiam quoad uſum & per modum ſuſpenſionis ejus fines excedit. Negatur enim conſecutio: nam licèt excommunicatio dicatur cenſura ſpiritualis vel à principali materia & fine illius, vel quia à ſpirituali poteſtate procedit: tamen ſicut poteſtas ipſa licèt ſit ſpiritualis indirectè, ad temporalia extenditur: ita etiam cenſura excommunicationis eodem modo & ſpiritualis eſt, & indirectè extenditur ad temporalia: privat enim non ſolùm communicatione ſacrâ, ſed etiam civili & humanâ, ut conſtat ex inſtitutione & uſu Eccleſiæ perpetuâ traditione approbato & in ſcriptura fundato. Nam 2 Joannis 1. *dicitur: neque ave ei dixeritis. Et Paulus* 1 Cor. 5. *cum ejuſmodi nec cibum ſumere. & rationem inſinuat ibidem, cùm ait, judicavi, &c. Tradere hujuſmodi hominem ſathanæ in interitum carnis, &c. Ita ergo per excommunicationem vexatur homo etiam in temporalibus & corporalibus, ut vexatio det intellectum & à contumacia recedat. Et hæc de priori modo deponendi, aut ſuſpendendi Reges juxta Suarem.*

Alter verò modus privationis per modum abſolutæ depoſitionis à regno, vel ab alia temporali poteſtate, & conſequenter cum perpetua abſolutione ſubditorum à fidelitate & obedientia civili, non eſt quidem effectus proprius & intrinſecus excommunicationis majoris, ſi nihil ampliùs addatur, ut ex propria materia. Suppono, inquit, *& ex communi uſu Eccleſiæ & ex allegatis etiam juribus ſatis colligitur: nihilominus tamen hæc etiam depoſitio & abſolutio per modum ſingularis pœnæ adjungitur cenſuris, quando delicta Principum cogunt Pontifices ad illâ ſeveritate utendum: qui uſus ſatis eſt à nobis lib.* 3. *comprobatus,* ait, *& inde covincitur poteſtas; quia tam publicus & conſtans uſus & tam efficax ſine violentia armorum non potuit eſſe ſine fide Eccleſiæ recognoſcentis in Pontifice legitimam poteſtatem ad illam pœnam imponendam, incluſam in poteſtate ligandi & ſolvendi Petro datam à Chriſto, ut in virga paſtorali quam ad regendam Eccleſiam accepit, coërceret. Et hic etiam habet locum ratio Pauli, quia oportet ſæpè hominem peccatorem corporaliter & temporaliter graviſſimè affligere ut reſipiſcat. Item eſt optima ratio, quia ſubditi ſæpè indigent hoc remedio, ne ſubvertantur. Ideo enim de hæretico dixit Paulus, poſt unam & ſecundam correptionem devita: quod multò magis in Principe quàm in aliis ſolet eſſe neceſſarium.* Huc uſque Suares lib. 6. cap. 6. à ſectione 13. ad 17. Quòd autem Lectorem rejicit ad librum ſuum tertium: certè libro illo cap. 16. & 17. probare molitur his verbis: *Tibi dabo claves regni cœlorum: quæcumque ſolveris, &c.* Matth. 16. *Et paſce oves meas* Joannis ultimo, *collatam fuiſſe Petro poteſtatem Reges abdicandi; quoniam ut*

Digitized by Google

initio capitis 16. *aſſerit: per poteſtatem directivam Eccleſiæ non intelligimus ſolam monendi aut regendi poteſtatem. Hæc enim, ait, non ſunt propria ſuperioris poteſtatis: ſed intelligimus propriam vim obligandi & cum morali efficacia monendi, quam poteſtatem aliqui ſolent coactivam appellare, quæ vox magis ad pœnas pertinet.* Hæc ibi: ſuam verò opinionem Suares libro 3. memorato confirmat partim Canoniſtarum conſenſu qui fermè omnes directam poteſtatem in Temporalibus Papæ attribuunt: partim Theologorum auctoritate qui indirectam poteſtatem agnoſcunt, quos Bellarminus initio libri contra Barclaium per claſſes ſuccenturiavit.

V. En igitur fundamentum Suaris, quod tam infirmum ac debile eſt, ut ad cauſas eſſentiales politicæ & Eccleſiaſticæ poteſtatis à Deo immediatè inſtitutas ac ſuperiùs explicatas collatum, nullomodò cohærere valeat: Solis enim elenchis ſophiſticis partim à petitione principii, partim à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter incumbit, quaſi Chriſtus aliam Eccleſiæ reliquiſſet poteſtatem quàm purè miniſterialem ſpiritualem, omni dominatu atque abſoluto imperio expertem. Verùm ſingula expendamus. Primùm fruſtrà deſudat in explicanda Gregorii VII. conſtitutione *Canone nos Sanctorum* 15. *quæſt*. 6. quoniam Gregorius in ſua cauſa non audiendus eſt, cujus placitis evolvendis librum quartum reſervamus; & de hac conſtitutione ibidem dicetur. Secundò eadem quoque eſt ratio Decretalis Paſchalis ſecundi, quam profert Suares ad explicationem conſtitutionis Hildebrandinæ. Tertiò vera atque invincibilis eſt hæc objectio quam Suares declinare conatur: *Puta excommunicationem eſſe ſpiritualem cenſuram, cujus effectus non poteſt pertingere ad ſuſpenſionem Regum in temporalibus.* Quartò Suares quidem ait cenſuram ratione poteſtatis indirectæ Papæ in temporalia, ſe ad ſuſpenſionem Regum extendere: Sed id non probat, nec probare poteſt, niſi ante convincat Chriſtum aliam Eccleſiæ poteſtatem quàm purè miniſterialem ſpiritualem contuliſſe, & veniſſe in mundum, non dicam ut dominationem Regum impediret, ſed planè everteret: quod Scripturæ & Traditioni Catholicæ Eccleſiæ repugnat, ut ſuprà eſt probatum. Quintò quod ex Apoſtolo & D. Joanne obtendit communicationem etiam in civilibus & temporalibus per excommunicationem prohiberi, ſolutum eſt paulò antè ex Almaino, Cajetano, Driedone & Gregorio Sayro: Eccleſia enim non tollit quæ non dedit; neque gratia naturam deſtruit, ſed perficit. Sextò fallit aut fallitur, dum poſt Sanderum

rum libro 2. de viſibilì Monarchiâ objicit Apoſtolum inceſtuoſum Corinthienſem in temporalibus & corporalibus in vim excommunicationis plexuiſſe, ut vexatio daret intellectum: & à pari infert idem licere Pontifici in abdicandis Regibus: quandoquidem hoc factum Apoſtoli, ſicut & mors Ananiæ & Saphiræ, Act. 5. non ſpectant ad miniſterialem & ordinariam poteſtatem Eccleſiæ relictam Chriſto, ſed ad poteſtatem extraordinariam patrandi miracula, quæ fundandæ Eccleſiæ erant perneceſſaria. Unde gloſſa ad illum textum cap. 5. prioris ad Corinth. Judicavi tradere hujuſmodi hominem Sathanæ. *Paulus*, inquit, *hanc poteſtatem dicitur habuiſſe, ut dum aliquem à ſtultitia non poſſet amovere, diabolo eum vexandum traderet. Item Lyranus. Sicut enim Apoſtoli a Domino habebant poteſtatem ejiciendi dæmones de corporibus obſeſſis: ita habebant poteſtatem tradendi eos dæmonibus affligendos pro enormibus peccatis: Sic etiam in primitiva Eccleſia affligebantur excommunicati.* Perperam ergo & ſophiſticè à poteſtate extraordinaria miraculorum ad poteſtatem excommunicandi quæ tota ordinaria eſt, Suares promit argumenta, & ita omnes ejus conatus ruunt. Septimò quæ habet de abſoluta Regum abdicatione nullo nituntur fundamento: quæque ad eam rem libro 3. ſuæ defenſionis exhibet, illudunt à petitione principii. Et infrà libro 5. ſigillatim expendentur atque depellentur. Octavò argumentum quod à conſtanti & tam efficaci uſu abſque violentia armorum petit, planè ruinoſum eſt; quoniam hic uſus ſolùm originem habuit à Gregorio VII. de quo ſequenti libro, & numquam abſque ſchiſmate & violentia armorum, ut Suares ignaris hiſtoriæ vult imponere, extitit. Imò tantum Chriſtiani ſanguinis hauſit, ut ſub diriſſimis & crudeliſſimis perſecutionibus Neronis, Domitiani, Decii, Diocletiani, & aliorum Imperatorum infidelium vix tantum ſit effuſum. Nonò fruſtrà quoque & contra principia Legis gratiæ dicit opus eſſe homines Chriſtianos à Papa aut aliis Prælatis corporaliter & temporaliter affligi debere: quoniam virga paſtoralis relicta Eccleſiæ à Chriſto, eſt mitiſſima & ſuaviſſima, ut aliàs oſtendimus. Decimò: hi textus: *Tibi dabo claves: Paſce oves meas, &c.* libro 5. Analyticæ enucleabuntur. Undecimò: ut fateor Eccleſiam non ſolùm habere poteſtatem directivam aut præceptivam ad monendum & rogandum dumtaxat, verùm etiam ad coërcendum & cogendum: ita contendo hanc poteſtatem coactivam directivæ poteſtati proportionatim reſpondere ſecundùm cauſas eſſentiales poteſtatis Eccleſiaſticæ ſpirituales non temporales. Quando igitur pote-

Digitized by Google

ſtas directiva Eccleſiæ animam habet pro materia & ſubjecto,quo eam per actus hierarchicos informet, ut demonſtratum eſt, relinquitur pariter coactivam poteſtatem ad animam neceſſariò referri oportere, eamque fructu communionis ſanctorum, atque aliis adjumentis ſpiritualibus, non autem vitæ civilis commercio, aut opibus terrenis, vel aliis humanæ vitæ ſubſidiis privari poſſe. Quod tam clarum eſt ex ſuperioribus, ut ſol clarior non ſit. Duodecimò de Auctoribus quos Suares opinioni ſuæ velificari perhibet, libro quinto dicetur.

Procul dubio Gregorius VII. has voces: *Quodcumque ligaveris, &c.* Matt.16. Omnium primus ad abſolutionem ſubditorum à ſacramento fidelitatis Regibus naturaliter debitæ detruſit, atque edixit excommunicationem eam vim habere artic. 6. ſuorum dictatuum qui ſic habet: Quod cum excommunicatis à Papa inter cætera, *nec in eadem domo debemus manere.* De quibus dictatibus accuratè libro ſequenti: Porrò cùmGregorius uſu ipſo didiciſſet hoc ſuum edictum legem naturalem, & poteſtates politicas funditus convellere, ipsâ experientiâ ſapientior effectus, tum demum illius edicti aſperitatem ſic annixus eſt mitigare 11.quæſt.3.can. *Quoniam multos peccatis noſtris exigentibus pro cauſa excommunicationis perire quotidiè cernimus partim ignorantiâ, partim nimiâ ſimplicitate, partim timore, partim etiam neceſſitate devicti, miſericordiâ anathematis ſententiam ad tempus prout poſſumus opportunè temperamus. Apoſtolicâ itaque authoritate ab anathematis vinculo hos ſubtrahimus, videlicet uxores, liberos, ſervos, ancillas ſeu mancipia, nec non ruſticos ſervientes, & omnes alios qui non adeò curiales ſunt, ut eorum conſilio ſcelera perpetrentur, & eos qui ignoranter excommunicatis communicant, &c.* Quo ex Decreto Gregorii dehinc Canoniſtæ hunc ſolemnem verſum concinnarunt:

Utile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.

Eoque deſignantur cauſæ propter quas licet verſari cum excommunicatis conformiter ad ea quæ ſuperius diximus: ſcilicet converſationem in civilibus & temporalibus juris eſſe humani, non divini. At verò quando gratia & miſericordia juri ſtricto opponitur. Si Gregorius VII. non ratione ſtricti juris, ſed ſolius miſericordiæ causâ permotus exemit à jure divino uxores, liberos, ſervos, ancillas, mancipia, agricolas, qui cum maritis, parentibus, & dominis ſuis conſueſcunt in civilibus & temporalibus: certè relinquitur Papam habere poteſtatem diſpenſandi de jure divino, & Chriſtum inſtituendo poteſtatem Eccleſiaſticam ad cenſuras ferendas, unà legem divinam penitus abrogaſſe: ſicque gratiam deſtruere, non perficere naturam; quippe qui voluerit uxorem conjugi excommunicato

Digitized by Google

to debitum benevolentiæ officium minimè dependere; liberos parentibus non obedire, nec ſervos dominis famulari in civilibus & temporalibus; neque etiam agricolas prædia dominorum ſuorum excolere. Sicque dato quòd Rex aliquis excommunicatione innodaretur, juxta rationem ſtricti juris divini Gregorii VII. oporteret omnes de illius regno exire atque agriculturam deſerere verùm qui hæc Gregorii VII. placita abſque cavillationibus cum manſuetudine Legis gratiæ concordare, & hoc Apoſtoli oraculo minimè damnari potuerit convincere: *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitia eſt illi, & non poteſt intelligere quia ſpiritualiter, non temporaliter examinatur.* Lubenter ſententiam Gregorii velut dogma Catholicum amplectar & tuebor. At quid opus habebat Gregorius eorum mentionem facere, qui cum excommunicatis ignoranter communicant? *Cùm de iis quæ non apparent & quæ non ſunt idem planè ſit judicium.* Porrò ſicut Lege divinâ & naturali homines privati quos ad civilem ſocietatem natura procreavit, conjugibus, liberis & ſervis mutuò obligantur; eſtque impoſſibile civilem ſocietatem his extinctis officiis vigere: & proinde hæc jura convellere, ita politicæ poteſtatis, ut tales quocumque modo exiſtant aut exerceantur, nimirum monarchicè, ariſtocraticè, aut democraticè, ſubditis quidem naturalibus conſiliariis & agricolis, cæteriſque ſervis carere nullomodò poſſunt. Quare ſuprà Almainus rectè docuit *Vaſſalos & ſubditos Regum poſſe cum eis licitè participare in civilibus & temporalibus:* quoniam civilia & temporalia tolli non poſſunt per excommunicationem: quicquid & Bellarminus & Suares cum Socienis in contrarium comminiſcantur: ſiquidem ex cauſis eſſentialibus poteſtatis Eccleſiaſticæ probari nequit aliam quam purè miniſterialem poteſtatem relictam eſſe Eccleſiæ abſque ullo jure cogendi temporaliter: quoniam Papa non habet clavem eminentiæ aut abſolutæ auctoritatis, ſed puri tantùm miniſterii, ut clauderet atque aperiret cœlum, congruenter ad normam poſitam à Chriſto. Quâ ratione cavit Dominus ne Eccleſiaſtici iracundiâ aut alio pravo animi affectu abrepti publicam pacem & tranquillitatem, quæ juris eſt divini naturalis labefactarent.

VI. Verùm ut in excommunicationis & cenſurarum naturam altiùs penetremus, primò notandum ex Chryſoſtomo homiliâ 15. in caput 5. prioris ad Corinthios, excommunicationem eſſe potius *curam gerentis & medentis, quàm ſolùm ſecantis & punientis.* Unde Patres undecimi Concilii Toletani can. 7. *juxta antiquæ inſtitutionis edictum, plus erga corrigendos agere debet bevolentia quàm ſeveritas; plus co-*

Digitized by Google

hortatio quàm commotio; plus charitas quàm poteſtas: Ideoque inter Theologos & Canoniſtas vulgò percrebuit excommunicationem habere rationem medicinæ. Hercle quidem naturam & conditionem legis ſtrictiſſimè debet æmulari: cùm autem finis omnium præceptorum & legum ſit charitas, pax, tranquillitas atque unio, non turba, non tumultus, diviſio, ſchiſma, aut bellum: cenſuræ omnes juſtæ eſſe, neceſſariæ, poſſibiles, utiles, loco temporique convenire debent, ut de legibus *diſtinct.* 4. *can. Lex edicitur.* Itaque ſi facilè & cum fructu in rem judicatam demitti non poſſit, iis eſt planè abſtinendum, & ſuperſedendum; idque Dominus Matth. 13. *declarat ſimilitudine zizaniorum quæ eradicari prohibet, ne fortè una eradicetur & triticum.*

VII. *Quæ prohibitio negativo præcepto æquipollet, ac proinde ad ſemper & pro ſemper obligat,* ut in confeſſo eſt apud omnes Theologos. Gloſſa ad hunc locum: *Domine, vis imus & colligimus zizania, id eſt excommunicemus? multitudo,* inquit, *non eſt excommunicanda, nec Princeps populi: quam in ſententiam laudat S. Auguſtinum, cujus ego varia teſtimonia ex libris contra Epiſtolam Parmeniani non gravabor exſcribere.* Et quidem lib. 1. cap. 14. *Noluit Dominus ante tempus eradicare zizania, & à frumentorum permixtione ſeparare.*

1. *Sinite, inquit, utraque creſcere uſque ad meſſem. Et cùm involucrum ejuſdem ſimilitudinis quærentibus diſcipulis explicaret: non, ait, ager eſt Africa, ſed ager eſt hic mundus.*

VIII. Per totum ergo mundum ſeges iſta ſeminata eſt: per totum ſuperſeminata zizania: per totum creſcit utrumque uſque ad meſſem, &c. Meſſis autem finis ſæculi; meſſores autem Angeli ſunt: Tales enim meſſores errare non poſſunt ut frumenta pro zizaniis colligant, vel pro frumentis zizania religent, &c.

2. Item libro 2. cap. 1. *Quiſquis vel quod poteſt arguendo corrigit, vel quod corrigere non poteſt, ſalvo pacis vinculo excludit: vel quod ſalvo pacis vinculo excludere non poteſt, æquitate improbat, firmitate ſupportat: hic eſt pacificus & ab iſto maledicto immunis, quod ſcriptura dicit: væ his qui dicunt quod nequam eſt bonum, & quod bonum eſt nequam.*

3. *Ibidem cap.* 8. *Servemus unitatem ſpiritus in vinculo pacis, nec propter malos bonos deſeramus, ſed propter bonos malos ſufferamus; ne cùm defendere malumus quod temerariâ præſumptione relinquimus incognitos, cogamur majori ſcelere damnare inauditos: cum etiam certum ſit quia peccatores Deus audit. Subnectit Auguſtinus hæc verba. Deus peccatores non audit.* Joannis 9. *non dicta eſſe à Domino, ſed à cæco quem illuminaverat.*

4. Eo-

Digitized by Google

4. Eodem lib. 2. contra Parmenianum cap. 2. *docet nihil eſſe gravius ſacrilegio ſchiſmatis, quia præcidendæ unitatis nulla eſt juſta neceſſitas; cùm ſibi nequam ſpiritualiter nocituros malos ideo tolerent boni, ne ſpiritualiter ſejungantur à bonis: cùm diſciplinæ ſeveritatem conſideratio cuſtodiendæ pacis refrænat aut differt, quam tamen ſecuritas exerit: cum apparet ſine vulnere ſchiſmatis ad ſalubrem correctionem poſſe aliquid Eccleſiaſtico judicio vindicari. Diſcimus enim magnum nomen Domini eſſe cum eis qui eum metuunt, quamvis permixti ſint turbis eorum qui eum non metuunt: Et illud quod Apoſtolus ait: Novit Dominus qui ſunt ejus, &c. Si enim bono pacis ne ante tempus, cùm zizania colliguntur, eradicetur ſimul & triticum, neceſſitate cogitur quiſquam eſſe inter injuſtos, recedat ab injuſtitia, & ſecurus invocet nomen Domini. Similiter enim & ab injuſtis recedit, & ab eis exit atque ſeparatur interim corde, ut etiam corpore à talibus in fine ſeparari mereatur.*

5. At lib. 3. cap. 1. contra ejuſdem Parmeniani Epiſtolam. *Cùm omnis pia ratio & modus Eccleſiaſticæ diſciplinæ unitatem ſpiritus in vinculo pacis maximè debeat intueri: quod Apoſtolus ſufferendo invicem præcipit cuſtodiri; & quo non cuſtodito medicina, vindicta non tantùm ſuperflua, ſed etiam pernitioſa; & propterea jam nec medicina eſſe convincitur. Illi filii mali qui ne luce veritatis carere oſtendantur, umbram rigidæ ſeveritatis obtendunt: & quæ in Scripturis Sanctis ſalvâ dilectionis ſinceritate & cuſtoditâ pacis unitate ad corrigenda fraterna vitia moderatiori curatione fieri præcepta ſunt, ad ſacrilegium ſchiſmatis, & ad occaſionem præciſionis uſurpant, dicentes: Ecce, ait Apoſtolus: Auferte malum ex vobis ipſis. Quod malum utique, ſi integris inquiunt, non obeſſet, nec juberetur auferri. Interim videamus ne fortè non fruſtrà dixerit Apoſtolus: auferte malos a congregatione veſtra: ſed auferte malum ex vobis ipſis; quia cum quiſque impeditur ab Eccleſiæ congregatione malos homines ſeparare, ſi ex ſeipſo auferat malum, non eis corde miſcetur: atque ita ſpiritualiter non ſolum conjungitur bonis, ſed etiam ſeparatur à malis. Sic enim in hoc loco Timoth. cum dixiſſet: neque communicaveris peccatis alienis: tanquam ille diceret fieri poſſe ut aliquos malos ab Eccleſiæ congregatione ſeparare non poſſet: Et ideò tolerare cogeretur tanquam conſilium dans quemadmodum peccatis eorum non communicarent, &c. Auferte, inquit, malum ex vobis ipſis; ut ſi fortè non poſſent auferre malos a congregatione ſua, auferendo malum ex ſeipſis, id eſt non cum eis peccando, nec eis ad peccandum conſentiendo aut favendo integerrimi inter eos & incorruptiſſimi verſarentur: quia per malum ſuum malo quiſque conſentit. Si autem ex ſeipſo auferat malum,* alieno

Digitized by Google

alieno malo non eſt unde conſentiat, &c. Et ideo ſicut Apoſtolus admonet, ſi auferat malum à ſeipſo, non ſolùm auferet audaciam committendi aut peſtilentiam conſentiendi, ſed etiam pigritiam corrigendi, & negligentiam vindicandi adhibitâ prudentia & obedientia: Eò quòd præcipit Dominus ne frumenta lædantur. Eâ quippe intentione quiſque inter triticum & zizaniam toleraverit, auferendo à ſe ipſo malum non eis communicat, & ea diſtinguit, ac judicat interim diem. Non enim novit quid cras futurum ſit: & ideo dilectione ſervatâ non ſine ſpe correctionis vindicandum eſt, quicquid corrigi vel vindicari neceſſaria ſeveritas poſtulat. Et aliquantò pòſt: *Si quis autem non obaudit verbo noſtro, per Epiſtolam hunc notate, & non commiſceamini cum illo, ut erubeſcat; & non inimicum eum æſtimetis, ſed corripite ut fratrem.*

6. *Audiant iſti aliquando & intelligant quemadmodum ſatagat charitas Apoſtolica, ut ſufferentes invicem ſtudeamus conſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Nam & hic cùm dixiſſet: & non ut inimicum eum exiſtimetis, ſed corripite ut fratrem, tanquam oſtendens cur hoc dixerit, continuò ſubjunxit: Ipſe autem Deus pacis det vobis pacem ſemper in omni bono. Quare aliquantò poſt hæc verba* 2 Corinth. 2. *Si cui autem aliquid donaveritis, &.ego: Nam & ego ſi cui donavi propter vos in perſona Chriſti, ut non poſſideamur à ſathana. Non enim ignoramus mentes ejus, &c. Sed quid illud quo concluſit iſtam ſententiam, ut non poſſideamur à ſathana: non enim ignoramus mentem ejus: Ipſe eſt enim qui per imaginem quaſi juſtæ ſeveritatis crudelem ſævitiam perſuadet, nihil aliud appetens venenoſiſſimâ verſutiâ ſuâ, niſi ut corrumpat atque diſrumpat vinculum pacis & charitatis, quo conſervato inter Chriſtianos vires ejus invalidæ ſunt ad nocendum, & muſcipula inſidiarum comminuitur, & conſilia everſionis evaneſcunt.*

7. Eodem lib. 3. cap. 2. ubi de excommunicatione inceſtuoſi Corinthii cap. 5. prioris ad Corinth. diſputat. *Ait Apoſtolum commendare excommunicationem ferri humilitate lugentium, non ſuperbiâ ſævientium. Ibidem ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite eum in ſpiritu lenitatis: alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Quid eſt lex Chriſti, ait: niſi mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem. Quid eſt lex Chriſti, niſi pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis? Eodem capite circa medium objectionem movet. Quomodo præcipienti Apoſtolo poterimus obedire, qui vetat cum ſceleratis nec cibum ſumere. Si enim ſolam cordis ſeparationem ab eis faciendam eſſe præciperet, non diceret: ſcripſi vobis in Epiſtola non com-*

Digitized by Google

commiſceri fornicariis, &c. Perſuadet ergo ante tempus meſſis à frumento zizania ſeparari. Quod ſi facere noluerimus quoniam Dominus prohibet, toleraturi ea ſumus, & in ſola cum eis voluntatis & cordis ſeparatione perſeveraturi: ac per hoc etiam cibum ſumere cum talibus etiam prohibet Apoſtolus. In hac velut anguſtia quæſtionis non aliquid novum aut inſolitum dicam. Sed quod ſanitas obſervat Eccleſiæ: Et cùm quiſque fratrum id eſt Chriſtianorum intùs in Eccleſiæ ſocietate conſtitutorum in aliquo tali peccato fuerit deprehenſus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc, ubi periculum ſchiſmatis nullum eſt: atque id cum ea dilectione de qua ipſe alibi præcipit dicens, ut inimicum non exiſtimetis, ſed corripite ut fratrem: non enim eſtis ad eradicandum, ſed ad corrigendum. Quod ſi ſeſe non agnoverit, neque pœnitendo correxerit, ipſe foràs exiet, & per propriam voluntatem ab Eccleſiæ unitate dirimetur. Nam & ipſe Dominus cùm ſervis volentibus colligere zizania, dixit: Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem: præmiſit cauſam dicens, ne fortè cum vultis colligere zizania, eradicetis ſimul & triticum. Ubi ſatis oſtendit, cùm metus ille non ſubeſt, ſed omnino de frumentorum certa ſtabilitate certa ſecuritas manet: Id eſt quando ita cujuſque crimen notum eſt omnibus, & omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorsùs, vel non tales habeat defenſores per quos poſſit ſchiſma contingere, non dormiat ſeveritas diſciplinæ, in qua tantò eſt efficacior emendatio pravitatis, quantò diligentior confirmatio charitatis. Tunc autem hoc ſine labe pacis & unitatis, & ſine læſione frumentorum fieri poteſt, cùm congregationis Eccleſiæ multitudo ab eo crimine quod anathematizatur, aliena eſt: Tunc enim adjuvat præpoſitum potius corripientem, quàm crimninoſum reſiſtentem. Tunc ſe ab ejus conjunctione ſalubriter continet, ut nec cibum quiſquam cum eo ſumat non rabie inimica, ſed coërcitione fraterna. Tunc etiam ille & timore percutitur & pudore ſanatur, cùm ab univerſa Eccleſia ſe anathematizatum videns, ſociam turbam cum qua in delicto ſuo gaudeat & bonis inſultet, non poteſt invenire. Ad hoc enim & ipſe Apoſtolus ait: ſi quis frater nominatur: In eo quippe quod ait: Si quis: nihil aliud videtur ſignificare voluiſſe, niſi poſſe eum tali modo ſalubriter corrigi qui inter diſſimiles peccat, id eſt inter eos quos peccatorum ſimilium peſtilentia non corrumpit. In eo verò quod ait: Nominatur. Hoc nimirum intelligi voluit parum eſſe ut ſit talis niſi etiam nominetur, id eſt famoſus appareat, ut poſſit omnibus digniſſima videri quæ in eum fuerit anathematis prolata ſententia. Ita enim & ſalvâ pace corrigitur, & non interfectoriè percutitur, & medicinaliter uritur. Propterea & de illo dixi, quem tali medicinâ ſanari voluerat: Satis huic eſt correptio quæ fit à multis.

tis. Neque enim poteſt eſſe ſalubris à multis correptio, niſi cùm ille corripitur qui non habet ſociam multitudinem. Cùm verò idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud bonis reſtat quàm dolor & gemitus, ut per illud ſignum quod Ezechieli ſancto revelatur, illæſi evadere ab illorum vaſtatione mereantur. Ad eum enim qui errare non poteſt clamant: Ne perdas cum impiis Deus animam meam, & cum viris ſanguinum vitam meam, ne cum voluerint colligere zizania, eradicetur ſimul & triticum, ne per diligentiam ſegetem dominicam purgent, ſed per temeritatem ipſi potius inter purgamenta numerentur, &c. Et reus, ſi contagio peccandi multitudinem invaſerit, divinæ diſciplinæ ſevera miſericordia neceſſaria eſt. 23. *quæſt. can. Non poteſt. Nam conſilia ſeparationis & inania ſunt & perniciosa atque ſacrilega, quia & impia ſunt, & ſuperba fiunt, & plus perturbant infirmos bonos, quàm corrigant animoſos malos, &c. Miſericorditer igitur corripiat homo quod poteſt: quod autem non poteſt patienter ferat & dilectione gemat atque lugeat, donec aut ille deſuper emendet & corrigat, aut uſque ad meſſem differat eradicare zizania & paleam ventilare. Ut tamen ſecuri de ſalute ſua boni Chriſtiani inter deſperatos quos corripere non valent, in unitate verſentur: auferant malum ex ſeipſis, id eſt ut in ipſis non inveniatur, quod in moribus aliorum eis diſplicet. Unde Apoſtolus: Auferte, inquit, malum ex vobis ipſis, ut per correptionem ſeparationis de congregatione fratrum malus quiſque auferendus ſit, ſtudio tamen ſanandi, non odio perimendi eſſe faciendum nemo dubitaverit, & quis adhibendus ſit modus, temporaque ſervanda, ne pax Eccleſiæ violetur: in qua maximè tritico parcendum eſt, ne ſimul cum zizaniis eradicetur, &c. Hoc qui diligenter cogitat, nec in conſervatione unitatis negligit diſciplinæ ſeveritatem, nec immoderatione coërcitionis diſrumpit vinculum ſocietatis.*

8. *Nam hoc ipſum quod ait Apoſtolus cum ejuſmodi nec cibum ſimul ſumere; quam multi boni Chriſtiani faciunt de iis de quibus familiarius curam gerunt, ut à quorum conſortio ſe potuerint ſeparare quos tali correptione poſſe corrigi ſentiunt, vel quos omnino corrigi poſſe deſperant, ne alios colloquiorum malorum contagione corrumpant, non dubitant facere. Facit hoc bene, id eſt humili charitate ac benigna ſeveritate, qui ſic præeſt fratribus, ut eorum ſervum ſe eſſe meminerit: ſicut ſeſe habent ipſius Domini preceptum & exemplum: Tunc enim fit ſine typho elationis in hominem, & cum luctu deprecationis ad Deum. Sed quàm facile de gradu Clericorum quiſque ab Epiſcopo, vel de numero pauperum quos paſcit Eccleſia, vel de ipſa congregatione laicorum ſive ab Epiſcopo, ſive à Clero, vel quocumque*

præ-

Digitized by Google

præpoſito cui eſt poteſtas, eximitur: Ita & cum ejuſmodi à cæteris, quibus hæc præcipi poteſt, nec cibus ſumatur: tam facile malorum multitudo in quolibet ordine Eccleſia non poteſt à bonorum commixtione ſeparari & expelli. Nam & in domibus ſuis quique boni fideles ita diſciplinam ſuorum moderantur & regunt, ut ibi quoque obtemperent Apoſtolo præcipienti cum ejuſmodi nec cibum ſumere: Cum & de filiis ſuis & de domo Patris hoc faciunt vel fieri jubent, cùm eos vident ita vivere, ut hoc eis eſſe faciendum ipſa quam habent in eos charitas ſuggerat.

9. *Turba autem iniquorum cùm facultas eſt in populis promendi ſermonem generali objurgatione ferienda eſt, & maximè ſi occaſionem atque opportunitatem præbuerit aliquod Domini flagellum deſuper, quo eos appareat pro ſuis meritis vapulare. Tunc enim aures humiles præbet emendantis ſermonis calamitas auditorum, faciliuſque in gemitum confitendi quàm in murmura reſiſtendi afflicta corda compellit. Sicut tunc B. Cyprianus de Collegis ſuis fortaſſe illa non diceret, niſi eum deſuper ſeveritas divina adjuvaret, &c.*

10. Item eodem libro 3. adverſus Pamenianum cap. 5. versùs finem: *Nulla eſt igitur ſecuritas unitatis, niſi ex promiſſis Dei Eccleſia declarata, quæ ſuper montem, ut dictum eſt conſtituta abſcondi non poteſt: Et ideo neceſſe eſt ut omnibus terrarum partibus nota ſit. Inconcuſſum igitur firmumque teneamus nullos bonos, etiamſi cognitos ſibi malos patiantur ubicumque verſantur, propter eos ſe à longè poſitis & incognitis bonis temerario ſchiſmatis ſacrilegio ſeparare; & in quacumque parte terrarum vel facta ſunt iſta, vel fiunt, vel futura ſunt, cæteris terrarum partibus longè poſitis, & utrum facta ſint, vel cur facta ſint ignorantibus, & tamen cum orbe terrarum in unitatis vinculo permanentibus ea ipſa ſit firma ſecuritas non hoc potuiſſe facere, niſi aut ſuperbia tumore: furioſos, aut invidentia livore veſanos, aut ſæculari commoditate corruptos, aut carnali timore perverſos. Quibus omnibus cauſis efficitur ut vel boni falſis criminibus infamentur, vel temerè de bonis falſa credantur, vel etiam mali qui pro unitatis vinculo tolerati nihil obſint bonis diruptâ bonorum pace perverſiſſimè fugiantur, cum vexationi frumentorum non parcitur: uſurpantibus ſibi hominibus ante meſſem quod Angeli in meſſe facturi ſunt.*

Cæterùm hanc collectionem ex Auguſtini libris contra Parmenianum ideo profuſiorem feci, quòd ſit inſtar normæ congruentis legi gratiæ, atque eſſentialibus cauſis poteſtatis ſpiritualis miniſterialis, quam Chriſtus Eccleſiæ credidit: quam ad normam omnes Prælati Eccleſiæ noctes atque dies collimare debent. Et utinam Curia Roma-

Digitized by Google

na quæ congregationem de ſervandis atque capeſcendis novis atque externis ritibus inſtituit, in hujus diſciplinæ Auguſtini cuſtodiendæ & ad omnes propagandæ ſtudium tam ardenter, quàm in permulta alia inutilia ad faſtum externum ſpectantia incumberet. Porrò dum hanc Auguſtini regulam cum geſtis Gregorii VII. adversùs Henricum IV. Imperatorem confero, alterum iſtorum mihi neceſſariò ſequi videtur: putà aut hanc B. Auguſtini doctrinam, aut Gregorii VII. placita & geſta legi Euangelicæ & manſuetudini Chriſti nullomodò concordare; velimque adverſarios, depoſito omni animorum motu hæc ita inter ſe componere, ut nos bona fide ſicut Chriſtianos decet, abſque ullis ſophiſticis cavillationibus edoceant; alterius doctrinam & geſta legi gratiæ & charitati, quæ finis eſt omnis præcepti conſentire; idque ut expeditius fiat, Analyſin collectionis Auguſtini ad decem articulos revocabo. Primus eſt: ideo Chriſtum ad finem ſæculi zizania eradicanda Angelis reſervaſſe, quòd tales meſſores errare, atque frumenta pro zizaniis aut zizania pro frumentis capere non poſſent. Non enim homines norunt quod ſerus veſper vehat, quid cras futurum ſit. Quamobrem dilectione ſervatâ non ſine ſpe correctionis vindicandum eſt quicquid corrigi vel vindicari neceſſaria ſeveritas poſtulat, inquit Aug. libro 3. cap. 1. contra eamdem Epiſtolam Parmeniani. Certè aliquis eſt hodie zizania qui cras erit frumentum. Vel ut Nazianzenus ait oratione ad Arrianos jam ſuperiùs laudatâ: Multi ex iis qui nunc in numero luporum ſunt, tandem inter oves recenſebuntur, ac fortaſsè etiam inter Paſtores.

Secundò docet quinam verè habendus ſit pacis, id eſt Chriſti & legis Euangelicæ filius. *Quisquis nimirum vel quod poteſt arguendo corrigit, vel quod corrigere non poteſt, ſalvo pacis vinculo excludit: vel quod ſalvo pacis vinculo excludere non poteſt, æquitate improbat, firmitate animi Chriſtiani exemplo Chriſti ſupportat, &c.* Quare libro 3. cap. 2. contra Epiſtolam Parmeniani ait Apoſtolum præcipere, *ut excommunicatio feratur humilitate lugentium, non ſuperbiâ ſævientium: ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite hujuſmodi in ſpiritu lenitatis, conſiderans temetipſum, ne & tu tenteris: Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Quid eſt Lex Chriſti,* ait, *niſi mandatum novum do vobis ut diligatis invicem? Quid eſt Lex Chriſti, niſi pacem meam do vobis: pacem meam relinquo vobis. D. Ambroſius lib. 2. officiorum. cap. 27. Cum dolore amputatur etiam quæ putruit pars corporis, & diu tractatur ſi poteſt ſanari medicamentis: ſi*

non

Digitized by Google

non poteſt, tunc à medico bono abſcinditur. Sic Epiſcopi affectus boni eſt, ut optet ſanare infirmos, ſerpentia auferre ulcera, adurere aliqua non abſcindere. Poſtremò quod ſanari non poteſt, cum dolore abſcindere: Unde pulcherrimum illud præceptum magis eminet ut cogitemus non quæ noſtra ſunt, ſed quæ aliorum: Hoc enim modo nihil erit quod vel irati noſtro indulgeamus affectui, vel faventes noſtræ plus juſto tribuamus aliquid voluntati.

Tertiò demonſtrat charitatem, pacem, atque unitatem Eccleſiæ eſſe debere finem & ſcopum omnium noſtrarum actionum; ita ut perpetuò ſervemus unitatem ſpiritus in vinculo pacis; adeò ut nec propter malos bonos deſeramus, ſed propter bonos malos ſufferamus, ne cùm defendere volumus quod temerariâ præſumptione relinquimus, incognitos cogamur majori cum ſcelere damnare inauditos: hoc eſt cogamur frumenta habere pro zizaniis contra primum articulum hujus collectionis. Adi Auguſtinum lib. de fide & operibus à capite 2. ad 5.

Quartò notat nulli umquam poſſe juſtam ſchiſmatis faciendi cauſam contingere, quod ſacrilegium meritò appellat; quia Eccleſiam quæ eſt corpus Chriſti, diſcerpit atque dilaniat. Inſuper ait ſatis eſſe bonis, dum inter malos & injuſtos eſſe coguntur, ſi ab illorum injuſtitia, cum corpore non poſſint, corde recedant. Huc & divina illa Dionyſii Alexandrini de ſchiſmate Novati ſententia accedit: *Oportuerat enim omnia incommoda potius ſubiiſſe, quàm Eccleſiæ Dei ſcidiſſe concordiam: atque illud martyrium quod quis perpetitur, ne dirimatur Eccleſiæ conſenſus, non minùs certè, ſed multò plus meo quidem judicio habet commendationis, quàm illud quod ſuſcipitur, ne idolis omnino immoletur: Nam in hoc pro una quiſque anima ſuffert martyrium: In illo autem pro tota Eccleſia.* Euſebius lib. 6. cap. 37.

Quintò vindictam medicinæ. Hoc eſt excommunicationem eſſe ſuperfluam & perniciosam, niſi pax atque unitas Eccleſiæ ſervetur. Quare zelotes *qui ne luce veritatis carere videantur, umbram rigidæ ſeveritatis obtendunt*, ſeque his Apoſtoli verbis munire conantur: Auferte malum ex vobis, filios malos appellat: illoſque hoc Apoſtoli teſtimonio ad ſacrilegium ſchiſmatis & ad occaſionem præſcindendæ unionis abuti notat. Satis enim eſſe ait, ſi quis fortè non poteſt malos à congregatione ſua auferre, à ſeipſo malum auferat, id eſt non ſe coinquinet ſcelere nefariorum, conſentiendo aut favendo eorum actionibus malis. Quocirca ſi auferat malum à ſeipſo, non ſolùm

Digitized by Google

lùm auferet audaciam committendi mali, aut peſtilentiam conſentiendi malo; ſed etiam pigritiam corrigendi, atque negligentiam vindicandi adhibitâ prudentiâ atque obedientiâ; quoniam præcipit Dominus ne frumenta lædantur, judicans interim atque expectans diem, quo fiet à Domino ſeparatio zizaniorum à frumento. Itaque concludit hac de cauſa Apoſtolum non dixiſſe: *Auferte malos ex vobis, ſed auferte malum, &c.* His concordant quæ leguntur libro de fide & operibus ejuſdem Auguſtini cap. 5. *Nos verò*, ait, *ad ſanam doctrinam pertinere arbitramur ex utriſque teſtimoniis tutam ſententiam moderari: ut & canes in Eccleſiâ propter pacem Eccleſiæ toleremus, & canibus Sanctum, ubi pax Eccleſiæ tuta eſt, non demus.* Accedit inſuper quod ut libro primo de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 17. ait: *In Eccleſia ſi aliud alii & aliud alii ſalvâ pace ſentirent, donec univerſali Concilio unum aliquid eliquatum ſincerumque placuiſſet, humanæ infirmitatis errore cooperiret, charitas uni ſatis, ſicut ſcriptum eſt, quia charitas cooperit multitudinem peccatorum.*

Sextò contendit pacem unicè ſervandam in Eccleſia, ne à Sathana poſſideamur, *qui quidem de more habet per imaginem quaſi juſtæ ſeveritatis & diſciplinæ crudelem ſævitiam perſuadere, nihil aliud appetens venenoſiſſimâ ſuâ verſutiâ, quàm ut corrumpat atque diſrumpat vinculum pacis & charitatis, quo conſervato inter Chriſtianos, vires Sathanæ invalidæ ſunt ad nocendum, & decipula inſidiarum illius comminuitur, atque conſilia everſionis evaneſcunt.* Hæc autem multis poſſunt exemplis eorum comprobari, quæ ſæculo noſtro contra Hugonotas prætextu religionis aſſerendæ magnâ hominum ſtrage confici vidimus; adeo ut pro uno Hugonota oppreſſo viginti & eo plus Catholici trucidati fuerint; ut alia etiam innumera mala & ſcelera quæ bello civili patrantur ſilentio premamus. Certè ſi zelum ſecundùm ſcientiam habuiſſemus, ſaltem zizaniis propter frumenti periculum parcere, atque tempus meſſis & areæ dominicæ expectare: non autem Angelorum officium nobis uſurpare debebamus, ut Sanctus Auguſtinus loquitur. Procul dubio hæc eximia Patris SS. documenta de æquitate, pace, unitate & dilectione, publicoque ordine ſervando, nec non etiam ut ex nobis ipſis privatim malum auferamus non faciendo, aut ei non conſentiendo divinum caracteriſmum nobis conſignant, cujus ope & modulo filios Dei à filiis lucis dignoſcamus; atque in loci obſcuriſſimi Scripturæ notitiam certò penetremus. Marci 13. v. 21. *Si quis vobis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus: Ecce illic, ne credideritis. Ecce enim regnum*

Digitized by Google

gnum Dei intra vos eſt, Luc. 17. v. 21. Quandoquidem his divinis oraculis oſtenditur extremis temporibus quibus charitas nimium quantùm refrixerit, tantam inter Chriſtianos futuram conturbationem propter crebras factiones & ſchiſmatum ſacrilegia, ut unuſquiſque Eccleſiam & veram Religionem ad ſeſe rapiat; regulam autem cognoſcendæ veræ Religionis & Eccleſiæ, ac ſecernendi filios tenebrarum à filiis lucis, petendam à ſtudio æquitatis, unitatis, pacis, ordinis, manſuetudinis & charitatis Chriſtianæ. Hinc ergo longiſſimè turbones & factioſi ſanguinis Chriſtiani ſitientes faceſſant: *Quia virum ſanguinum & doloſum abominabitur Deus*, Pſalmo 5. *neque dimidiabit dies ſuos*, Pſal. 54.

Septimò. Ex his vocibus Pauli 1 Corinth. 5. *Nolite commiſceri fornicariis, nec cum talibus cibum ſumere, &c.* Captat occaſionem diſputandi quonam modo hæc cum iis quæ ſuperiùs dixit de zizaniis ferendis uſque ad tempus meſſis convenire poſſint, ac initio profitetur ſe nihil novum aut inſolitum dicturum, ſed quod ſanitas Eccleſiæ obſervat, quod eſt intelligendum de praxi Eccleſiæ primitivæ: cui geſta Gregorii VII. nulla in parte conſentiunt. Statuit autem quoties aliquis deprehenſus fuerit in tali peccato, ut anathemate dignus habeatur, hoc fieri debere ubi nullum eſt periculum ſchiſmatis, & ſervatâ dilectione quam ipſe Apoſtolus aliàs præcipit 2 Theſſal. cap. 3. *Et nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite ut fratrem: non enim eſtis ad eradicandum, ſed ad corrigendum, &c. Nam & ipſe Dominus cùm ſervis volentibus zizania colligere, dixit: Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem: præmiſit cauſam dicens; ne fortè cùm vultis colligere zizania, eradicetis ſimul & triticum. Ubi ſatis oſtendit cùm metus iſte non ſubeſt, ſed omninò de frumentorum certa ſtabilitate certa ſecuritas manet: Id eſt quando ita cujuſque crimen notum eſt omnibus, & omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorsùs, vel non tales habeat defenſores, & per quos poſſit ſchiſma contingere, non dormiat ſeveritas diſciplinæ, in qua tantò efficacior eſt emendatio pravitatis, quantò diligentior confirmatio charitatis. Tunc enim hoc ſine labe pacis & unitatis, & ſine læſione frumentorum fieri poteſt, cum congregationis Eccleſiæ multitudo ab eo crimine quod anathematiſatur, aliena eſt.* Hæc ipſa comprobat ſententia Apoſtoli 1 Corint. 5. *Si quis frater nominetur inter vos.* In eo quippe quod ait: *Si quis*, nihil aliud videtur ſignificare quàm ſolum hominem ſingularem & privatum tali modo ſalubriter corrigi poſſe, quia inter diſſimiles peccat, &c. In eo verò quod ait, *nominatur*. Hoc nimirum intelligi voluit Apoſtolus

ſtolus illum qui ſic peccaret, debere eſſe famoſum atque omnibus execrabilem: *Ita enim & ſalva pace corrigitur, & non interfectoriè percutitur, & medicinaliter uritur: Neque enim poteſt eſſe ſalubris à multis correptio, niſi cùm ille corripitur qui non habet ſociam multitudinem. Cùm verò idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud bonis reſtat quàm dolor atque gemitus, &c. Ne cùm voluerint colligere zizania, eradicetur ſimul & triticum; nec per diligentiam ſegetem dominicam purgent, ſed per temeritatem ipſi potius inter purgamenta numerentur, &c. Et revera ſi contagio peccandi multitudinem invaſerit, divinæ diſciplinæ ſevera miſericordia neceſſaria eſt. Nam conſilia ſeparationis & inania ſunt & pernicioſa atque ſacrilega, quia & impia & ſuperba fiunt, & plus perturbant infirmos bonos, quàm corrigant animoſos malos, &c. Miſericorditer igitur corripiat homo quod poteſt: quod autem non poteſt, patienter ferat, & dilectione gemat atque lugeat, donec & ille deſuper emendet & corrigat, aut uſque ad meſſem differat eradicare zizania & paleam ventilare. Ut tamen ſecuri de ſalute ſua bonæ ſpei Chriſtiani inter deſperatos quos corripere non valent, in unitate verſentur, auferant malum ex ſeipſis, &c. Unde Apoſtolus: auferte, inquit, malum ex vobis ipſis: Id eſt ſi non poteſtis auferre malos ex medio veſtrûm, ipſum malum auferte ex vobis ipſis, &c. Quòd ſi quiſquam velit ſic intelligere quod dictum eſt: auferte malum ex vobis ipſis, ut per correptionem ſeparationis de congregatione fratrum malus quiſque auferendus ſit, ſtudio tamen ſanandi, non odio perimendi eſſe faciendum nemo dubitaverit: & quis adhibendus ſit modus temporaque ſervanda, ne pax Eccleſiæ violetur, in qua maximè tritico parcendum eſt, ne ſimul cum zizaniis eradicetur. Legendus canon: Non poteſt eſſe ſalubris 23. quæſt. 4.* Hinc ergo gloſſa ordinaria in explicatione parabolæ zizaniorum Matt. 13. rectè & dogmaticè ex hac S. Auguſtini doctrina concludit: *Neque multitudinem, neque Principem populi eſſe excommunicandum:* Princeps enim æquipollet multitudini. Quam normam Euangelicam Gregorius VII. tanquam abſolutus Eccleſiæ Monarcha & deſpoticè Chriſtianis imperans funditùs evertit: Principem id eſt Imperatorem atque ipſam multitudinem excommunicando, & pacem Reipublicæ Chriſtianæ à fundamentis evertendo, ac ſchiſma ſacrilegum, ut vocat Auguſtinus, conſerendo: idque non ſanandi, ſed perimendi ſtudio. Quandoquidem Epiſcopus qui ſeſe ad bellum & ad arma parat, non ſanare, ſed perdere vult. Verùm de his libro ſequenti. Mihi penè exciderat lectorem monere *per divinæ diſciplinæ ſeveram miſericordiam*, Auguſtinum deſignare nefarios tanquam impunitos & deſperatos ple-

Digitized by Google

plerumque relinquendos; præſertim ubi obſervatur plus nocere quàm prodeſſe diſciplinæ ſeveritatem.

Octavò demonſtrat quomodo hoc præceptum Apoſtoli 2 ad Theſſalonicenſes cap. 3. *cum ejuſmodi nec cibum ſimul ſumere*; à bonis & piis Chriſtianis privatim in ſuis familiis impleri poſſit & debeat, quando aliquem ex liberis aut famulis habent ſcelerate atque perditè viventem, quem proinde familiâ exturbant, ſicque opus & munus Epiſcopale peragunt. Porrò Epiſcopum ſuæ miniſterialis poteſtatis commonefacit, dum ait illum humili charitate, & benigna ſeveritate tanquam ſervum fratribus præcepto atque exemplo Chriſti præeſſe.

Nonò declarat quando turba iniquorum cum fructu & utilitate corripi poſſit generali objurgatione in concionibus: nimirum ſi aliquod flagellum Deus in illos deſuper immiſerit, quo liqueat eos pro ſuis meritis vapulare.

IX. Decimò appoſitè monet nullam eſſe ſecuritatem unitatis Eccleſiæ, niſi ex promiſſis Dei declaratis Eccleſiæ. Quæcumque ſupra montem conſtituta ſit, abſcondi non poteſt, ſed omnibus nota eſſe debet. Senſus eſt unitatem Eccleſiæ non putandam, quæ alio modo quàm legibus præſcriptis à Chriſto conſtituitur aut conſervatur: quaſi meliùs per humanas adinventiones atque ſapientiam mundi, quàm lege Dei conſervari & propagari poſſet Eccleſiæ unitas. Itaque docet eam bonorum firmam eſſe ſecuritatem, quando temerario ſchiſmatis ſacrilegio ab occultis atque incognitis bonis, non ſe humanis conſiliis ſeparant; ſed cum toto orbe terrarum in unitatis & pacis vinculo ſecundùm præcepta & promiſſa Chriſti de zizaniis minimè evellendis cum periculo frumentorum aut ſchiſmatis conſtanter permanent. Quique aliter faciunt, ait, *aut ſuperbiæ tumore furioſos, aut invidentiæ livore veſanos, aut ſæculari commoditate corruptos, aut carnali timore perverſos eſſe. Quibus omnibus cauſis efficitur ut vel boni falſis criminibus infamentur, vel temerè de bonis falſa credantur: vel etiam mali qui pro unitatis vinculo tolerati, nihil obſunt bonis, dirupta bonorum pace perverſiſſimè fugiantur, cùm vexationi frumentorum non parcitur, uſurpantibus ſibi hominibus ante meſſem, quod Angeli in meſſe facturi ſunt.* Quibus verbis S. Auguſtinus tam accuratè geſta Gregorii VII. perſtringit & damnat, ut ea ſpiritu prophetico concepiſſe videatur. Quod ſi fortè quiſpiam obnoxius cauſetur S. Auguſtinum loqui de Donatiſtis, qui ſe à toto Orbe Chriſtiano ſegregarant, atque ſacrile-

Digitized by Google

go ſchiſmati hæreſim etiam adjunxerant: oppones hæc per analogiam geſtis Gregorii reſpondere: quoniam & ſchiſma fecit peſtilentiſſimum, & doctrinam ſeditioſam de abdicandis atque occidendis Regibus, canoni quidem Scripturæ & traditioni Eccleſiæ Catholicæ planè contrariam in Eccleſiam invexit: atque Eccleſiaſticos, ſed præſertim Romanos Pontifices ſæculariores quàm ipſos Reges & Imperatores effecit; adeò ut ab eo tempore Curia ſic in Eccleſiam Romanam effuſa ſit, ut pauci illius imperata ab Eccleſiæ canonibus ſeparare ſtudeant, ut neceſſe eſt ad cognoſcendam veritatem. Et hinc gemitus ac luctus continui piorum ad Eccleſiæ reformationem his corruptiſſimis moribus fruſtrà anhelantium. Verùm his decem collectionibus cogitatè perpenſis prout cuique erit, futiles & ſophiſticas Bellarmini argutias depellere, quas contra Epiſtolam hanc Auguſtini inſtruit cap. 9. adversùs Barclaium: & inter alia memorat, *cum Dominus dicit: Sinite utraque creſcere ad meſſem, &c. Poſſe fieri ut non tam imperando quàm prædicendo quod futurum erat, loquutus ſit*: quæ certè judicio tanti viri planè ſunt indigna. De qua re aliàs uberiùs diſputabitur.

X. Ivo Carnotenſis Epiſcopus ſub Gregorio VII. floruit, ejuſque dogmatibus anticipatur & præpeditus, quæ vis fuit ſæculi primum ſcripſit Urbano II. Papæ Epiſt. 46. *Ne Philippo primo Gallorum Regi* nimium in pellicis libidinem effuſo, *impœnitenti veniam concederet: quamquam Rex minaretur ſecum regno ab Sedis Apoſtolicæ obedientia deceſſurum. Venturi ſunt ad vos in proximo Nuntii ex parte Regis Francorum, &c. Qui ergo venturi ſunt confidentes in calliditate ingenioli ſui & venuſtate linguæ ſuæ prædictis de cauſis impunitatem flagitii ſe impetraturos Regi à Sede Apoſtolica promiſerunt: hac ratione ex parte uſuri: Regem cum regno à veſtra obedientia diſceſſurum, niſi coronam reſtituatis, niſi Regem ab anathemate abſolvatis, inquit.* Item Epiſtola 104. ad Paſchalem II. Papam. *De cætero notum facio Sanctitati veſtræ, quod Francorum Rex Romam in proximo ſe venturum dicit: quod tamen non credimus: ſed ſeu veniat, ſeu mittat: cavete & vobis & nobis: & ſemper clavibus & catenis Petri fortiter teneatur. Et ſi fortè abſolutus fuerit, & ad vomitum, ſicuti jam contigit, reverſus fuerit, è veſtigio eiſdem clavibus recludatur, eiſdem catenis religetur, &c.* Quæ monita Epiſcopi Carnotenſis nequaquam parabolæ zizaniorum & doctrinæ S. Auguſtini, ſed placitis Gregorii VII. quadrant: tum quia ſupponunt per excommunicationem coronam Regi ablatam, ut hæc verba indicant: *Niſi coronam reſtituatis:* tum quia regnum Gallicanum periculo

culo ſchiſmatis exponebant,quod pridem antè facere Gregorius VII. tentaverat; idque contigiſſet, niſi Epiſcopi Galliæ obſtitiſſent. Quando quidem Gregorius Epiſtola 5. lib. 2. omnibus Archiepiſcopis Galliarum mandat ut per univerſam Franciam divinum officium publicè celebrari *interdicant*, *& ſe à Philippi obſequio & communione penitùs ſeparent.*

Quòd ſi Galliarum Epiſcopi Gregorio paruiſſent, innumera quidem mala ipſis quæ Gregorius emendare volebat longè graviora certo certius emerſiſſent. Herclè quidem ipſemet Carnotenſis Epiſcopus ſenior atque uſu rerum prudentior factus, tandem mitigatâ ſuâ priori opinione, quam ex Gregorii VII. placitis hauſerat, in B. Auguſtini ſententiam abiit, & ex Legis gratiæ manſuetudine cum Regibus peccatoribus agendum eſſe pronuntiavit: quoniam alioqui *oporteret de mundo exire*, ut ait Paulus cap. 5. prioris ad Corinthios. Sic memini tempore bellorum civilium Ligæ, omnes propè juniores & mediæ ætatis Doctores Facultatis Pariſienſis zelo impudenti, Duce Magiſtro Joanne Bucherio abreptos, nihil præter vim, arma, & bellicas artes crepaſſe: Contrà autem Antiquiores tanquam prudentiores, atque in lege Euangelica oculatiores ſemper paci conſuluiſſe, cùm viderent ſe numero ſuffragiorum & juniorum Theologorum violentiâ ſuperari, atque opprimi, tandem ſeceſſiſſe atque à Conventibus Theologicis omninò abſtinuiſſe. Sed ad Ivonem Carnotenſem redeo, qui Paſchali II. Epiſtolâ 144. reſcribit in gratiam Philippi Regis, *ut ejus imbecillitati, quantum cum ejus ſalute fieri poteſt, condeſcendat, & Galliam quæ Regis anathemate periclitatur ab hoc periculo eruat, cauſam ejus temperando, ne illud contingat Salomonis: qui multum emungit, elicit ſanguinem. Diſpenſationis autem modus nulli umquam ſapientum diſplicuit: unde B. Cyrillus ad Gennadium Presbyterum. Sicut enim qui mare navigant tempeſtate urgente navique periclitante quædam exonerant, ut cætera ſalva permaneant: Ita & nos cùm non habemus ſalvandorum omnium negotiorum certitudinem, deſpicimus ex iis quædam, ne cunctorum patiamur diſpendia.* Quod argumentum fuſiùs tractat epiſtola 171. ad Daimbertum Senonenſem Archiepiſcopum, laudatque Auguſtinum Epiſtolâ ad Marcellinum, & collectanea ſuprà poſita ex libro 3. contra Epiſtolam Parmeniani. Hinc ergo claret quantùm ſententia Epiſcopi Carnotenſis ſenioris & prudentioris ab illa diſſideat cui junior hærebat. Nam junior ex Gregorii VII. inſtitutis quæ tum fervebant; ſenior autem ipſa experientiâ factus cautior ex manſuetudine legis gratiæ & con-

Digitized by Google

congruenter ad parabolam zizaniorum cenſet procedendum eſſe erga Reges & Principes populi. *Et quia diſpenſationes rerum Temporalium Regibus attributa ſunt, ait, & Baſilei, id eſt fundamentum populi & caput exiſtunt. Si aliquando poteſtate ſibi conceſſa abutuntur, non ſunt à nobis graviter exaſperandi: Sed ubi Sacerdotum admonitionibus non acquieverint, divino judicio ſunt reſervandi, quantò minùs fuerint divinis admonitionibus obnoxii. Unde habetur in libro Capitulariorum Caroli Magni, quæ ab Epiſcopis regiâ auctoritate conſtituta eſſe narrat, ut ſiquos culpatorum Regia poteſtas aut in gratiam benignitatis receperit, aut menſæ ſuæ participes effecerit, hos & Sacerdotum & populorum conventus ſuſcipere Eccleſiaſtica communione debere: ut quod principalis pietas recipit, nec à Sacerdotibus Dei extraneum habeatur, &c.* Qui locus planè indicat Prælatis illius ſæculi *minimè perſuaſum Reges deponi debere*, quando non ſtringerent gladium ad nutum Pontificis; aut quando aliquid adversùs Eccleſiaſticam diſciplinam patrarent, atque excommunicatos animo benevolo reciperent, ac menſæ ſuæ conſortio dignarentur: Siquidem hoc Capitulario disertè ſtatuitur eſſe cum excommunicatis etiam in rebus divinis communicandum, quando Princeps menſâ & colloquio ſuo familiari illos cohoneſtat: Cujus rei praxim ipſe Ivo exhibet Epiſtolâ 62. ad Sanctionem Aurelianenſem Epiſcopum. Hic enim cùm ab Ivone peteret quid cauſæ habuiſſet ut quemdam nomine Gervaſium Regis Curiæ aſſeclam cenſuris innodatum communione ſacrâ donaſſet, ſic reſpondet: *De Gervaſio quoque non debet veſtra fraternitas mirari vel indignari, quòd eum ad communionem in Paſchali Curiâ ſuſcepi: pro Regis enim honorificentia hoc feci, fretus auctoritate legis in qua legitur: Si quos culpatorum Regia poteſtas aut in gratiam benignitatis receperit, &c.* His accuratè perpenſis claret non abs re eſſe quod inter Gallos increbuerit Franciæ Reges excommunicari non poſſe, ut poſtea diſputabitur. Verùm canon, *ſiquos culpatorum*, cujus Ivo meminit, conditus eſt in XII. Concilio Toletano, tempore Agathonis Papæ, & ſexti Concilii Generalis, ſicque habet capite quarto: *Vidimus quoſdam & flevimus ex numero culpatorum receptos in gratiam Principum, extorres extitiſſe à collegio Sacerdotum: quod denotabile malum illa res agit; quia licentia principalis, in quo ſe ſolvi licentiùs curat, ibi alios illigat: & quos in ſuam communionem videtur ſuſcipere, à communione & pace Eccleſiæ eligit ſeparare, ut qui cum illo conveſcuntur, ſolâ Sacerdotum communione priventur. Et ideo quia remiſſio talium, qui contra Regem, gentem, vel patriam agunt,*

per

Digitized by Google

per definitores canonum antiquorum in poteſtate ſolùm regia ponitur, cui & peccaſſe noſcuntur, ab eis nulla deinceps abſtinebit Sacerdotum communio. Sed quos regia poteſtas aut in gratiam benignitatis receperit, aut participes menſæ ſuæ effecerit, hos etiam Sacerdotum & populorum conventus ſuſcipere in Eccleſiaſticam communionem debebit, ut quod jam principalis pietas habet acceptum, nec à Sacerdotibus Dei habeatur extraneum. Quædam ſunt in hoc canone non ſatis clara; ſed id de quo agitur, lumen clariſſimum accipit ex praxi Eccleſiæ, quæ etiam temporibus Ivonis obtinebat. Hinc autem diſcimus quantum antiqui Patres paci & tranquillitati publicæ, quæ à Regibus ſecundùm Deum dependet, tribuerent. *Quare prohibent remiſſionem eorum qui contra Regem, gentem vel patriam agunt, poni ſolùm in poteſtate regia ſecundùm definitiones canonum:* unde ſtatuunt ut Sacerdotum communio ab his ſe non abſtineat quos Reges ſuâ donarunt communione & menſâ. Ad hæc faciunt quæ ſuprà libro 1. cap. 4. collegimus ex eiſdem Toletanis Conciliis adversùs eos qui contra Reges conſpirant.

Jacobus Almainus de poteſtate Eccleſiaſtica & laica quæſt. 1. cap. 9. circa medium: *Dominus parabolâ zizaniorum* Matt. 13. *dum prohibuit zizania eradicari ex frumento: per zizania intelligit malum hominem eradicari, id eſt excommunicari propter duas cauſas. Prima propter defectum cognitionis. Secunda propter periculum inquietationis, ſeu perturbationis Reipublicæ: nam propter hoc prohibuit Salvator zizania id eſt malum hominem ab agro, id eſt ab Eccleſia eradicari, id eſt excommunicari.* Ibidem aliquantò infrà. *Tertiò quia excommunicare eſt actus Jurisdictionis. Et tria requiruntur antequam aliquis poſſit excommunicari. Primò Jurisdictio ex parte ferentis. Secundò Convictio. Tertiò Pax ſalva. Ergò ſententia lata nulla eſt in illo caſu.* Quo ex Almaini teſtimonio intelligimus tametſi Prælatus in actu primo ferat cenſuram, nihilominùs in actu ſecundo cenſuras minimè obligare, aut in rem judicatam deduci non oportere, quando pacem & tranquillitatem publicam, quæ juris eſt divini naturalis ſollicitat. Verùm hæc Almaini diſputatio doctrinæ Auguſtini adversùs Parmenianum penitùs concordat; ſcilicet quatenus & quomodo evelli zizania, & cenſuræ ferri debeant.

XI. Porrò ex his indubitatis legis Euangelicæ principiis apertè colligimus qua de cauſa non ſit erga Reges atque Principes Chriſtianos utendum cenſuris, nimirum *quia ſunt fundamentum & caput populi*, ut ait Ivo: hocque fieri non poteſt, quin pax, unio & charitas, quæ eſt finis omnium legum atque inſtitutorum Eccleſiæ Rom. 13.

Digitized by Google

violetur: & multò magis nocet quàm prodeſt. Quem ad ſenſum capienda ſunt quæ apud nonnullos Scriptores Gallicos, & in quibuſdam Senatusconſultis Parlamenti leguntur: *Scilicet Galliæ Reges excommunicari non poſſe.* Quod non eſt ita intelligendum ut Senatusconſulta illa & Scriptores Galli abſolutè negent Eccleſiam aut Papam habere poteſtatem excommunicandi Reges in actu primo vel ſignato, ſed tantùm in actu ſecundo & quoad executionem excommunicationis. Enimverò in moralibus & politicis, quæ cum magna difficultate & periculo, id eſt pace publicâ turbatâ fiunt, meritò impoſſibilibus accenſentur: debetque Magiſtratus politicus tanquam cuſtos & vindex juris divini naturalis & canonici, operam dare, ne quid reſpublica & communis tranquillitas detrimenti capiat; & conſequenter actum ſecundum cenſurarum impedire. Nam ſicut Lex, ita & excommunicatio naturam Legis æmulatur; duobuſque modis poteſt conſiderari, *nempe in actu* 1. *&* 2. *vel quoad eſſentiam & exiſtentiam.* Eſſentia, ſubſtantia & actus primus cenſuræ eſt ut jubeat, imperet, præcipiat ſubditis, quatenus hujus aut illius hominis conſuetudinem & communionem devitent: quocirca excommunicatio ab illo ferri debet, qui jus & poteſtatem habet legitimam: alioqui cenſura nulla eſt. Ex quo inter Theologos percrebuit tantum de alicujus poteſtate quantum & de ejuſdem jure merito dubitari poſſe. Porrò ubi excommunicatio ſic eſt à Prælato legitimo condita, ejuſdem pariter auctoritate promulgari & denuntiari debet. Quæ duæ conditiones, putà condere & publicare excommunicationem, eſſentiam, ſubſtantiam, & primum actum cenſuræ conſtituunt.

XII. Secundus autem actus ſeu exiſtentia & vis actualis obligandi excommunicationis pendet à receptione: nempe ut in hominum mores & rem judicatam tranſmittatur. Quod ut fiat, neceſſum eſt cenſuram ab Eccleſia & populo approbari atque recipi ut libro 5. cap. 2. defenſionis Libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate docuimus. Cæterùm Eccleſiæ conſenſus & populi approbatio ideo neceſſaria eſt: quoniam Papa & Prælati non deſpoticè Chriſtianis tanquam belluis aut ſervis imperant; ſed liberè ſecundùm jus divinum & naturale præſunt, eoſque per actus hierarchicos abſque ulla coactione externa regunt. Quare omnis excommunicatio, *ſicut & lex juſta, honeſta, poſſibilis, neceſſaria, utilis ſecundùm naturam loco temporique debet convenire*, ut jam monuimus. Unde ſicut in Agentibus naturalibus, ita & in moralibus ac politicis effectus aut actus ſecundus à multis con-
cauſis

Digitized by Google

cauſis dependet: Et in hac parte lex atque excommunicatio vim actualem obligandi ſortitur ab Eccleſia & populo Chriſtiano, non à ſolo Prælato. Ratio eſt quia ſubditi honeſtatem, poſſibilitatem, neceſſitatem, utilitatem, atque alias circumſtantias excommunicationis explorant; & utrùm ſit ſecundùm naturam probant atque confirmant aut repudiant. Quæ conditiones ſunt ejuſmodi, ut ab uno & ſolo Papa, aut ejuſdem privato conſilio vix dignoſci queant; ideoque ſecundus actus excommunicationis ab Eccleſia Dei & populo Chriſtiano pendet: Jure quidem quoniam communio & ſuffragia quibus privantur excommunicati, ſunt totius populi, non ſolùm Prælati cenſuram irrogantis. Almainus cap. 7. de Eccleſiæ auctoritate: *Petrus*, inquit, *& quilibet ejus ſucceſſor utitur clavibus vice Eccleſiæ univerſalis quam ſignificat. Itaque Summus Pontifex excommunicat, confert beneficia, ſimiliter & indulgentias, & ſic de aliis actionibus Eccleſiaſticæ poteſtatis auctoritate totius Eccleſiæ. Et iſtud rationabiliter eſt, eò quòd ſuffragia quibus privatur excommunicatus ſunt Eccleſiæ, non Summi Pontificis. Hinc Prælati dicuntur nomine totius Eccleſiæ aliquem poſſe illarum participatione privare. Hinc dicit quidam Doctor Paulum noluiſſe excommunicare publicum fornicarium, ut patet* Corinth. 5. *niſi Corinthiis congregatis: unde ſic dicitur: Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu jam judicavi ut præſens eum qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, congregatis vobis & meo ſpiritu cum virtute Domini noſtri Jeſu Chriſti tradere hujuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, &c.* Vides hic Apoſtolum quamquam Spiritus Sancti donis cumulatum, nihilominùs cenſuram dumtaxat ferre in actu primo: actum verò ſecundum Corinthienſi Eccleſiæ peragendum relinquere. Chryſoſtomus homilia 15. in cap. 5. prioris ad Corinthios. In hæc verba: jam judicavi ut præſens. *Tuli enim ſententiam tanquam præſens. Ne mihi dixeritis dilationes & prorogationes; nihil enim aliud fieri oportet. Deinde ne videretur eſſe nimia auctoritas, neque arrogantiùs dictum eſſe cenſeretur; vide quemadmodum eos quoque facit ſocios judicii: nam cùm dixiſſet: judicavi, ſubjunxit eum qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, congregatis vobis & meo ſpiritu cum virtute Domini Jeſu tradere hujuſmodi hominem Satanæ, &c. Rursùs ſeipſum eis facit aſſiſtere, ut quando judicaverint, tanquam ipſo præſente, ita eum abſcindant, neque quiſquam audeat ipſum cenſere dignum veniâ, ſciens fore ut populus ſciat quæ facta fuerint.* Oecumenius in eumdem locum: *Jam judicavi congregatis vobis, ne præfracti animi eſſe videatur quod jam judicaverit, ipſos quo-*

quoque aſſumit ſocios, dum ait: Congregatis vobis, & meo ſpiritu, id eſt meâ inviſibili præſentiâ, &c.

Guillelmus Eſtius in caput 5. *Jam judicavi ut præſens, id eſt, decrevi, apud me ſtatui. Non enim Apoſtolus ſententiam excommunicationis jam tulerat, ſed auctoritate juriſdictionis decreverat ſententiam ferendam.* Unde adhuc poſtea dicit: *Auferte malum ex vobis. Inde enim manifeſtè apparet hunc inceſtum nec prius fuiſſe excommunicatum, quàm hæc ſcriberet: nec ut alii quidam putant his ipſis verbis ab Apoſtolo excommunicari: Sed hoc tantùm ſignificari quòd jam decreverit, ſeu judicaverit excommunicandum, quemadmodum eſt ſtudioſè à Cajetano annotatum. Legendus de Palatio in* cap. 13. Matth. *ubi docet morem fuiſſe antiquitus ut excommunicationes de conſenſu totius Eccleſiæ ferrentur.*

D. Cyprianus nobis Eccleſiæ primitivæ uſum exhibet epiſtolâ 28. ad Presbyteros & Diaconos fratres: *Interea ſiquis immoderatus & præceps ſive de noſtris Presbyteris vel Diaconibus ait, ſive de peregrinis auſus ante ſententiam noſtram communicare lapſis, communicatione noſtrâ arceatur: Apud nos omnes cauſam dicturus temeritatis ſuæ, quando in unum permittente Domino convenerimus. Deſideratis quoque ut de Philumeno & Fortunato Hypodiaconis, & Favorino Acolyto, qui medio tempore receſſerunt & nunc venerunt quid mihi videatur reſcribam: cui rei non potui me ſolum judicem dare, cùm multi adhuc de Clero abſentes ſint, nec locum ſuum vel ſerò repetendum putaverint; ut hæc ſingulorum tractanda ſit & limanda plenius ratio, non tantùm cum collegis meis, ſed & cum plebe ipſa univerſa. Expensâ enim moderatione libranda & pronuntianda res eſt, quæ in poſterum circa miniſtros Eccleſiæ conſtituat exemplum.* Hæc ille. Unde nihil mirum eſt quoties aliquis Pontifex cenſuras voluit explicare contra Reges Franciæ, Majores noſtros obſtitiſſe, ut jam dixi, *Franciæ Reges excommunicari non poſſe.* Hoc autem privilegium quod fertur à Romanis Pontificibus Galliæ Regibus conceſſum (ne ſcilicet excommunicari, aut eorum regna interdici poſſint) ſi de ſecundo actu cenſurarum capiatur, nullo modo à Papa ſic pendet, ut ad ejus nutum & voluntatem ſit hodiè revocabile, juxta vulgarem regulam: *Par in parem non habet imperium.* Ratio eſt quoniam actus ſecundus & receptio legis aut excommunicationis ab Eccleſia & populo Chriſtiano, non à Prælato legem aut cenſuram ferente dependet, quod eſt crebrò inculcandum. Quæ profectò non eo conſilio à me dicuntur, quòd cenſeam omnia Principum vitia inulta eſſe oportere; ſed ut demonſtrem quouſque manſuetiſſima poteſtas miniſterialis ſpiritualis Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiæ relicta à Chriſto, ſeſe jure divino extendat, nequis clavibus in magnum Religionis Catholicæ & Chriſti opprobrium atque ſacrilegium abutatur: ac ſi Dominus veniſſet in mundum, ut pacem publicam & poteſtates politicas, quæ juris ſunt divini naturalis conturbaret. Procul dubio exempla Patrum Eccleſiæ primitivæ cum Gregorii VII. & aliorum ſimilium geſtis collata, liquidò demonſtrant quidnam ſit hac in re tenendum, & utri magis Chriſtianæ Reipublicæ profuerint. Illi numquam cenſuras adversùs Reges & Principes Chriſtianos diſtringendo, ſed omnia Chriſtianâ patientiâ, humilitate, vitæ integritate, manſuetudine & accuratâ obſervatione mandatorum Dei emendando atque corrigendo; quàm hi cenſuris ſuis immodicis & auſteris; imò Manlianis imperiis cuncta miſcendo, atque bella ex bellis ſerendo: quaſi Chriſtiana Religio hominum cœdibus atque internecione imperari & ſtabiliri deberet.

Quod ſi adverſarii contrà inſurgant, Eccleſiæ primitivæ temporibus Philippum Imperatorem, qui inter omnes Imperatores primus nomen dedit Euangelio, excommunicatum ab Epiſcopo, atque inter pœnitentes ablegatum teſte Euſebio lib. 6. cap. 27. Item Babylam Antiochenum Epiſcopum Decium Cæſarem, manu in pectus illius injectâ, aditu templi prohibuiſſe, auctore Chryſoſtomo libro contra gentiles. Similiter Sanctum Athanaſium, Lybiæ præfectum excommunicaſſe, huncque à S. Baſilio, quia fuiſſet ab Athanaſio excommunicatus, vitatum, atque inſuper vitandum declaraſſe Ep. 47. ad Athanaſium. Addit Baronius tomo 4. ad annum Chriſti 387. ſub finem, Sanctum Ambroſium excommunicaſſe Maximum Imperatorem. De Theodoſio Magno res eſt pervagata apud Theodoretum lib. 5. cap. 17. Item Chryſoſtomum Eudoxiam Auguſtam ab ingreſſu templi arcuiſſe refert Baronius ex oratione Leonis Imperatoris de vita Chryſoſtomi tomo 5. Annalium ad annum Chriſti 401. versùs finem. Similiter Innocentium I. Papam excommunicaſſe Arcadium Cæſarem, ut conſtat ex Epiſtola Innocentii ad Arcadium, quæ apud Nicephorum legitur libro 13. cap. 34. Addunt & Symmachum Papam excommunicaſſe Anaſtaſium Imperatorem, ut conſtat ex Epiſtola Apologetica Symmachi adversùs Anaſtaſium. Inſuper ſubnectit Baronius tom. 7. Annalium anno 747. Vigilium, Auguſtam Juſtiniani Cæſaris conjugem cenſuris innodaſſe teſte S. Gregorio lib. 2. Epiſtolâ 36. atque Leonem Iſaurum Iconomachum à Gregorio II. excommunicatum: quod pariter memorat Bellarminus. Quæ

Digitized by Google

& ſimilia exempla correptionum quas Sanctiſſimi Epiſcopi aliquando Imperatoribus irrogarunt, perperam ad excommunicationem ſtrictè ſumptam detorquentur ab adverſariis. Quare Onufrius infrà laudandus maximam partem ejuſmodi exemplorum narrationibus fabuloſis accenſet. Et primùm de Philippo Imperatore Euſebius hoc tantùm ex fama & rumoribus dicit, tanquam prætergrediens jus ordinarium: quia ſi Cæſar parere noluiſſet, Epiſcopi cenſuræ fruſtrà fuiſſent. Sed demus Cæſarem ab Epiſcopo perſuaſum, ut inter pœnitentes ſponte & alacri animo publicè exomologeſim faceret; quidnam habet hoc commercii cum violentis excommunicationibus Gregorii VII. contra Reges & Imperatores? utinam certè omnes Epiſcopi tantâ vitæ ſanctimoniâ ſplenderent, ut ſuâ pietate perſuadere poſſent Principibus ad ultrò de peccatis publicis pœnitendum: hæcque cùm miraculoſa & juris extraordinarii ſint, ab iis tantùm debent imitari, qui illos Sanctiſſimos Epiſcopos integritate vitæ æmulantur: mihique perſuadeo Deum qui in Epiſcopi animum induxit, ut Cæſarem inter publicos pœnitentes relegaret, unà quoque eodem puncto temporis Philippi animum flexiſſe ad obtemperandum. Idemque pariter cenſeo de S. Babyla Martyre adversùs Decium Cæſarem infidelem: quippe qui deſiderio Martyrii, utque oſtenderet Chriſtianos fortiter pro Chriſto vitam profundere, Imperatori crudeliſſimo templa Chriſtianorum ſuo ingreſſu polluenti ſtrenuè obſtiterit. At Præfectus Lybiæ cum ſolummodò Miniſter Cæſaris, cunctoque populo propter ſcelera innumera quibus nobilitabatur, valde exoſus eſſet, à SS. Athanaſio & Baſilio ideo excommunicatus eſt, quòd hac in parte populum ſibi præeuntem, atque cenſuras ultrò exequentem haberent. Porrò S. Ambroſius Maximum & Theodoſium Cæſares numquam communione & orationibus fidelium privavit; ſed dumtaxat aditu templi afflatu divino prohibuit, & quaſi ad publicos pœnitentes ablegavit; qui quidem cum aliis fidelibus orabant, proque illis viciſſim orabatur, atque etiam plerumque ſacrâ communione paſcebantur. Idem etiam eſt de B. Chryſoſtomo erga Eudoxiam judicium, quam ab ingreſſu templi repulit, non revera excommunicavit: & quamquam excommunicaſſet, quod tamen non fecit, dicerem virum ſanctiſſimum ſibi à multis erga Eudoxiam potuiſſe temperare, quæ ab manſuetudine & charitate Legis Euangelicæ immane quantum peregrinabantur: quæque multò plus ſcandali quàm utilitatis Eccleſiæ atque ipſimet Chryſoſtomo attulerunt: cujuſmodi

hæ

Digitized by Google

hæ ſunt declamationes: *Jam ſaltat Herodias: jam Joannis caput in diſco depoſcit, &c.* Quæ vellem numquam ſcripſiſſet Chryſoſtomus. Hinc enim Hiſtorici anſam captarunt eum accuſandi & culpandi, quòd vir eſſet ingenii nimium vehementis, & eloquentiæ ſuæ nimium confideret, &c. De Arcadio libro ſequenti dicemus. At eſto: Symmachum, inclinante Imperii Majeſtate Anaſtaſium Cæſarem excommunicaſſe: hoc quidem alibi quàm Romæ, & fortè in Galliis, ubi nomen & poteſtas Imperatoris minimè agnoſcebatur, locum non habuit: cauſa eſt quia illis temporibus Romana pro particulari, non pro univerſali Eccleſia capiebatur, ut alibi diſſeruimus: quare aliud erat Romanæ, & univerſalis Eccleſiæ communione excludi. Sed de Anaſtaſio fuſiùs libro 6. adversùs Perronium. Cæterùm æquivocatione nos ludificat Baronius, quia S. Gregorius numquam ſcripſit Vigilium Theodoram Auguſtam excommunicaſſe, ſed tantùm Acephalorum doctrinam, cui adhærebat Auguſta, condemnaſſe. En verba Gregorii laudata à Baronio: *Poſtquam recordandæ memoriæ Vigilius Papa in urbe Regia conſtitutus contra Theodoram tunc Auguſtam, & Acephalos damnationis promulgavit ſententiam, tunc Romana urbs adita & captivata eſt. Ergo bonam cauſam habuerunt Acephali, & injuſtè damnati ſunt, poſt quorum damnationem talia contigerunt? Abſit enim hoc, nec noſtrum quempiam, nec alios qui Catholicæ fidei myſteriis inſtituti ſunt, dicere, vel aliquo modo confiteri convenit, inquit Gregorius*, quæ doctrina Acephalorum damnata eſt in quinta Synodo, Juſtiniano Cæſare procurante, eamque poſtea Vigilius etiam damnavit, cùm eam prius Theodora Juſtiniani uxor ejuraſſet. De Leonis Iſauri excommunicatione libro 5. videbimus.

XIII. D. Auguſtinus Ep. 75. ad Auxilium Juvenem Epiſcopum, ab eodem quærit, ut doceat quibus adductus cauſis ob unius peccatum totam familiam excommunicarit. *Si habes*, ait, *hac de re ſententiam certis rationibus, vel Scripturarum teſtimoniis exploratam, nos quoque docere digneris, quomodo rectè anathematizetur pro peccato Patris, filius; aut pro Mariti, uxor; aut pro Domini, ſervus, aut quiſquam etiam in domo nondum natus, ſi eodem tempore quo univerſa domus eſt anathemate obligata, naſcatur, &c. Sed ſi tibi quàm juſtè fiat, Dominus revelavit, nequaquam juvenilem ætatem tuam, & honoris Eccleſiaſtici rudimenta contemno. En adſum ſenex à juvene Coëpiſcopo, & Epiſcopus tot annorum à Collega, nec dum anniculo paratus ſum dicere quomodo vel Deo vel hominibus juſtam poſſumus reddere rationem, ſi animas innocentes pro ſce-*

Rr 2 *lere*

lere alieno (ex quo non trahunt ſicut ex Adam in quo omnes peccaverunt, originale), ſpirituali ſupplicio puniamus, &c. Sicut enim ſcriptum eſt: Iracundia viri juſtitiam Dei non operatur. Nec arbitreris ideo nobis non poſſe ſubrepere injuſtam commotionem, quia Epiſcopi ſumus: ſed potiùs cogitemus inter laqueos tentationum nos periculoſiſſimè vivere, quia homines ſumus. Aufer itaque geſta Eccleſiaſtica quæ perturbatior forte feciſti, & redeat inter vos charitas quam cum illo Cathecumenus habuiſti: aufer litem & revoca pacem, ne tibi pereat bonus amicus, & de vobis gaudeat diabolus inimicus. Potens eſt autem miſericordia Dei noſtri, quæ & me exaudiat orantem, ne mea triſtitia de vobis augeatur, ſed potiùs quæ eſt exorta, ſanetur, & erigat per gratiam ſuam, & lætificet juventutem tuam non contemnentem ſenectutem meam.

Huc uſque Auguſtinus, ex cujus Epiſtola colligimus Sanctiſſimis illis Patribus ſemper fuiſſe propoſitum, nequid in Eccleſia fieret quod charitati, quæ finis eſt omnis præcepti & legis, directè vel indirectè adverſaretur. Et quoniam omnium Theologorum conſenſu percrebuit Collegia, Communitates, Regna integra atque Sodalitia excommunicari non poſſe; idque nimium quantum dogmatibus abdicandorum Regum officiebat, ne ſcilicet in rem judicatam mitterentur.

XIV. Gregorii VII. ſæculo, quo decreta de exauctorandis Regibus & abſoluta Papæ Monarchia incrementum cœperunt, unà quoque inventum & excogitatum eſt loci atque rerum publicarum interdictum: cujus idem Gregorius VII. meminit lib. 2. Epiſtolâ 5. ad Galliæ Archiepiſcopos: idque tanquam peropportunum ad executionem indirectæ poteſtatis Papæ in rebus temporalibus. Verùm nemo eſt rectè ſentiens, qui non videat hoc quodam modo æquipollere excommunicationi, quæ adversùs totam Rempublicam aut Regnum aliquod ferretur. Et continuò charitati & paci penitùs eſſe contrarium: quoniam propter unius aut paucorum delictum innumeri innocentes plectuntur; atque Dei gloriam & ſervitium, omniaque adjumenta ſpiritualia, quibus Sanctorum communio fovetur atque ſuſtentatur, ſaltem ad tempus extinguit: neque ullâ in parte cum parabola de non eradicandis zizaniis, ne frumento noceatur: aut cum regulis S. Auguſtini ſuperiùs poſitis concordare poteſt. Quod ipſum Bonifacius VIII. magno veritatis præjudicio docet in 6. de ſententia excommunicationis cap. Alma mater. §. *Quia verò ex diſtrictione hujuſmodi ſtatutorum excreſcit indevotio populi: pullulant hæreſes, & infinita*

Digitized by Google

finitâ pericula animarum inſurgunt, ac Eccleſiis ſine culpa earum debita obſequia ſubſtrahuntur, &c. Dominicus à Soto 4. ſententiarum diſt. 22. quæſt. 3. articulo 1. *Interdictum quamvis ex una parte ad terrorem excommunicatorum conducat*, inquit, *ex altera tamen in periculum divini cultus vergit potiſſimùm & facit prolixum. Nam tunc non ſolùm populus deſuetudine frequentandi divina officia, affectum eorum & ſenſum perdit: verùm etiam & Clerus ipſe remiſſior fit & ignavior ad eadem divina celebranda: quâ utique ratione & divina Religio detrimentum patitur, & populus ſolet in moribus ſylveſcere.* Toletus lib. 1. Summæ cap. 53. hos effectus Interdicti loci ſæculo Gregorii VII. quo eſt inſtitutum fuiſſe obſervat: *Scilicet ut in loco Interdicto nec miſſa nec divina officia publicè celebrentur, nec campanæ pulſentur, aut organa audiantur. Nam ait primo quidem quo eſt inſtitutum Interdictum, nihil horum fiebat: ſed ſolùm privatim ſemel in hebdomada unum celebrabatur Sacrum ad renovandum Sacramentum. Tamen poſt Bonifacium VIII. licet divina officia & Sacra celebrare ſecretò januis clauſis & voce ſubmiſſa.* Unde apparet Bonifacium rigorem prædeceſſorum ſuorum mitigaſſe. *Secundus effectus Interdicti eſt: ut ad officia divina quæ per indulgentiam Bonifacii ſecretò fiunt, nullus admittatur niſi qui habet privilegium Clericatus primæ tonſuræ, & non ſit uxoratus. Tertius effectus eſt, quod non licet Euchariſtiam miniſtrare alicui niſi tempore mortis: Extremam autem unctionem nec tempore mortis. Olim ante Bonifacii indulgentiam nec licebat etiam Sacramentum pœnitentiæ in loco interdicto miniſtrare: quod plus quàm eſt horribile dictu.* Verùm ſi Auguſtino indoluit ob unius delictum unicam familiam totam excommunicatam ab Auxilio Epiſcopo Juvene, quoſnam luctus ille Sanctiſſimus vir edidiſſet, ſi integras provincias & regna divinis officiis atque Sacramentorum adminiſtratione (Baptiſmo & confirmatione exceptis) interdici: eamque ob rem populum ceſſantem ad arma excitari, ac per hominum internecionem cenſuras hujuſmodi in rem judicatam contra omnem ſenſum charitatis Chriſtianæ & Legis gratiæ manſuetudinem detrudi vidiſſet aut accepiſſet?

XV. His autem de cauſis Parlamenta Franciæ jure quidem ſemper obſtiterunt, quominùs excommunicationes adversùs Reges & Interdicta regni, locorum, & civitatum aut communitatum integrarum mandarentur executioni: quæ executio ad actum ſecundum cenſurarum pertinet: hicque incumbit Magiſtratibus ex officio videre ne tranquillitas publica, quæ juris eſt divini naturalis, aliquid capiat

 damni;

Digitized by Google

damni; & ita liquet quâ viâ injuſtis cenſuris obſiſti poſſit, & quàm hæc ſit captioſa Bellarmini collectio cap. 17. adverſùs Barclaium verſùs finem; ubi comparatione factâ *ſpiritus & carnis*, annititur demonſtrare ſpecimen Eccleſiaſticæ & politicæ poteſtatis: *Quòd ſi fortè ſpiritus indiſcretis laboribus mentis ut nimis orando vel meditando aut jejunando lædat corporis ſanitatem: peccabit quidem ſpiritus: Sed non ideo poterit caro in ſpiritum imperium ſumere; ſed gemendo & fatiſcendo faciet ut ſpiritus aliquid remittat de nimio fervore ſuo: ſic etiam ſi fortè Princeps ſpiritualis abutatur poteſtate ſua injuſtè excommunicando temporalem Principem, vel ejus ſubditos ſine juſta cauſa, ab obedientia ejus abſolvendo, & eo modo perturbet ſtatum reipublicæ temporalis, peccabit Princeps ſpiritualis, ſed non poterit tamen Princeps temporalis judicium ſibi ſumere de ſpiritualibus rebus, aut ſpiritualem Principem judicare, & multò minùs de ſede ſua ſpirituali deponere.* Cui collectioni hæc alia ejuſdem Bellarmini cap. 31. adverſùs Barclaium ſub finem ſubjungam, ut uno atque eodem filo confutentur: *Quod autem dicis* (ait Bellarminus Barclaio) *injuſtam ſententiam non lædere eum in quem fertur, verum eſt, quando is in quem fertur, humiliter tolerat & obſervat, donec injuſtitia vel potius nullitas ejus manifeſtè ſe prodat. Sed cùm is in quem fertur, eam ſuperbè contemnit, & audacter mandata tranſgreditur, ſi non lædit eum excommunicatio injuſta vel nulla, lædit tamen ſuperbia & tumor quo Paſtoris mandata contemnit.*

Verùm ſingulos harum collectionum articulos ſigillatim expendamus. Primùm quod poteſtatem Eccleſiaſticam animæ aut ſpiritui & politicam carni vel corpori comparat: eſt quidem ſimilitudo ex qua dogmaticum argumentum promi nequit, ſed analogicum dumtaxat & ſimilitudinarium, quod altero pede ſemper claudicat. Secundò diſparata eſt valdè comparatio, quia ſola anima donata eſt facultate regendi; corpus autem ſolummodò obſequendi. Deinde anima deſpoticè corpori imperat; cupiditati verò regiè, ut docet Ariſtoteles primo politicorum cap. 3. Contrà autem poteſtas Eccleſiaſtica nullum habet imperium coactivum in homines quibus ſuaſivè tantùm & directivè per actus hierarchicos præeſt, non imperat ut ſuprà demonſtravimus: quocirca Papa aut Eccleſia tota non poteſt abſolutè atque imperioſè ferre cenſuras & impedire quominùs actus ſecundus cenſurarum pendeat à Populo. Tertiò quod Bellarminus perhibet Principem temporalem non poſſe ſibi judicium de rebus ſpiritualibus ſumere, lectorem fruſtratur homonymia: quoniam duplex eſt judicium

Digitized by Google

cium rerum ſpiritualium: auctoritatis ſcilicet, quod ſolis Prælatis, & diſcretionis ſeu diſquiſitionis, quod omnibus doctis & prudentibus convenit: hocque periti judicant quidnam conſonum aut abſonum ſit canonibus atque regulis Patrum, & utrum cenſuræ ſtatum Reipublicæ necne perturbent, & earum executio debeat impediri. Quartò quando & quomodo Princeps temporalis poſſit Papam de ſede ſpirituali deponere, ſuprà hoc libro cap. 3. exponit magiſter Joannes de Pariſiis, eò ſe lector conferat. Quintò quod urget Bellarminus eum in quem injuſta fertur cenſura, eam debere humiliter tolerare, donec injuſtitia vel potius nullitas ejus manifeſtè ſe prodat: Illudit multipliciter lectori & Principibus in quos cenſura diſtringitur; quaſi nullam haberent poteſtatem diſquirendi in nullitatem & injuſtitiam cenſurarum; hocque deberet tantum à Papa vel à temporis diuturnitate expectari, ſicque eorum ſalus & auctoritas planè periclitaretur. Jam dixi Reges per ſe & ſuos, præditos eſſe judicio diſcretionis, & poſſe actum ſecundum cenſurarum jure atque licitè impedire, ſi inde Rempublicam aliquid detrimenti capturam proſpiciant. Joannes de Pariſiis cap. 21. Libri de poteſtate Regia & Papali reſponſione ad 37. argumentum: *Eſt licitum Principi*, inquit, *abuſum gladii ſpiritualis repellere eo modo quo poteſt etiam per gladium materialem: præcipuè ubi abuſus gladii ſpiritualis vergit in malum Reipublicæ: cujus cura Regi incumbit: aliter enim ſine cauſa gladium portaret.* Legendus quoque Gerſonius tractatu inſcripto: ſententia Paſtoris etiam injuſta tenenda eſt. Franciſcus à Victoria, primâ relectione de poteſtate Eccleſiaſticâ ſectione 7. §. *octava propoſitio.* Bagnes 22. quæſt. 11. articulo 4. & Covarruvias cap. 35. quæſtione practicâ.

XVI. Porrò ex certiſſimis atque evidentiſſimis Euangelicæ & naturalis legis principiis hoc 3. libro evolutis liquet quonam ſenſu hæc verba Magiſtri Joannis de Pariſiis, quæ à Cardinalibus Bellarmino & Perronio fruſtrà ad ſuum propoſitum abſtrahuntur, capi debeant, ſcilicet *Papam ultra cenſuram Eccleſiaſticam nihil poſſe facere ad depoſitionem Principis, niſi per accidens: quia, inquit, ſi eſſet hæreticus & incorrigibilis & contemptor Eccleſiaſticæ cenſuræ, poſſet Papa aliquid facere in populo, unde privaretur ſæculari honore, & deponeretur à populo, excommunicando ſcilicet omnes qui ei ut Domino obedirent, &c. Libro de poteſtate Regia & Papali cap.* 14. Cùm enim poteſtas excommunicandi ſit purè putè ſpiritualis, & jure divino ſolummodò arcere poſſit Chriſtianos à communione ſpirituali & Eccleſiaſtica: nequaquam verò à

con-

Digitized by Google

conſuetudine & converſatione civili & temporali, quæ juris eſt divini naturalis. Præterea cùm certiſſimum ſit cenſuras atque interdicta numquam debere charitati, unioni & paci Reipublicæ Chriſtianæ officere. Item populum univerſum, regna integra, urbem, civitatem aut collegium collectim ſumptum excommunicari non poſſe. Similiter omnes cenſuras quæ in Regem ejuſque Conſiliarios & Magiſtratus Reipublicæ feruntur, ſi pacem publicam labefactent, nullum debere locum habere quoad actum ſecundum & exercitium: atque omnes Magiſtratus politicos, imò etiam ipſos Eccleſiaſticos velut cuſtodes & vindices juris divini & naturalis, teneri ex officio impedire quominùs ejuſmodi cenſuræ atque interdicta in rem judicatam mittantur: Quando, inquam, hæc ex Legis Euangelicæ principiis, atque Catholico conſenſu Patrum & praxi Eccleſiæ primitivæ certiſſima ſunt. Inde planum evadit Joannem Pariſienſem non tam ex rei veritate, quàm ex opinione, quæ ſuo ſæculo percrebuerat, dixiſſe populum qui Regi hæretico obediret, poſſe à Papa excommunicari: quandoquidem Lex gratiæ vetat excommunicationes & cenſuras ferri contra univerſum populum, atque armis executioni mandari: aut religionem bellis & hominum cædibus cogi atque imperari. Certè quæſtio juris iſthuc evadit. De facto autem nullomodò anxii eſſe, ſed conſtanter tenere debemus numquam leges Eccleſiaſticas obligare cum magno vitæ, rerum temporalium & pacis publicæ diſpendio.

Caput V.

Confutatio errorum Marſilii Paduani, atque Jamduni de Poteſtate Clavium, quorum hæreſis totam poteſtatem Eccleſiaſticam in politicam auctoritatem confundunt: Sicut recentiores politicam in Eccleſiaſticam reſolvunt. Orthodoxam verò doctrinam inter hos duos errores tutò mediam incedere viam.

VErùm adverſarii qui nullam occaſionem ſuæ opinionis armandæ apud imperitos prætermittunt, doctrinam Apoſtolicam ſuperioribus capitibus explicatam in invidiam quaſi hæreticam rapere ſolent: Nam objiciunt unà cum Marſilii Paduani erroribus damnatam fuiſſe: inter quos errores hunc adnumerant: *Quod Papa aut Eccleſia nullam habeat juriſdictionem coactivam, & Reges deponere non poſſit.* Et ita quidem Turrecremata ſtatuit lib. 2. Summæ cap. 45. & ſe-

Digitized by Google

& ſequentibus. Item Bellarmini Schulckenius & Suares ſæpè ita argumentantur, nec tamen Paduani errores recenſent, aut Decretales Pontificum exhibent quibus Paduanus damnatus eſt. Ex quo veriſimile redditur neque illos ejuſmodi Decretales, neque Paduani libros evolviſſe, ſed ex auditione & Commentariis aliorum, ut ſæpè fit, hac de re ſcribere, quò imperitis Religionem injiciant, eoſque ab Orthodoxa & Apoſtolica Patrum antiquorum doctrina quaſi in Marſilio Paduano damnata eſſet, avocent. Ut autem veritas omnibus pateat, hìc ſigillatim Paduani errores in aperto proponere, ac ſumma capita Bullæ Joannis XXII. contra eumdem Paduanum, & Joannem de Jamduno referre juvat: qui quidem permagni erant Philoſophi, ſed quandam idealem poteſtatem Eccleſiaſticam ita ſunt commenti, ut illam in poteſtatem politicam quaſi ſervam & mancipem abjecerint & confuderint: adeò ut vel toti Eccleſiæ collectim & ſynodicè congregatæ, vel ſingularibus Prælatis diſtributim ſumptis, nihil quidquam quod abſque politicæ poteſtatis imperio peragerent, reliquerint. Itaque qui Paduani errores cum Bellarmini, Becani, Suaris, atque aliorum Athletarum Curiæ Romanæ opinionibus contulerit, facilè judicabit eſſe tanquam duo oppoſita: atque doctrinam ſuperiùs à me expoſitam velut mediam inter duo extrema vitioſa tutò & Catholicè incedere. Enimverò ſicut Paduanus Eccleſiaſticam auctoritatem in politicam: Sic Bellarminus, Suares, & alii politicam poteſtatem in Eccleſiaſticam penitùs immergunt atque confundunt.

Primus Paduani error occurrit parte ſecundâ ſui defenſorii cap. 6. ubi docet *neque Papam neque alium quemlibet Presbyterum ſeu Epiſcopum ſeorſim aut collectim ſumptum ullam habere poteſtatem cenſuras aut leges ferendi etiam in actu primo, ut vocant Theologi, ſed contendit hoc ad totam communitatem fidelium, mandato & auctoritate politici Magiſtratus congregatam pertinere. Nam*, ait; *Sicut ad medicum non pertinet ut medicus eſt, decernere ut leproſi aliorum hominum ſocietate excludantur: ſed tantùm declarare Magiſtratui illos eſſe leprâ contaminatos & vitandos: Sic officium eſt Sacerdotum ſeorſim aut collectim ſumptorum, ex Lege Dei declarare quempiam fratrem eſſe communione Eccleſiaſticâ privandum; hacque declaratione factâ, multitudinem fidelium auctoritate Principis, fratrem illum conſortio fidelium excludere docet. Addit amplius Sacerdotes, Epiſcopos, & Papam ipſum non abſolvere à peccatis, ſed tantùm declarare ex Lege Dei peccata remitti aut retineri à Deo. Quemadmodum in Lege Moſaica Sacerdotes pronuntiabant aliquem eſſe aut non eſſe leproſum.*

proſum. Itaque ex Paduani opinione Sacerdotes Legis Euangelicæ ſolummodò habent judicium diſcretivum & doctrinale, ſicut Doctores Theologi. Quandoquidem ille facultatem directivam præcipiendo, & coactivam ſpiritualem irrogando cenſuras Eccleſiæ Sacerdotali penitùs aufert, quod eſt hæreticum.

Secundus error Paduani legitur parte ſecundâ cap. 15. Perhibet autem omnes Sacerdotes ſicut ordine, ita & auctoritate, poteſtate atque jurisdictione pares ac æquales eſſe; adeò ut Epiſcopus nihil aliud ſit quàm Archipresbyter, & Papa jure divino nihil planè habeat ſuper alios Presbyteros. Adnectit Sanctum Petrum non habuiſſe à Chriſto Primatum ſuper alios Apoſtolos: neque hodiè Papam ſuper alios Epiſcopos cap. 16. Item cap. 1. ejuſdem partis ſecundæ aſſerit neque Papam, neque alium quemlibet Presbyterum vel Epiſcopum ſeorſim aut collectim ſumptum, ullam habere juriſdictionem realem ſupra alium Presbyterum vel Epiſcopum, niſi quatenus eis per Principem politicum conceditur: atque in ejuſdem Principis poteſtate ſitum eſſe ejuſmodi juriſdictionem auferre Eccleſiaſticis quotiescumque voluerit. Quod ipſum profuſiùs diſputat cap. 4. & 5. At 22. capite aſſerit Papam à ſolo Imperatore inſtitui & deſtitui poſſe; atque ab eodem Imperatore, vel à Concilii Generalis auctoritate poteſtatem & jurisdictionem habere ſuper alios Eccleſiaſticos & Chriſtianos.

Tertius habetur cap. 17. ejuſdem 2. partis, ubi affirmat electionem Sacerdotum atque miniſtrorum Eccleſiæ pertinere ad Principem politicum, ſeu ad multitudinem fidelium, quorum eſt determinare perſonas ad Ordines Eccleſiaſticos promovendas: ac nemini Sacerdotum vel Epiſcoporum ſigillatim aut collectim, ſynodicè aut collegialiter ſumptorum licere de hominibus promovendis ad Ordines abſque Magiſtratus politici auctoritate quicquam ſtatuere.

Quartò cap. 17. aſſerit Presbyteros à ſolo Principe cogi poſſe ad Sacramentorum & rerum divinarum adminiſtrationem.

Quintò cap. 20. Ejuſdem partis 2. dicit ſolo generali Concilio controverſias Eccleſiaſticas poſſe definiri: atque non ſolos Sacerdotes aut Epiſcopos, verùm etiam omnes fideles doctos à Principe, vel à fidelium communitate electos & miſſos ad Concilium, eſſe judices diſcretivos controverſiarum: Solius autem eſſe Principis indicere & cogere Concilium, atque perſonas idoneas eligere, & illuc mittere: auditiſque utrinque rationibus propoſitis leges & canones ferre de rebus ſtatuendis, eaſque in rem judicatam mittere cap. 21. Nam ut

jam

jam monui, Paduanus Epiſcopos & Sacerdotes ſolo doctrinali & diſcretivo, non præceptivo & coactivo judicio per cenſuras præditos fingit. Addit amplius omnia ſtatuta & decreta atque cenſuras Eccleſiaſticorum nullam vim habere obligandi pro ſtatu præſentis aut futuræ vitæ, niſi per Concilium generale immediatè, aut inde ſumptâ auctoritate decernantur. Quamobrem cenſuras ſolùm in Concilio generali ferri debere aſſerit: quam in rem jam diſputarat cap. 18. ejuſdem ſecundæ partis Defenſorii.

Sextò. Eâdem parte 2. cap. 13. cenſet illos qui vovent paupertatem, neque dominium, neque proprietatem ullam rerum temporalium vel in communi vel in proprio habere aut poſſidere poſſe: idque ſimilitudine voti obedientiæ & caſtitatis probare nititur, aitque parem eſſe rationem utriuſque voti: neque tamen negat Epiſcopos & Sacerdotes bona temporalia poſſidere poſſe.

Septimò. Eâdem parte 2. cap. 2. perhibet decimas, atque alia ejuſmodi quæ dantur Eccleſiaſticis pro ſtipendio miniſterii ſpiritualium, eſſe merè carnalia & temporalia: conſequenterque non Eccleſiaſticos, ſed ſolos Magiſtratus politicos de illis poſſe ſtatuere & ordinare.

En ſumma errorum Marſilii Paduani, & Joannis Jamduni. Cardinalis Bellarminus in Chronico quod contexuit & ad calcem libri ſui de Scriptoribus Eccleſiaſticis edendum curavit, ſummam prædictorum errorum ad hæc duo capita reducit: *Quòd S. Petrus non fuerit caput Eccleſiæ: & quòd Chriſtus ſolverit didrachma neceſſitate coactus, non ex condeſcenſione*, prædictoſque errores damnatos ait à Joanne XXII. Extravagante quæ incipit: *Licet juxta doctrinam, &c.* Hæc ille: Nec ullum verbum facit de poteſtate Regum abdicandorum. Ego vidi in Tabulario facultatis Theologiæ Pariſienſis, & collegi diligentiſſimè Bullam Joannis XXII. contra Marſilii Paduani & Jamduni errores datam anno 1330. quæ incipit: *Joannes Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Epiſcopo Pariſienſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum proceſſum per quem nonnullos peſſimos errores & hæreſes, quos condemnati hæretici Marſilius de Padua & Joannes de Jamduno dogmatiſare & prædicare publicè tam in Bavaria quàm in aliis locis, &c.* Qui in Bulla hos quinque ſolùm errores Joannes XXII. ſigillatim recenſet & damnat.

Primus videlicet quòd de Chriſto legitur in Evangelio Matthæi 17. *Quod ipſe ſolvit tributum Cæſari, quando ſtaterem ſumptum ex ore piſcis illis qui petebant didrachma juſſit dari: hoc fecit non condeſcenſivè & liberalitate ſuæ pietatis, ſed neceſſitate coactus.*

Secundus: quòd Sanctus Petrus non fuit plus caput Eccleſiæ, quàm quilibet aliorum Apoſtolorum; nec habuit plus auctoritatis quàm habuerunt alii Apoſtoli: & quòd Chriſtus nullum caput Eccleſiæ, nec aliquem vicarium ſuum conſtituit.

Tertius: quòd ad Imperatorem ſpectat corrigere Papam, & punire, & inſtituere & deſtituere.

Quartus: quòd omnes Sacerdotes, ſive ſit Papa, ſive Archiepiſcopus, ſive Sacerdos ſimplex, quicumque ſint æqualis auctoritatis & juriſdictionis ex inſtitutione Chriſti: ſed quòd unus habeat plus alio, hoc eſt ſecundùm quòd Imperator conceſſit plus vel minus, & ſicut conceſſit, revocare poteſt.

Quintus: quòd Papa vel tota Eccleſia ſimul ſumpta nullum hominem quemcumque ſceleratum poteſt punire punitione coërcitivâ, niſi Imperator daret eis auctoritatem. Quos errores Joannes XXII. damnat velut S. Scripturæ contrarios, fidei Catholicæ inimicos, hæreticos & erroneos: propria ſunt verba Bullæ, quæ ſic finitur: *ſi quis autem doctrinam prædictam defendere vel approbare præſumpſerit, cujuſcumque ſit dignitatis, Ordinis, conditionis aut ſtatus, tanquam hæreticus ab omnibus cenſeatur.* Hinc autem liquet Joannem XXII. ne ullum quidem verbum feciſſe in damnandis Paduani erroribus, de poteſtate Regum deponendorum, *quam tamen Paduanus disertè & nominatim pernegat Romano Pontifici parte 2. Defenſorii cap. 20. 22. & 25.* Cæterùm ne cuiquam occaſionem dubitandi, aut Adverſariis anſam cavillationes nectendi relinquamus, de ſingulis articulis quos Joannes XXII. damnavit, dicendum eſt.

Primùm de tributo quod cap. 17. Matthæi Dominus ſolvit: quando certiſſimum & fide Catholicâ tenendum eſt Chriſtum ſpontè & voluntariè ſtatum humilitatis atque poteſtatem puri miniſterii aſſumpſiſſe. *Nam oblatus eſt, quia ipſe voluit:* inſurgit neceſſariò illum pariter voluntariè & ſpontè tanquam purum hominem tributum pendiſſe, ad quod ſolvendum non tenebatur ut Deus, vel ut Chriſtus: *hoc eſt ratione potentiæ, auctoritatis vel excellentiæ:* de qua cap. 1. hujus libri. Itaque ſi Marſilius Paduanus dixit Chriſtum neceſſitate perſolviſſe tributum ſicut cæteri homines perſolverunt, magno quidem ſe induit errore. Porrò illum hoc aſſeruiſſe me quidem legiſſe non memini: imò verò contrarium colligitur ex cap. 4. 2. partis ejuſdem Defenſorii, ubi ex profeſſo de illa re circa medium capitis in hæc verba diſſerit: *Ecce quod in omnibus Cæſari ſubeſſe debemus, dummodò non repugnet pietati id eſt divino cultui ſeu mandato: In realibus ergo ſubjici voluit Chriſtus Principi ſæculari: hac quoque fuit palàm ſententia B. Ambroſii*

Digitized by Google

broſii huic ſententiæ Chriſti innitens. Dixit enim in Epiſtola contra Valentinianum, quæ intitulatur ad plebem. Solvimus quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo: tributum Cæſaris eſt, non negatur, &c. Ubi notatione dignum eſt hanc Paduani vocem: *Subjici voluit Chriſtus Principi ſæculari.* Non indicare neceſſitatem, ſed libertatem Chriſti. Verùm abſque hoc errore Paduani longè plures alios graviſſimos contraxit quos ſuprà enumeravimus. Itaque nihil ei novi fuit affingendum, ut damnaretur.

Secundus articulus eſt *S. Petrum nihilo plus habuiſſe auctoritatis & jurisdictionis, quàm reliquos Apoſtolos.* Quod certiſſimum eſt, idque non tollit primatum, ut libro 2. defenſionis libelli de Eccleſiaſtica & politica auctoritate docuimus: & ipſemet Bellarminus lib.4. de Romano Pontifice cap.23. aſſerit explicans hunc locum Cypriani can. loquitur 24. quæſt. 1. *Hoc utique erant & cæteri Apoſtoli quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis, &c. Vides idem dari Apoſtolis per illa verba: Ego mitto vos* Joannis 20. *quòd Petro fuerat promiſſum per illud: Tibi dabo claves: Et poſtea exhibitum per illud: Paſce oves meas. Conſtat autem per illa: Tibi dabo claves, & per illud paſce, intelligi jurisdictionem pleniſſimam etiam exteriorem: quomodo autem hæc non impediant Petri primatum, alibi ſatis oſtendimus, ait Bellarminus.*

Tertius articulus: *Quod ſpectet ad Imperatorem inſtituere, deſtituere & corrigere Papam*, æquivocatione laborat, ac duobus conſtat membris. Quoad primum: ſi per inſtituere Papam, intelligitur ei auctoritatem ſpiritualem conferre, hoc eſt planè hæreticum, quoniam Papa illam accipit à Chriſto per Eccleſiæ Sacerdotalis miniſterium, dum canonicè eligitur aut ordinatur in Papam. Si verò Paduanus dicat Papam non inſtitui abſque conſenſu Imperatoris: profectò à Conſtantini Magni temporibus ad Gregorium VII. ea decurrit conſuetudo, ut Romani Pontifices non priùs ordinarentur vel conſecrarentur, quàm Imperatoris conſenſus & auctoritas interveniſſet, ut libro ſequenti probabitur. Et hæc de primo membro. Secundum ſpectat ad deſtitutionem & punitionem Papæ: hoc autem ſi capiatur de punitione regulari, quæ fit per cenſuras Eccleſiaſticas, erroneum eſt dicere Papam puniri hoc modo ab Imperatore, cùm res ſit purè regularis Eccleſiaſtica. Matth. 18. *Dic Eccleſiæ, qui Eccleſiam non audierit, &c.* Lege Seſſionem quartam & quintam Synodi Conſtantienſis. Si verò intelligatur de punitione & coactione temporali aut corporali quæ fit per coactionem externam & gladium mate-

Digitized by Google

terialem, certum eſt ſolum Imperatorem & poteſtates politicas jus habere cogendi temporaliter à Deo. Rom. 13. At Marſilium Paduanum hîc agere de cenſuris certiſſimum eſt: quia ut ſuperiùs docui, Sacerdotibus collectim, aut diſtributim ſumptis facultatem directivam præceptivam & coactivam per cenſuras denegat abſque Principis politici auctoritate, quod eſt hæreticum.

Quartus articulus eſt pariter erroneus, ſcilicet cunctos Sacerdotes, Papam nimirum, Epiſcopos & Presbyteros jure divino æquales eſſe auctoritate: de qua controverſia egimus abundè in defenſione libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate.

Quintus articulus æquivocatione implicatur quæ eſt eluenda ut error latitans undequaque pateat. Dum enim Joannes XXII. Paduanum reprehendit, *quòd dixerit Papam vel totam Eccleſiam ſimul ſumptam nullum hominem quemcumque ſceleratum poſſe punire punitione coactivâ, niſi Imperator daret eis auctoritatem.* Hoc capiendum eſt non ad mentem Scriptorum Curiæ Romanæ, qui fabulantur Chriſtum Petro utrumque gladium credidiſſe; ſed ad Paduani ſenſum, qui docebat *neque Papam, neque alium quemlibet Presbyterum ſeu Epiſcopum ſeorſim aut collectim ſumptum ullam habere poteſtatem cenſuras, aut leges ferendi etiam in actu primo, hocque ad totam communitatem fidelium mandato & auctoritate Principis congregatam pertinere, ut ſuperiùs probavimus.* Itaque ex doctrina erronea Marſilii ſequitur nequidem Eccleſiam Sacerdotalem poteſtatem habere ullum cogendi per cenſuras Eccleſiaſticas, quod eſt hæreticum. Dicere verò Eccleſiam aut Papam formaliter ſumptum ut Papa eſt, nullam habere poteſtatem cogendi per temporales pœnas, niſi hæc poteſtas ei conferatur & communicetur ab Imperatore aut Principibus politicis: hoc quidem non erroneum, ſed Orthodoxum & Catholicum eſt, ut ſuprà docuimus.

Hæc ergo cùm ita ſint, planum relinquitur Curiæ Romanæ Athletas qui contendunt Marſilium Paduanum ideo damnatum, quod negaret Papam munitum poteſtate Regum abdicandorum, vel numquam legiſſe Bullam Joannis XXII. contra errores Paduani, vel ſaltem non ſatis accuratè cauſas examinaſſe propter quas ille damnatus eſt. Hercle, dato quod Joannes XXII. inter prædictos articulos aliquid etiam de poteſtate Regum abdicandorum inſeruiſſet, hoc tamen nequaquam obligaret: quando certum eſt Decretales Romanorum Pontificum, præſertim in ſua cauſa minimè obligare, niſi juri divino & naturali, nec non receptis canonibus conſentiant. Omitto prætere-

Digitized by Google

ea Joannem, ſi hoc feciſſet, cauſam manifeſtam præbiturum Gallis conquerendi, quod cicatricem ex Bonifacii VIII. petitione obductam refricaret, atque Gallos nunquam ejuſmodi Bullas recepturos. Certè à Bonifacii VIII. tempore Galli in regia auctoritate tuenda & conſervanda vigiles fuerunt; eamque ob rem ſub Carolo V. Galliarum Principe neſcio quis *ſomnium viridarii*, cujus ſuprà memini, lucubravit. Cæterùm ſub Gregorii XI. Pontificatu, cum libri Paduani & Jamduni in linguam Gallicam converſi fuiſſent, atque omnium manibus tenerentur Gregorius XI. de hac re cum facultate Theologica Pariſienſi gravem habuit expoſtulationem: quam ob cauſam Majores noſtri die ultimâ Decembris 1366. ſolemnia indixerunt Comitia; quibus omnes Magiſtri Theologiæ ſigillatim emiſſo Sacramento ſuper Sacroſanctis Euangeliis, obteſtati ſunt ſe neſcire per quos vel à quibus memorati libri Paduani tranſlati fuiſſent in linguam vulgarem: neque etiam umquam memoratos Paduanum & Jamdunum noviſſe; atque à ſuis prædeceſſoribus accepiſſe illos numquam ſtuduiſſe, aut gradum ullum accepiſſe Pariſiis: Quam formulam Sacramenti & obnuntiationis Facultas Pariſienſis miſit ad ſummum Pontificem, qui tum Avinioni ſedebat: Et hactenus de Marſilio Paduano ejuſque erroribus.

De Argumentis verò Cardinalium Turrecrematæ, Bellarmini, Perronii, Becani, Suaris, & aliorum qui probare moliuntur Papam jus habere externæ & temporalis coactionis, infrà lib. 5. & 6. diſputabitur.

CAPUT VI.

I. *De Eccleſiaſticorum immunitatibus, quæ ſunt in duplici genere, nempe juris divini & naturalis: deinde juris purè humani.*

II. *Franciſci Suaris argumenta ſcholaſtica pro immunitatibus Eccleſiaſticorum, depelluntur.*

III. *Ejus error intolerandus: quòd Pontifex Romanus habeat à Chriſto poteſtatem irrogandi pœnam capitalem: & quòd Papa abſque conſenſu Imperatoris potuerit Clericos à juriſdictione politica eximere.*

IV. *Implicare contradictionem: Regem aut Rempublicam ſeſe ſupremâ Majeſtate dirigendi & cogendi, quam jure divino & naturali habet, exuere in favorem & gratiam alicujus.*

V. *De Caractere Sacerdotali, & quam immunitatem ſecum includat.*

VI. *Octo argumenta Bellarmini pro libertatibus Eccleſiaſticorum examinantur & dilapidantur: ac primùm de loci hujus interpretatione:* Simon, Reges terræ à quibus accipiunt tributum? Matth. 17.

VII. *Præceptum de parendo politicis poteſtatibus eſſe æternum atque invariabile, de omni & per ſe, ſive Monarchicè, ſive Ariſtocraticè aut Democraticè exerceatur.*

VIII. *Quo-*

Digitized by Google

VIII. *Quomodo Eccleſiaſtici & Principes politici ſibi invicem ſubeſſe & præeſſe poſſint.*
IX. *Quidnam ſit tenendum de controverſiis quas Epiſcopi detulerunt ad Conſtantinum: Et de hac voce Conſtantini:* Vos Dii eſtis.
X. *Argumenta ducta à Conciliis, Conſtantienſi, Tridentino, Decretis Pontificum evolvuntur.*

I. De Eccleſiaſticorum libertatibus diſputaturus, ante omnia monendum Lectorem cenſeo, me in horum nominum diſtinctione: *Libertas, immunitas, & exemptio Eccleſiaſticorum* nolle immorari. Cùm mihi propoſitum ſit hæc pro una atque eadem re & notione capere. Porrò communitates Eccleſiaſticorum ſunt in duplici genere, ut axiomate 41. Apologiæ noſtræ docui. Aliæ quidem juris divini & naturalis: Aliæ juris purè poſitivi & humani. Enimverò ſicut Religio & cultus divinus juris eſt divini primarii poſitivi: Ita & quæ neceſſariò Chriſtianam Religionem ſequuntur & concomitantur, pariter juris ſunt divini, ſaltem ſecundarii: quoniam ex jure divino primario tanquam concluſiones ex ſuis neceſſariis principiis eliciuntur: quod enim dat formam, unà pariter dat conſequentia ad formam: quocirca Eccleſiaſtici quoad divinorum officiorum celebrationem, Sacramentorum adminiſtrationem, atque alia ejuſmodi ſpiritualia & regularia purè Eccleſiaſtica: nec non pariter quoad bona & facultates neceſſarias, quas ſtatus & dignitas Ordinis Eccleſiaſtici ſecundùm rectam rationem atque honeſtam ac decentem ſui conſervationem exigit; jure quidem divino naturali libera atque immunia ſunt ab omni ſubjectione politica: Quare non comprehendi videntur ſub hoc D. Pauli axiomate: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: Princeps, Dei miniſter eſt, &c.* Ratio eſt quia Reges atque Principes politici neque Eccleſiaſticos jure poſſunt à divinorum & ſpiritualium officiorum profeſſione arcere, neque eis prohibere quominùs neceſſaria ad honeſtam ſui Ordinis atque dignitatis tutelam percipiant. Quod apprimè notandum venit contra ſeptimum Marſilii Paduani errorem capite præcedenti explicatum, quo perſuadere vult decimas atque alia quæ dantur Eccleſiaſticis pro ſtipendio ſpiritualium, eſſe merè carnalia & temporalia: continuòque tota à politico Magiſtratu abſolutè pendere. Verùm hæc noſtra collectio duabus conſtat partibus, quæ lumine exemplorum magis innoteſcent. Prioris partis exempla leguntur Actorum 5. ubi Principes Sacerdotum, cùm exercitium & cultum publicum Chriſtianæ Religionis interdicere vellent Apoſtolis, B. Petrus tanquam

Digitized by Google

os & vertex aliorum intrepidè pro omnibus reſpondit: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.*

Deinde Apoſtoli cum eam ob cauſam plagis & verberibus afficerentur: *Ibant gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti eſſent pro nomine Jeſu contumeliam pati.* Quò ſimiliter videtur reſpexiſſe idem S. Petrus cap. 4. prioris Epiſtolæ: *Si exprobramini in nomine Chriſti, Beati eritis, &c. Nemo autem veſtrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: ſi autem ut Chriſtianus, non erubeſcat, glorificet autem Deum in iſto nomine, &c.* Attexe & Auguſtinum ſuprà cap. 2. libri ſecundi laudatum in explicatione hujus effati divini: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, &c.* Ubi demonſtrat *ex ea parte quâ credimus Deo, & in regnum ejus vocamur, nos cuiquam homini idipſum in nobis evertere cupienti quod Deus ad vitam æternam donare dignatus eſt nemini homini ſubditos eſſe.*

Poſterioris partis confirmationem habes Matth. & Lucæ 10. *Dignus eſt operarius mercede ſuâ.* Item 1 Cor. 9. *Quis militat ſuis ſtipendiis umquam? Quis plantavit vineam, & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? numquid ſecundùm hominem hæc dico? An lex hæc non dicit? Scriptum eſt enim in Lege Moyſi.* Deuteronomii 25. *Non alligabis os bovi trituranti: Numquid de bobus cura eſt Deo? Nam propter nos utique hæc ſcripta ſunt, quoniam debet in ſpe qui arat, arare; & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi: ſi nos vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus? Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt, & qui altario deſerviunt, cum altario participant.* Ita Dominus ordinavit iis qui Euangelium annunciant, *de Euangelio vivere.* Item prioris ad Timoth. 5. *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habentur: Maximè qui laborant in verbo & doctrina: Dicit enim Scriptura: Non alligabis os bovi trituranti; & dignus eſt operarius mercede ſuâ.* Ubi notatione dignum occurrit Judæos dum trituram meſſis facerent, os boum trituram facientium capiſtro non alligaſſe, ſed liberum reliquiſſe, quò inter triturandum ſpicas comederent quantùm poſſent. Hæc autem divina Apoſtoli teſtimonia partim de cultu divino & profeſſione Religionis Criſtianæ, partim de ſtipendiis neceſſariis ad decentem atque honeſtam ſtatus Eccleſiaſtici conſervationem capienda ſunt; nequaquam verò de ſuperfluis, aut aliis immunitatibus quæ juris ſunt merè poſitivi & voluntarii, atque ex Principum Chriſtianorum pietate, liberalitate & conſenſu invaluerunt. Quâ poſitâ di-

ſtinctione, nimirum in neceſſaria & ſuperflua, proclive eſt non modò Marſilii Paduani, verùm etiam Bellarmini & Suaris argumentis tanquam inter ſeſe oppoſitis ſatisfacere: Siquidem ut Paduanus omnes Eccleſiaſticorum immunitates, etiam quoad neceſſaria, juris eſſe merè poſitivi, & à Principum beneficiis abſolutè pendere: Ita Bellarminus & præſertim Suares cunctas exemptiones cujuſcunque ſint generis & conditionis, etiam quoad ſuperflua, juris fermè eſſe divini contendit conformiter ad bullam Cœnæ Domini: & ita utrinque in extrema vitioſa degeneratur. Ratio Paduani parte 2. Sui Defenſorii cap. 2. eſt quòd Apoſtolus & *Ambroſius bona exteriora quibus prædicatores Euangelici ſuſtentari debeant in victu & veſtitu, carnalia & temporalia vocant, ſicut decimæ, quæſtus, ſeu eleemoſinæ vel collectæ. Cujus rei cauſam reddit Ambroſius, quoniam vitæ & indulgentiæ carnis indulta ſunt.* Hæc ille ex gloſſa, quæ tamen non leguntur in gloſſa: Et quanquam ibidem haberentur, nihilominùs non id efficerent quod vult Paduanus, quem ratio D. Pauli & Ambroſii latet: hi enim & temporalia & carnalia iſtas res vocant, non quòd abſolutè juriſdictioni ſubſint politicæ; ut Paduanus hallucinatur, ſed quoniam ſi ad ſpiritualia & æterna abſolutè comparentur, omnino tranſitoria, fugacia, & præ ſpiritualibus viliſſima ſunt: ſicque factâ comparatione æternorum cum tranſitoriis & caducis oſtenditur fideles non gravatè debere neceſſaria ad præſentem & temporalem vitam, verbi Dei atque Euangelii Miniſtris, largiri, & ad id neceſſariò obligari; ſicut agricola qui bovi ſervitium imponere vult, eum nutrire tenetur. Hæc ſunt verba Ambroſii in caput nonum prioris ad Corinth. *Si vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt ſi veſtra carnalia metamus? quaſi dicat*, inquit Ambroſius, *non magnum, neque par eſſe, ſi Euangelizantes regnum Dei, & cœleſti cibo Eccleſiam ſaginantes, alimenta corporis ſumerent, ut tradentes æterna, conſequerentur temporalia.* Quibus ex verbis liquet corporalia ſpiritualibus, terrena cœleſtibus & ſæcularia æternis comparatè opponi, ut inde convincatur fideles obligari ad alimenta & neceſſaria quæque liberrimè ſuppeditanda Sacerdotibus; cùm hæc vilia & parvi ſint momenti, ſi cum ſpiritualibus conferantur. Porrò jam aliâs monui Bellarminum cap. 3. adversùs Barclaium ſtatim initio fruſtra cauſari Principes Chriſtianos eo ipſo ſubditos eſſe Pontifici, quod hic illis poſſet imperare, ut Sacerdotibus neceſſaria ad vitam atque decentem ſtatum ſui Ordinis ſuggererent: quoniam hoc non eſt argumentum ſubjectionis, ſed debiti naturalis: quia ut Chriſtus

ait

Digitized by Google

ait Diſcipulis: *Dignus eſt operarius mercede ſuâ:* quique vult bovis aut equi operâ uti, illos nutriat neceſſe eſt. Neque profectò Apoſtolus, dum hæc pronuntiat: *Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus; magnum eſt ſi carnalia veſtra metamus?* Id per modum imperii aut poteſtatis coactivæ ſtatuit, quia miniſterium non eſt dominium, utque tam crebrò eſt inculcandum: Eccleſia nullam habet divinitus facultatem cogendi temporaliter neque directè, neque indirectè, neque per ſe, neque per alium: Etſi primitivæ Eccleſiaſtici hæc dogmata Bellarmini ſparſiſſent, nimirum quòd Laicos ad neceſſaria eis ſuppeditanda cogere poſſent; hoc ſæculo Eccleſia opibus in quibus natat, minimè abundaret. Verùm ſanctimonia vitæ, humilitas & patientia Majorum effecit ut Chriſtiani multò plura Eccleſiaſticis quàm vellent largirentur: Et quoniam Clerici ejuſmodi opibus hodiè ad luxum & voluptates fœdas turpiter abutuntur; nihil mirum eſt Laicos in ejuſmodi bona juſto Dei judicio invadere.

II. Hoc velut defixo firmamento venio ad fundamenta adverſariorum, quæ partim ex Bellarmino, partim ex Franciſco Suare deſumam. Ille quidem facilitate & judicio tractandi cæteris ſodalibus ſuis facilè palmam præripuit. Verumtamen quoniam Suares lib. 4. defenſionis ſuæ fidei Catholicæ profuſiſſimam de hac controverſia diſputationem inſtituit, atque Scholaſticis argumenta verſatilia apparavit: De illis etiam animus eſt aliquid dicere, . ut omnibus pateat quàm infirmis adverſarii nitantur rationibus: Sunt enim puræ putæ cavillationes Dedalicæ, quibus veritati illuditur. Primùm idem Suares libro memorato cap. 3. ſeſſione 6. hanc ſancit propoſitionem; *Vera & Catholica eſt ſententia, Clericos juſtè potuiſſe à juriſdictione temporalium Principum eximi. Hæc aſſertio,* inquit, *quatenus auctoritate Eccleſiæ fundanda eſt, pendet ex facto de quo nondum dictum eſt: Et ideo prius oſtendemus veritatem ipſam de poſſibili, poſtea ex facto certitudinem ejus probabimus. Dicimus ergò exemptionem hanc juſtè fieri potuiſſe tribus modis, videlicet à Deo, à Pontifice & ab Imperatore ſeu Regibus. Et quidem prima pars de Deo, eſt adeò evidens, ut à nemine poſſit ſine magna cæcitate & impietate negari. Nam Deus eſt abſolutus Dominus vitæ & necis ac libertatis humanæ: Ergo juſtiſſimâ ſuâ poteſtate & jure utendo poteſt quemlibet hominem alterius ſervum vel dominum efficere, & ſubditum vel ſuperiorem: Et ſimiliter poteſt quemcumque hominem proprio dominio aut poteſtate privare, & prout libuerit alteri donare.* Nam ut ait Daniel cap. 2. *Ipſe mutat tempora & ætates, transfert regna*

Digitized by Google

& conſtituit. Ergo eadem facilitate potuit transferre Clericos ſub poteſtatem Pontificis, auferendo Regibus poteſtatem quam in illas perſonas habere poterant, & illam Pontifici conferendo.

Hactenus Suares ſectione 6. capitis 4. multipliciter Lectorem ludificans: Si quidem argumentatur ab abſoluta Dei poteſtate ad ordinariam, & Legis gratiæ terminis conſtrictam, quæ purè putè miniſterialis ſpiritualis eſt, atque Legem divinam & naturalem accuratè ſervat ac retinet; eamque ob cauſam Chriſtus clamat *ſe non veniſſe ſolvere Legem, ſed adimplere.* Matth. 5. Et Patres docent Legem Euangelicam non evertere, imò etiam non impedire politicas poteſtates lege divinâ naturali pridem ante Euangelium conſtitutas, ut ſuperiùs confirmavimus. Fallit ergo Suares à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter, dum poteſtatem auctoritatis vel excellentiæ Chriſti pro poteſtate puri miniſterii obtrudit: Et cùm alios cæcitatis inſimulat, ipſemet non obſervat ſe cæcum eſſe more Harpaſtes apud Senecam.

Præterea ſectione 8. ejuſdem capitis perhibet *aliud eſſe, eximere aliquem ab obedientia alicujus, auferendo ab alio juriſdictionem ſeu omne jus ſuperioris circa talem perſonam, etiamſi circa alias poteſtatem retineat: aliud verò eſſe conſervando in Principe vel Prælato eamdem juriſdictionem in talem perſonam, idemque jus præcipiendi: nihilominus auferre à ſubdito obligationem parendi. Exemptio igitur explicata in hoc poſteriori ſenſu veriſſimè dicitur eſſe contra jus naturale quoad hoc indiſpenſabile, quia involvit apertam contradictionem etiam in ipſa divina voluntate.* Nam inde fieret Deum ſimul velle ut ſuperior poſſit verè præcipere; ac proinde ſubditum efficaciter obligare: Et nihilominus ut ſubditus poſſit licitè non obedire: Et conſequenter ut ſimul ſit ſubditus, & non ſubditus: Itemque ut ſit bellum juſtum ex utraque parte, non in ignorantia, ſed in re ipſa fundatum, quæ eſt intolerabilis perplexitas. Quis autem unquam exemptionem Clericorum ita intellexit? nullus profectò qui ſanæ mentis ſit. Alter igitur modus exemptionis non ſolùm poſſibilis, ſed etiam facillimus, imò & quotidianus eſt in his poteſtatibus quæ ab hominibus dantur, & ab eiſdem auferri aut limitari poſſunt. Sic enim eximit Rex aliquem nobilem à jurisdictione inferioris magiſtratus: Et Pontifex eximit Religioſum à jurisdictione Epiſcopi. Ita ergo eximere potuit Deus Clericos à juriſdictione Regum ſine ulla diſpenſatione in lege naturali: quia nulla eſt lex naturalis quæ præcipiat ut Reges in Clericos vel

omnes

Digitized by Google

omnes incolas regnorum ſuorum juriſdictionem habeant: ſed potius cùm Reges ſint Dei miniſtri, & ab ipſo habeant poteſtatem in quoſlibet ſubditos: Ipſa ratio naturaliter dictat poſſe Deum poteſtatem illam minuere, & ab illa quos libuerit ex ſubditis eximere.

Hoc argumentum Suaris præſertim contra Magiſtri Pauli Veneti querelam inſtructum eſt. Hic enim cum adversùs Bellarminum anno 1606. ſcriberet pro Republica Veneta, objiciebat *libertatem Eccleſiaſticam Clericorum, qualem Bellarminus fingebat, nihil aliud eſſe quàm libertatem ſeu licentiam peccandi.* Ad hoc ergo Suares ſatis implicatè reſpondet: quamquam Deus exemerit Clericos à poteſtate politica, tamen eos ſubjeciſſe poteſtati Pontificiæ, ut quando res poſtulat, plecterentur.

III. Quâ de causâ eodem capite ſectione 18. perhibet *Pontificem poſſe capitalem pœnam irrogare, & quòd Judex Eccleſiaſticus per ſeipſum non utatur gladio, nec per ſe proferat ſententiam ſanguinis, non eſſe quia non poſſit, ſed quia non decet, &c.* Ex quo apparet dato uno abſurdo multa alia ſequi: Etſi autem collectio hæc Suaris ex reſponſione ad ſextam ſectionem ſatis confutetur: nihilominùs ſigillatim ad partes ſatisfiet: ac primò quidem abſolutè negatur ſecundùm normam poteſtatis miniſterialis ſpiritualis, & ſtatum humilitatis quem Chriſtus voluntariè aſſumpſit, Chriſtum eam potuiſſe dare Pontifici poteſtatem, quam comminiſcitur Suares. Hoc enim manifeſtam implicat contradictionem, quia oporteret regnum Chriſti eſſe de hoc mundo, & Chriſtum veniſſe in mundum, ut poteſtates politicas lege divinâ & naturali conſtitutas exauctoraret. Secundò negatur pariter juxta hanc poteſtatem miniſterialem Chriſti Dominum noſtrum Clericos à juriſdictione Regum abſque ulla diſpenſatione in lege naturali eximere potuiſſe. Tertiò falſum quoque eſt nullam eſſe legem naturalem quæ præcipiat ut Reges habeant juriſdictionem in omnes incolas ſuorum regnorum, ſi modò de neceſſaria conſequentia legis naturalis agatur: quamquam enim nulla lex naturalis poſitivè ſumpta extet quæ id præcipiat, tamen conſequentiâ neceſſariâ id ſatis colligitur & præcipitur. Urgeo amplius B. Paulum cap. 13. ad Romanos id planè decernere: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, &c.* De qua re ſecundo libro cap. 1. actum eſt. Quartò Suares pro certo aſſumit quod ſolâ Extravagante Bonifacii *unam Sanctam* probare poteſt videlicet Papam habere utrumque gladium, & poteſtatem fundendi ſanguinis. De qua re aliàs.

Sectione nonâ in alteram partem ſuæ aſſertionis incumbit, ſcilicet Pontificem efficaciter potuiſſe Clericos abſolvere à juriſdictione poteſtatum politicarum: cujus rei probationem rejicit in caput undecimum libri quarti, ubi perhibet *ſecluſo jure divino immediato Papam potuiſſe per jus canonicum ſine adminiculo juris civilis aut Principum politicorum Clericos eximere à Juriſdictione politica. Idque ut demonſtret ſectione 5. capitis 11. memorat Innocentium in caput 2. de Majoritate & obedientia ita docuiſſe. Nam,*inquit, *proponens quaſtionem: quis exemit Clericos? priùs dicit quòd Papa conſentiente Imperatore; poſtea quòd exempti ſunt à Deo: Et tamen ait: vel dic quòd Papa etiam ſine conſenſu Imperatoris eos potuit eximere à juriſdictione Imperatoris per ſuas conſtitutiones: quia cùm Clerici ſpirituales res ſint, & ex toto corpus ſuum & animam dederunt in ſervitium & ſortem Chriſti. Per conſequens Papa judicio & conſtitutionibus ſubſunt. Eadem eſt communis ſententia Canoniſtarum in caput: Eccleſia Sancta Maria de conſtitutionibus præſertim Panormitani, &c.* Hæc amplius probat Suares. *Ex illis Decretis quibus obſervantia hujus immunitatis ſub cenſuris ipſis etiam Principibus temporalibus præcipitur cap. noverit. cap. Gravem de ſententia excommunicat. Et cap. ultimo de rebus Eccleſiaſticis non alienandis,&c. Item ex Bulla Cœna Domini tot annis à tot Pontificibus repetitâ, &c. Concluditque ſectione 9. capitis 11. Pontifices qui ejuſmodi exemptiones Clericis conceſſerunt, non fundari in illo principio, quod Imperatores & Principes ejuſmoni privilegium Eccleſiaſticis conceſſerunt, & ab illis revocari non poteſt: Sed in jure divino, vel in ſuprema poteſtate quam Pontifices habent à Chriſto ad regendam Eccleſiam, & præſertim res Sacras & Eccleſiaſticas, ut expedire cenſuerint ad divinum cultum, & ad ſupernaturalem hominum finem. Nam Petro data eſt generalis poteſtas ad gubernandam Eccleſiam, & ad ligandum & ſolvendum in omnibus quæ ad bonum Religionis Chriſtianæ & conveniens Eccleſiæ regimen neceſſaria fuerint* inquit ſectione octavâ. En igitur probatio Suaris ridicula quidem, quoniam mera eſt petitio principii, atque oſtentatio Decretalium. Semper enim pro comperto aſſumit quod eſt probandum: videlicet Papam aliâ donatum poteſtate à Chriſto quàm purè putè miniſteriali ſpirituali, quæ legem divinam & naturalem ſtrictè ſervare tenetur: & continuò poteſtati politicæ ſubjicitur in temporalibus juxta ſententiam Apoſtoli: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, Rom. 13.

Sed revertor ad caput tertium libri quarti Suaris ſectione 12. in qua probat tertiam partem ſuæ aſſertionis: nimirum *Reges licitè juri ſuo renun-*

Digitized by Google

renunciare potuiſſe : id eſt potuiſſe ſe jurisdictione temporali quam habebant in Clericos, abdicare, eamque in Romanum Pontificem & alios Prælatos transferre. Ratio aperta eſt, inquit, *quia Rex ſupremus & verus eſt Dominus, & habet liberam poteſtatem utendi ſuâ juriſdictione quocumque modo neque intrinſecè malo, neque ſibi prohibito: Sed actus eximendi Clericos à jurisdictione laicâ, eſt actus Dominii & ejuſdem jurisdictionis voluntariè, qui nec fuit prohibitus Regibus, nec eſt intrinſecè malus. Ergo potuit validè & licitè ferri à quocumque Rege ſupremo, &c.*

Deinde ſectione 14. *Solùm ſupereſt oſtendendum illum uſum non eſſe per ſe & intrinſecè malum: ſeu quod perinde eſt, privilegium illud non eſſe contra juſtitiam, vel naturalem rationem. Quod quidem per ſe evidens videtur, quia eſt in favorem fidei & Religionis, & nulli nocet, nec prajudicat niſi ipſimet Principi concedenti privilegium, quod voluntariè facere poteſt & piè ſi propter dictum finem, & ſine alicujus nocumento id faciat. Declaratur præterea in hunc modum, quia vel uſus ille eſt per ſe malus, quia eſt contra pactum cum Republica initum, cùm primùm in Regem tranſtulit poteſtatem ſuam: vel quia eſt contra legem naturalem juſtitia, quâ Rex tenetur habere curam ſuorum ſubditorum, ſeu incolarum omnium regni ſui juxta exigentiam ſui muneris quod à Republicâ accepit: ſed neuter iſtorum modorum poteſt impedire :* quod probat ſectione 15. *Nam gratis fingitur tale pactum inter Rempublicam & Regem initum: nimirum quòd Reſpublica ſuam poteſtatem ſub ea conditione ſeu limitatione in Regem tranſtulerit, ut non poſſet tale privilegium exemptionis concedere: hoc enim probari nequit*, ait, *præſertim quia ſi humana Reſpublica conſideretur in ſtatu legis naturæ in quo ſeipſam regere poſſet per rationem rectam vel naturalem tantùm, vel ſide illuſtratam: ſicut potuiſſet & temporales Reges ſibi deligere, & Sacerdotes ad Dei cultum peculiariter dicatos inſtituere, atque ipſos Sacerdotes à Regum poteſtate eximere, & nihilominus eos ſub aliquo Sacerdote gubernandos relinquere. Ergò etiam à ſimili Rex & Imperator potuerunt Clericos à Jurisdictione ſua eximere, eoſque Pontifici regendos relinquere. Igitur Reges potuerunt tale privilegium Clericis concedere.* Tranſit poſtea ad alterum membrum: quod ejuſmodi privilegium non repugnet naturali legi juſtitiæ, qua Rex tenetur curam habere omnium civium ut convenienter gubernentur. *Nam Rex concedendo hoc privilegium non omittit hanc curam, ſed altiori & convenientiori modo illi providet, dum eam committit Pontifici, &c. Ergo concedere ejuſmodi exemptionem non fuit contra bonum & uſum regiæ juriſdictionis & poteſtatis: ac proinde nec rationi natu-*

Digitized by Google

naturali repugnat tale privilegium, nec excedit Summi Pontificis poteſtatem. Adnectit ſectione 17. quod objicitur Principem non poſſe ſuam poteſtatem ſeu juriſdictionem minuere, eam alteri communicando. Reſpondet per tale privilegium Rempublicam non privari tali juriſdictione in ſe & in omnibus membris ſuis, ſed ab uno in aliud transferri. Quodque Navarrus cap. Novit de Judiciis corollario 69. numero 166. ait nullum Regem poſſe regno vel regnicolis ſuis privilegium concedere, ut neque ſibi neque magiſtratibus ſuis parere teneantur, quia tale privilegium eſſet contra legem naturæ dictantem Principibus & ſuperioribus obediendum eſſe, &c. Excipit hoc eſſe intelligendum de exemptione merè privativa: id eſt quæ ſubditum ſine lege & gubernatione relinquat; non verò de exemptione transferente juriſdictionem in alium & in ordinem ſuperiorem, nempe in Eccleſiaſticos, &c. Quæ Suaris collectio multò plus habet pompæ quàm veritatis & roboris, ſemperque ſupponit ex lege Euangelica aliam Pontifici & Prælatis Eccleſiæ poteſtatem quàm purè miniſterialem ſpiritualem vacuam omni dominatu poſſe competere: aut concedi à Principe vel Republica, quod eſt falſum atque erroneum. Nam Eccleſiaſtici ut Eccleſiaſtici formaliter non ſunt capaces talis poteſtatis: hoc enim juri divino & cauſis eſſentialibus poteſtatis Eccleſiaſticæ repugnat: neque iſti homines *poſſunt in animum inducere quòd ſpiritualiter examinentur.*

IV. Secundò repugnat etiam Rempublicam aut Regem ſe ſupremâ dirigendi & cogendi poteſtate exuere, & aliquem tali donare privilegio, ut ſi fortè in Rempublicam & Principem conſpiraret, non poſſet cogi in ordinem, nec pro perduelle & obnoxio criminis læſæ majeſtatis plecteretur. Nam ſi Princeps hoc alicui concederet, ſe ex Rege non Regem faceret, ſuâque nativâ majeſtate exueret: ac proinde non ſuâ juriſdictione tale concedendo privilegium uteretur, ſed tanquam demens abuteretur. *Cùm ergo poteſtas omnis data ſit in ædificationem non in deſtructionem* 2 Cor. 13. talis actus eſt intrinſecè prohibitus, Regi tanquam majeſtati Imperii, & Reipublicæ omnino contrarius. Quandoquidem Reſpublica omnis, ſi in ſe retinere velit ſupremam poteſtatem politicam ſibi à Deo & naturâ datam, non poteſt membrum aliquod Reipublicæ à lege ſibi obediendi abſolvere: quoniam ſi ſe hac ſuprema poteſtate cogendi & dirigendi quam habet in omnes cives ambitu ſui imperii contentos ſe abdicaret, non ampliùs eſſet Reſpublica reſpectu eorum quos hoc donaſſet privilegio: Et ita omnia argumenta Suaris corruunt.

Tertiò

Digitized by Google

Tertiò fruſtrà Suares hîc pietatem & favorem fidei obtendit: quando tale privilegium eſt planè contrarium juri divino naturali & cauſis eſſentialibus poteſtatis Eccleſiaſticæ & politicæ, ut claret ex antecedentibus: Sola enim poteſtas politica jus habet meri Imperii, & Eccleſiaſtica eſt tantùm miniſterialis ſpiritualis.

Quartò mera ſunt commenta quæ fingit adverſarius de Republica Sacerdotes liberante à poteſtate Regum, eoſque ſub aliquo Sacerdote gubernandos committere: quoniam, ut jam dictum eſt, hæc cauſis eſſentialibus utriuſque poteſtatis repugnant, efficiuntque ut Reſpublica precarium dumtaxat habeat imperium erga Sacerdotes; neque imperii ſui majeſtate tuta & ſibi ſufficiens eſſe poſſit, dato quòd Sacerdotes aliquid erga Rempublicam peccarent: Idque experientia hodierna ſatis confirmat: videmus enim Reges & Principes Chriſtianos nihil quicquam præſertim adversùs Cardinales novis rebus ſtudentes, audere ſtatuere; ſed cogi de injuriis ſibi illatis cum Pontifice expoſtulare. At non ita ſæculo Majorum noſtrorum dum Sanctio Pragmatica & decreta Baſileenſis Concilii ſervarentur in Galliis: ſiquidem Ludovicus XI. regiâ majeſtate armatus Cardinalem Baluenſem in carcerem tanquam perduellem compegit.

Suares capite 4. libri 4. de immunitatibus Eccleſiaſticorum docet ſummum Pontificem jure divino exemptum ab omni judicio & juriſdictione ſæculari Imperatorum & Regum; idque probat non Scripturæ auctoritate, ſed ſuppoſititio canone. *Nemo primam ſedem juſtitiam temperare deſiderantem judicabit 9. quæſt. 3. canone Nemo. Item aliorum hominum cauſas voluit Deus terminare, ſed ſedis Romanæ Præſulis ſuo ſine quæſtione reſervavit arbitrio.* Quæ verba ſunt Ennodii Diaconi Romanæ Eccleſiæ in cauſa Symmachi Papæ. *Eadem causâ & quæſt. can. aliorum.* Porrò de canone Nemo, & Libro Ennodii, vide quæ obſervavi libro tertio defenſionis libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate cap. 5. n. 20. & 21.

Dehinc ſectione 9. ejuſdem capitis quarti hoc argumento Scholaſtico utitur: *Sicut in naturalibus dans formam dat conſequentia ad formam: ita in moralibus dans juriſdictionem cenſetur dare omnia neceſſaria ad illius debitum uſum & adminiſtrationem: Sed in præſenti materia ut poſſit Pontifex ſuam ſupremam poteſtatem & jurisdictionem indirectam in temporalibus ſupra omnes Principes temporales exercere, neceſſe eſt moraliter loquendo, ut nulli eorum ſit directè ſubjectus in temporalibus cauſis quocumque titulo aut modo pertinentibus. Ergo data eſt Pontifi-*

ci talis exemptio ex vi ſua dignitatis. Nam cùm Deus omnia ſapientiſſimè & ſuaviſſimè diſponat, non eſt veriſimile dediſſe dignitatem & poteſtatem ſine exemptione neceſſariâ vel conveniente ad debitum uſum talis poteſtatis. Quòd autem talis dignitas talem exemptionem poſtulet, probat: quia Pontifex ex vi dignitatis ſuæ poteſtatis ſupremæ poteſt diſponere de omnibus juribus temporalibus, atque etiam de ipſa ſuprema ſæculari poteſtate, prout neceſſarium fuerit ad rerum ſpiritualium convenientem gubernationem, &c.

Hæc ſunt præcipua Suaris argumenta, quæ & riſum & commiſerationem Lectoribus judicio præditis movent. Quod enim probare non poteſt, tanquam certiſſimum & fide Catholicâ credendum ſupponit: videlicet Papam pollere indirectâ poteſtate diſponendi de omnibus temporalibus, & abdicandi Reges. At mi homo, idipſum eſt de quo controvertitur, & evidentiſſimè demonſtratur legi gratiæ & poteſtati miniſteriali repugnare, quia miniſterium non poteſt eſſe dominium: quodque allegatur pro fundamento: *Tibi dabo claves regni Cælorum quodcumque ligaveris ſuper terram*; ſtatim enucleabitur.

Præterea cap. 10. ejuſdem libri 4. ſectione 4. cum Turrecremata & Bellarmino ſtatuit B. Paulum non jure, ſed de facto tantùm Cæſarem appellaſſe: atque omnes Apoſtolos ſicut & Petrum omnino ſolutos fuiſſe à juriſdictione Imperatorum. Ejus ratio eſt, quoniam Apoſtoli quandam habuerunt cum Petro æqualitatem, fueruntque Principes conſtituti ſuper omnem terram à Chriſto à quo habuerunt jurisdictionem directam vel indirectam ſuper omnes Principes terræ. Ergo ex vi illius excellentiæ fuerunt exempti à jurisdictione Principum ſæcularium. Eſt enim præpoſterum & indecorum ſuperiores Principes ab inferioribus judicari, & Paſtores ovibus ſubdi. Hinc etiam verba Chriſti: Ergo liberi ſunt filii. Matth. 17. Ad omnes Apoſtolos extendi poſſunt, &c.

Hæc collectio ſeipsâ diruitur, ſi ad reſponſiones noſtras præcedentes conferatur. Quòd autem ait Suares Paulum de facto & non jure appellaſſe ad Cæſarem, ſtatim examinabitur. Secundò Apoſtolos directam vel indirectam habuiſſe poteſtatem in omnes Principes terræ æquivocatione laborat: Et ſi de poteſtate in temporalibus agit, diſtinctione etiam opus eſt. Fateor quidem Apoſtolos directam habuiſſe poteſtatem prædicandi Euangelii ubique gentium & locorum. Sed nego eam ob cauſam directam & indirectam habuiſſe in Principes Ethnicos poteſtatem, ut eos cogere poſſent ad ſuſcipiendam Legem Euan-

Digitized by Google

Euangelicam, cùm hoc tantùm fieri debeat actibus hierarchicis per poteſtatem miniſterialem, illuminando per doctrinam, &c. Cæterùm ubi Principes aut alii homines nomen dederunt Euangelio, annuo quidem Apoſtolos directam in illos habuiſſe poteſtatem in ſpiritualibus.

V. Deinceps eodem cap. 10. ſectione 11. quæſtionem à Navarro excitatam cap. novit de judiciis: notabili ſexto numero 30. proponit, *aitque illum benè & abſolutè docere ex vi caracteris Clericalis ſequi ex natura exemptionem à juriſdictione laica perſona ſic ſacrata, non ſolùm quatenus ſacrata eſt, ſed quatenus homo eſt. Ad objectionem verò quam idem Navarrus movet de caractere baptiſmali: nempe quòd ſequeretur omnem Chriſtianum ex vi caracteris baptiſmatis eximi à poteſtate laica, quia per illum eſt Deo conſecratus. Ex eodem Navarro negat conſequentiam propter diſcrimen inter utrumque caracterem: quia baptiſmalis non diſcernit inter Chriſtianos; ſed potius illos congregat in unum corpus: At Clericalis caracter diſtinguit inter Clerum & populum Chriſtianum.* Hæc ex Navarro. Deinde ex propria ſententia iſthæc alia aggerit ſectione 13. *Scilicet caracterem baptiſmi tantùm conſignare perſonam Chriſto, eamque ſpecialiter obligare ad fidem Chriſtianam retinendam; ideoque per ſe non diſtinguere inter fidelem & infidelem in his quæ ad temporalem vitam & politicum ſtatum ſpectant: Et propterea non ita ſecum afferre exemptionem à jurisdictione temporali ſicut caracter Ordinis eximit Clericum à poteſtate Principum laicorum: quia Ordo dicando perſonam miniſterio ſacro per ſe unà etiam utrumque ſtatum Clericalem & laicalem diſtinguit.*

Verùm & Navarrus & Suares hîc multa turbant, dum minimè attendunt Sacerdotem poſſe conſiderari ut Sacerdotem, & ut civem juxta diſtinctionem initio hujus capitis de Eccleſiaſticorum immunitatibus poſitam. Nam in iis quæ neceſſariò ſequuntur Chriſtianæ Religionis profeſſionem, atque Ordinis Sacerdotalis uſum aut exercitium: quemadmodum dixi Clericos eſſe immunes à jurisdictione temporali: ſic etiam contendo pariter hoc capi oportere de Chriſtianis, qui Religionem Chriſtianam profitentur; ita ut Principes illos ab hac profeſſione jure arcere aut prohibere nequeant. Et nihilominùs ut cives politico Magiſtratui in civilibus & temporalibus ſubjiciuntur, quia neque Sacerdotalis neque baptiſmalis caracter hanc abrogat ſubjectionem, quod identidem eſt frequentandum contra protervos.

Digitized by Google

At libro eodem quarto cap.9. ſectione 17. Suares hoc aliud dædalicum verſat argumentum, ſcilicet Chriſtum dixiſſe Matthæi 6. impoſſibile eſſe duobus Dominis ſervire, quin unus odio habeatur, & alter diligatur, &c. *Similis enim impotentia & moralis repugnantia invenitur in hoc quod Clerici ſecundùm idem, id eſt ſecundùm corpus ſint ſubjecti Pontifici & Regi: quia poſſent interdum contraria præcipere, & neceſſarium eſſet uni obedire & alterum contemnere, &c. Igitur ſicut vaſa Deo ſacrata eo ipſo ex natura rei à prophanis uſibus exempta ſunt: Et contractus matrimonii eo ipſo in forum Eccleſiaſticum tranſit, & à ſæculari poteſtate exemptus eſt: Ita hinc optimè infertur Clericos eſſe exemptos ab omni jurisdictione temporali Principum, tam quoad vim directivam quàm coactivam etiam ratione corporis & bonorum temporalium. Ratio eſt quoniam Clerici quoad actiones corporis debent eſſe divinis myſteriis addicti, & à ſæcularibus negotiis abſtracti, in quibus eos poſſent Reges implicare, præcipiendo verbi cauſâ ut militarent, &c. Quocirca debent à Pontifice regulam & modum vivendi, operandi atque etiam utendi temporalibus accipere: & conſequenter non poſſunt eſſe ſimul ſub juriſdictione Principum temporalium.* Quæ ſophiſtica collectio his divinis præceptis Apoſtolorum penitùs repugnat: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, &c. Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ, &c.* Deinde cùm Matth. 6. Dominus agat de Mammone iniquitatis, cui nemo Deo militans ſervire poteſt: Impiè facit Suares dum politicas poteſtates quæ ſunt à Deo, cum Mammone quod eſt à Diabolo, comparat. Tertiò, quod infert Magiſtratum politicum & Eccleſiam poſſe interdum contraria præcipere: Reſpondeo ſi Eccleſiæ præceptum ſpectet ad Legem Dei, tum hoc Petri oraculo Actorum 5. parendum eſſe: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Danielis exemplo Deum adorantis contra edictum Regis Babylonis. Danielis 5. Si autem præceptum purè putè ſit Eccleſiaſticum, conſtantem eſſe Theologorum ſententiam; numquam leges Eccleſiaſticas cum magno vitæ & rerum temporalium ac pacis publicæ detrimento. Quâ de re infrà uberiùs diſputabitur, cùm de Gregorii VII. deſpoticis imperiis ſtatuetur. Quartò planè cavillatoria eſt vaſorum ſacrorum & rerum inanimatarum Deo dicatarum cum Clericis & Sacerdotibus comparatio, quoniam vaſa ſacra unico tantùm uſui ſacro deſtinantur: Clerici autem & Sacerdotes non deſinunt eſſe cives & membra Reipublicæ. 5. Principes politici unico tantùm in caſu poſſunt Clericis præcipere ut militent & arma capiant: nimirum ubi neceſſitas reſi-

reſiſtendi publico hoſti imminet: tum enim ſecundùm jus naturæ omnibus incumbit arma ſumere. Certè Sophiſtarum eſt in moralibus fingere difficultates quæ numquam poſſunt occurrere, ut facit Suares, quò procliviùs ignaros decipiat.

VI. 1. Jam ad Bellarmini argumenta deſcendamus, quæ pariter Suari communia ſunt; quorum alia à ſacris Scripturis: alia à ratione naturali & canonibus Conciliorum atque Romanorum Pontificum Decretis deducit. Et quidem cap. 28. de Clericis, contendit Clericos legibus politicorum Principum obligatione directivâ non coactivâ ſolummodò teneri: adeò ut vi tantùm rationis, non neceſſitate obtemperent poteſtatibus. Ex quo neceſſariò inſurgit Clericos, ſi quid adversùs imperata Principum politicorum obſtinato etiam animo conſciſcant, non eſſe perduelles. Quæ quidem primùm Bellarminus munit ex cap. 17. Matth. ubi Chriſtus ſic Petrum affatus eſt, poſtquam Publicani ab illo didrachma petierunt. *Quid tibi videtur, Simon, Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel cenſum à filiis ſuis, an ab alienis? at ille dixit: ab alienis. Dixit illi Jeſus. Ergo liberi ſunt filii, &c. Quaſi diceret*, inquit Bellarminus, *& ſe & familiam ſuam, cui D. Petrus erat præfectus, liberos eſſe debere à tributis.* Hæcque amplius fulcire conatur B. Hieronymi auctoritate in eumdem locum Matthæi, nec non Auguſtini lib. priore quæſtionum Euangelicarum quæſt. 33. quam collectionem recoquit pariter cap. 3. adversùs Barclaium. Eòque ſimiliter collineat Baronius tomo primo Annalium anno Chriſti 32. numero 31. ubi textum illum Matthæi explicat. Et Suares libro 4. ſuæ defenſionis fidei cap. 5. ſectione 4. hæcque profert ex quæſtionibus Euangelicis B. Auguſtini. *Quod Chriſtus dixit: Ergo liberi ſunt filii; in omni regno intelligendum liberos eſſe regni filios, id eſt non eſſe vectigales. Multò ergo magis liberi eſſe debent in quolibet regno terreno filii regni illius ſub quo ſunt omnia regna.* Deinde ſectione 7. Ad replicam autem, inquit, quâ dicitur hoc intelligi *de Chriſto, ut Deus eſt, non ut homo. Reſpondemus negando aſſumptum: nam Chriſtus etiam ut homo, eſt filius Dei naturalis propter gratiam unionis, per quam ipſa naturalis filiatio ſubſtantialiter eſt humanitati conjuncta: & conſequenter etiam gratia facta eſt connaturalis illi homini. Quare inde etiam habuit Chriſtus tanquam homo non ſolùm ut eſſet liber ab omni Regis terreni poteſtate & tributo: verùm etiam ut eſſet per quamdam ſingularem excellentiam Rex Regum & Dominus Dominantium.* Apocal. 17. *Proprietatem enim & dominium hujus regni quod nunc habet in Cœlis, ſemper & in terris habuit ra-*

tione unionis, quamvis uſum illius in vita mortali non acceperit. Habuit verò ſuper omnia terrena regnum & dominium altioris rationis, & poteſtatem excellentiæ; & ideo habuit etiam innatam libertatem ab omni tributo mortali debito Regi vel Imperatori, quam immunitatem habet ratione filiationis naturalis: Et ideo de ſe optimè ut de homine argumentatus eſt. Præterea ſectione 12. reſpondens huic difficultati: cur Chriſtus Petrum in hac libertate & immunitate à tributo ſecum conjunxerit: *reſpondet Chriſtum ſignificaſſe non ſolùm ſe eſſe immunem à ſolutione tributi, ſed etiam potuiſſe illud privilegium communicare Petro tanquam ſibi conjunctiſſimo & valde ſimili in poteſtate quam illi conceſſurus erat ſupra totam Eccleſiam, & ſuper omnes Reges terræ. Quocirca Chriſtus poſt factam à ſe illationem hanc: Ergo liberi ſunt filii, adjunxit. Ut autem non ſcandaliſemus eos, da pro me & pro te, &c.* Inſuper ſectione 13. factâ hac objectione: *Quod ex immunitate à tributo non ſequatur omnem exemptionem à legibus politicis & ſubjectione debita Regibus, cùm filius Regis terreni ſit quidem liber à tributo, ſed non à poteſtate directiva & coactiva patris.* Reponit *in præſenti materia rectè unam exemptionem colligi ex alia. Nam ait in ipſo Chriſto ſicut ex filiatione naturali infertur immunitas à tributo: ita etiam ab omni ſubjectione & juriſdictione Principum temporalium.* Quia filiatio quæ eſt ratio unius exemptionis, neceſſariò etiam eſt ratio alterius, quia eſt ratio dominationis & excellentiæ ſupra omnes Reges. Simili ergo modo intelligimus proportionatim hoc privilegium eſſe communicatum Petro. Ideòque ex immunitate à tributis colligimus exemptionem ab omni ſubjectione & juriſdictione temporali, &c.

At profectò nihil hoc Suaris argumento ſolutu facilius ex indubitatis principiis capite primo hujus libri poſitis, ſcilicet Chriſtum ratione authoritatis ſupremæ, quam ut Deus, aut poteſtatis excellentiæ quam habuit ut Chriſtus, & ratione filiationis divinæ, quæ naturæ humanæ communicata eſt, non debuiſſe tributum: ſed dumtaxat propter poteſtatem purè miniſterialem & ſtatum humiliationis quem voluntariè aſſumpſit & reliquit Apoſtolis. Quam rationem Origenes attingere videtur Commentariis in cap. 17. Matth. *Filius Dei*, inquit, *quaſi habens formam ſervi tributum & cenſum dedit*. Idem quoque docet S. Hieronymus, cujus textum integrum exſcribam, quem Bellarminus & Baronius ſolum per laciniam apprehenderunt: *Dominus noſter*, ait, *& ſecundùm carnem, & ſecundùm ſpiritum filius Regis erat, vel ex David ſtirpe generatus, vel omnipotentis verbum Patris. Ergo tributa*

Digitized by Google

buta quaſi Regum filius non debebat: Sed qui humilitatem carnis aſſumpſerat, debuit adimplere omnem juſtitiam: noſque infelices qui Chriſti cenſemur nomine, & nihil dignum tantâ facimus Majeſtate. Ille pro nobis & crucem ſuſtinuit, & tributa reddidit. Nos pro illius honore tributa non reddimus, & quaſi filii Regis à vectigalibus immunes ſumus. Eadem habet Lyranus ibidem: *Ipſe Chriſtus*, ait, *erat filius Dei ſecundùm naturam divinam, & per conſequens nulli ſubjectus: ſimiliter ſecundùm naturam humanam erat filius David, & per conſequens liber à tributo. Et ex hoc ſequitur quòd Apoſtoli qui erant de ejus familia, eſſent liberi. Verumtamen ne ſcandalizarentur illi qui colligebant, voluit tributum reddere.* Audis, Lector, Hieronymum & Lyranum duas proponere cauſas quamobrem Chriſtus non teneretur dare tributum, quarum prior veriſſima & certiſſima eſt: nimirum quia eſſet Dei filius, creator mundi, & Dominus Dominantium, &c. Poſterior non ita certa: Scilicet quia Chriſtus eſſet filius David. Nam cùm auctore Bellarmino fieri poſſit ut *qui nunc eſt Rex, paulò poſt non ſit: verbi causâ, ſi jure belli, aut alio juſto titulo regnum amittat, &c.* Certum autem ſit Davidis progeniem tum jure belli regno Judaico privatam, & Romanos Judæis imperaviſſe; conſurgit quidem ad probandum Chriſtum non debuiſſe tributum, nullius eſſe momenti dicere quod eſſet filius David, cùm innumeri alii ex ſtirpe David cenſum Romanis dependerent, ad quos etiam fortè regnum David propiùs quàm ad Chriſtum ſpectabat. Et ita relinquitur fruſtrà eſſe Bellarminum & Suarem, ut ex Chriſti dialogiſmo cum Petro efficiant Eccleſiaſticos jure divino immunes eſſe tributi ſolvendi. Procul dubio ipſe D. Thomas cap. 13. Commentariorum in Epiſtolam ad Rom. *perhibet Clericos eſſe liberos à tributo ex privilegio Principum; idque æquitati congruere naturali, cùm legamus apud gentiles eos qui rebus divinis vacabant, liberos fuiſſe à tributis.* Hæc ille, quæ ut jam monui intelligi debent de ſuperfluis, non de neceſſariis ad vitam Clericorum, quæ eis debentur ratione miniſterii rerum ſpiritualium. Maldonatus in cap. 17. Matthæi: *Diſputant nonnulli*, ait, *an re verâ Chriſtus tanquam homo tributum debuerit? Reſpondent debuiſſe: quia D. Paulus teſtatur illum per omnia nobis excepto peccato ſimilem factum fuiſſe, & hoc loco non tanquam hominem, ſed tanquam Deum argumentari ſe à tributo liberum. Id an dici poſſit doctiores viderint: Ego quidem non dixerim*, inquit Maldonatus. Hæc ille. Jam ſuperiùs dixi, cùm Romæ ſua Commentaria ſcriberet, & quæ lucubraret, à ſuo Generali ante probari debere noſſet, prudenter quidem & magno judi-

Digitized by Google

judicio animi ſui ſenſum ſub aliena ſententia involviſſe. Quam ſententiam invincibili argumento munit & confirmat: putà *Chriſtum ut hominem excepto peccato, omnibus aliis in rebus cæteris hominibus ſimilem factum fuiſſe: Et hoc loco non tanquam hominem, ſed tanquam Deum argumentari ſe à tributo liberum.* Quibus accuratè perpenſis facilè argumenta Suaris depelluntur. Sunt enim meræ dapes ſcholicæ ad apparenter velitandum in ſcholaſtico pulvere. Profectò ipſemet ſatis declarat Chriſtum ratione ſolius poteſtatis excellentiæ & filiationis divinæ immunem fuiſſe à tributo. Id autem cùm ad liberandos Eccleſiaſticos ab omni ſubjectione politicâ in fidei atque Religionis Chriſtianæ favorem detorquere nititur; perinde facit ac ſi ex quolibet quodlibet inferret. Hercle Lex Euangelica à Chriſto poſita non patitur ut argumenta à poteſtate excellentiæ ad poteſtatem purè miniſterialem ſpiritualem inſtruamus.

VII. 2. Secundum Bellarmini argumentum ducitur à cap. 28. lib. de Clericis, totumque occupatur in hac Apoſtoli auctoritate declinanda Roman. 13. O*mnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt à Deo ordinata ſunt, &c.* Reſpondet autem *nihil eâ ratiocinatione concludi: quamvis enim jure divino omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubjecta ſit: ac per hoc etiam Regibus, dum ſublimiores poteſtates ſunt, tamen fieri poteſt, inquit, ut qui nunc eſt ſublimior poteſtas, paulò pòſt non ſit: ut ſi ipſe ſubjiciat alteri partem ſui regni vel jure belli, aut alio juſto titulo regnum vel regni partem amittat: Quoniam ergo Clericos partim ipſi Principes ſubjecerunt in omnibus cauſis etiam temporalibus & civilibus Epiſcopis ſuis. Et poſtremò ſummus Pontifex Clericos omnes exemit à ſubjectione Principum ſæcularium, ſequitur ut reſpectu Clericorum non ſint Principes ſuperiores poteſtates: ac proinde non teneantur Clerici Principibus parere neque jure humano neque divino, niſi quantum ad leges quaſdam directivas ut diximus.* Deinde ut hoc argumentum confirmet contra eos qui idem eſſe judicium de Regibus & Pontifice contendebant, opponit magnum eſſe diſcrimen inter utrumque: *Nam regna non ſunt immediatè à Deo inſtituta, ſed ab hominibus, & ideo ab hominibus mutari poſſunt in alias regiminis formas: Pontificatus autem à Deo immediatè inſtitutus eſt, & ideo non poteſt ab hominibus immutari ait.* Quæ omnia iterum in incudem revocat cap. 3. & 21. adversùs Barclaium. *Siquidem*, inquit, *quemadmodum poteſt Magiſtratus inferior per Principem tolli & mutari; ita ut nemo ei ampliùs ſubjectionem & obedientiam debeat: Sic etiam cùm Rex à poteſtate ſpiritu-*

tuali

Digitized by Google

ituali in caſu hæreſis, vel ab alio Rege in caſu victoriæ de ſolio deponitur, non amplius ei debetur ſubjectio & obedientia declarata ab Apoſtolo Rom. 13. *Demum concludit Apoſtolos & Eccleſiaſticos de facto tantum & non de jure ſubditos fuiſſe Ethnicis Imperatoribus.*

Suares libro 4. defenſionis fidei cap. 6. à ſectione 4. idem ſaxum volvit: reſpondetque *Petrum & ejus ſucceſſores toto tempore Gentilium Imperatorum fuiſſe exemptos ab eorumdem jurisdictione quoad privilegium & habitum: Licèt uſum & actum privilegii pro eo tempore habere non potuerint, quod juri divino nihil repugnat, &c. Nec verba D. Pauli quamvis generalia excludunt privilegium ſpeciale à Chriſto conceſſum. Nam regula juris eſt generale jus per ſpeciale limitari, etiamſi ſpeciale antiquius ſit. Quæ regula,* inquit, *hic ſatis accommodari poteſt, præſertim quia D. Paulus ibi ſolùm explicat jus antiquum & naturale, docetque obſervandum eſſe à Chriſtianis: ac proinde Euangelium non docere inobedientiam erga magiſtratus, ſed obedientiam. Hoc autem jus naturale declaratum ab Apoſtolo non violatur, ſed materia ejus ex parte mutatur per privilegium exemptionis à Chriſto conceſſum, quod ibi Paulus non excluſit, neque illius mentionem fecit, quia neceſſarium non erat: quamquam ſi attentè verba Pauli conſiderentur, ex forma illorum intelligi poteſt Vicarium Chriſti ſubjeis non comprehendi. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: quæ verba ſunt reſpectiva & comprehendunt tam privatos homines, reſpectu eorum qui eis proximè præſunt, quàm magiſtratus inferiorum Ordinum reſpectu ſublimiorum poteſtatum. At verò comparatione Vicarii Chriſti, nulla eſt in terris ſublimior poteſtas: Et ideo in eo non habet locum ſententia Pauli, &c.*

Ex his adverſariorum reſponſionibus patet quàm ſit difficile manifeſtæ veritati obſiſtere. Porrò Bellarmini Collectio ſex præſertim continet quæ Sophiſticis Elenchis nituntur.

Primùm miror illum auſum dicere argumentatione Apoſtoli nihil concludi, cùm ſit inſtar demonſtrationis mathematicæ, in prima figura, ut capite 1. & 2. libri 2. docuimus.

Omnis poteſtas ſublimior tanquam immediatè à Deo ordinata & conſtituta, ſibi ſubditam habet omnem animam quoad directionem & coactionem.

Sed omnis poteſtas politica quocumque modo exiſtat, nimirum Monarchicè, Ariſtocraticè vel Democraticè, eſt poteſtas ſublimior immediatè à Deo ordinata & conſtituta.

Igitur omnis poteſtas politica ſive Monarchicè, ſive Ariſtocraticè

Digitized by Google

aut Democraticè exiſtat, ſibi ſubditam habet omnem animam quoad directionem & coactionem per merum imperium, aut jus gladii materialis.

Quod verò ait Bellarminus nihil concludi hac collectione, propterea quod fieri poſſit ut poteſtas quæ nunc eſt ſublimior, paulò pòſt non ſit, &c. hoc quidem locum haberet, ſi Apoſtolus materialiter tantùm & ſubjectivè de hoc aut illo Rege, vel ſtatu Monarchico, Ariſtocratico, aut Democratico, non de poteſtate directiva & coactiva formaliter & quoad eſſentiam verba faceret. Nam ut aliàs docuimus, poteſtas politica dirigendi & cogendi formaliter ſumpta, eſt quædam Legis æternæ particula invariabilis atque immutabilis erga omnes cives ambitu Reipublicæ contentos, nemine, ne quidem Papâ, dempto. Quocirca omnis homo neceſſitate huic politicæ poteſtati ſubditus eſt, ſive ſtatus Monarchicus in Ariſtocratiam aut Democratiam vel contrà mutetur: ſive etiam hic Rex aut Princeps regnum aut poteſtatem regni ſui amittat, vel alteri ſubjiciat. Semper enim poteſtas politica formaliter immutabilis perdurat, eique Eccleſiaſtici quoad directionem & coactionem per merum imperium ſubjiciuntur: alioqui certè poteſtas politica non eſſet ſibi ſufficiens; neque qui illam exercent, Imperii majeſtate, ut ſuprà oſtendimus, ſeſe tueri poſſent.

Secundò fateor Principes voluiſſe Clericos in omnibus cauſis temporalibus & civilibus Epiſcopis ſuis ſubjici: Sed nego propterea Clericos deſinere eſſe cives & membra Reipublicæ: atque ipſos Reges ſibi ita ligaſſe manus, ut ſi res poſtularet, non poſſent capitali pœnâ decutere Eccleſiaſticos. Hîc enim regula Juriſconſultorum obtinet: Reges nimirum Majeſtati Imperii ſui numquam poſſe derogare, atque pupillos eſſe hac in parte.

Tertiò fingit, non probat, neque probare poteſt, niſi fortè viâ facti, Papam Clericos à ſubjectione politica abſolviſſe. Quomodo enim id probat, quando certiſſimum eſt Papam ſolâ poteſtate miniſteriali ſpirituali donatum eſſe, quæ naturæ atque gentium jura ſervare, non reſolvere tenetur.

Quartò fruſtratur quoque à ſuppoſitione principii, affirmans Eccleſiaſticos non teneri obtemperare politicis poteſtatibus, niſi quantum ad leges directivas, aut ſolâ vi rationis. Nam, ut lib. 2. docui, nulla eſt directio abſque coactione: Et poſt peccatum primi Parentis fruſtrà eſſet directio abſque poteſtate coërcitiva: cùm Eccleſiaſtici adeptione Sacerdotii non efficiantur impeccabiles, ut experientia conſtat.

Quin-

Digitized by Google

Quintò ludificat ab homonymia, dum ait regna non eſſe à Deo, ſicut Pontificatum. Si enim per regna ſupremam poteſtatem politicam dirigendi & cogendi per merum Imperium intelligit, falſum atque erroneum eſt dicere regna aut ſupremam poteſtatem politicam non eſſe immediatè à Deo: ſi autem per regna, principatum Monarchicum, Ariſtocraticum, aut Democraticum deſignat, concedimus hæc non eſſe juris Divini naturalis primarii & immediatè à Deo, ſed tantùm mediante hominum conſenſu, ut abundè 2. lib. cap. 1. & 2. probavimus.

Sextò ſicut fatemur ſublimiorem poteſtatem, verbi causâ Franciæ Regem poſſe aliquem ſui regni Magiſtratum aut Officiarium jure abdicare: atque etiam aliquem Principem toto regno, aut aliquâ parte regni ſui bello privari poſſe ab aliquo potentiore Principe: Ita abſolutè negamus Papam aut Eccleſiam donatam à Chriſto auctoritate Regum abdicandorum, vel eos privandi illis quæ jure naturali & gentium poſſident: quoniam poteſtas miniſterialis Eccleſiæ inſtituta eſt, ut legem divinam & naturalem ſervet, non ut diſſolvat: neque præter cenſuras quicquam habet ulterius, quod jure divino in ratione irrogandi pœnas decernat.

Septimò falſum atque erroneum eſt Eccleſiaſticos tantùm de facto, non de jure ſubjici poteſtatibus politicis, ut lib. 2. cap. 1. & ſecundo docuimus.

Octavò, Argumenta Suaris meræ ſunt hominum obnoxiorum chimeræ, juri divino & naturali penitùs contrariæ; cujuſmodi eſt Petrum ejuſque ſucceſſores habuiſſe privilegium Exemptionis quoad habitum, non quoad uſum: hoc enim ſupponit Eccleſiaſticis aliam poteſtatem quàm purè miniſterialem ſpiritualem tributam à Chriſto.

Nonò, quod ait generale jus per ſpeciale limitari, concedo: ſi modo hoc jus ſpeciale deroget generali: At derogare in materia de qua agitur, planè inficior: quoniam poteſtas miniſterialis Eccleſiæ jura naturæ & gentium ſervare tenetur, quando gratia non deſtruit, ſed perficit naturam.

Decimò, dum obtendit ſpeciale jus eſſe antiquius generali; hoc ei planè negamus in hac parte, putamusque mendum in ejus textum irrepſiſſe, & *pro τὸ antiquius, legendum, poſterius.* Quoniam certum eſt Legem Euangelicam tempore poſteriorem eſſe lege naturali: Eſtque veriſimile Suarem deſignare voluiſſe poſteriora prioribus derogare.

Undecimò, quod prætexit jus naturale declaratum ab Apoſtolo non violari per exemptionem Eccleſiaſticorum, ſed materiam dumtaxat, ex parte mutari: fallit, aut fallitur: quoniam hoc privilegium politicas poteſtates ſua debitâ majeſtate & ſufficientiâ ſpoliat: Ita ut dato quòd Eccleſiaſtici aliquid contra Rempublicam molirentur, non poſſent cogi in Ordinem à Principe.

Duodecimò, quod aſſerit Vicarium Chriſti non comprehendi his verbis Pauli: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, &c.* Sibi falsò blanditur; & ut Galli dicunt: de propria crumena ſibi debita perſolvit. Nihil enim certius atque evidentius ſyllogiſmo quem ex verbis Apoſtoli ad primum Bellarmini argumentum texuimus: cui ſyllogiſmo præter argutias & evaſiones ſcholaſtici pulveris nihil quicquam aliud opponere queunt adverſarii. Cæterùm: quod concludit nullam eſſe in terris ſublimiorem poteſtatem comparatione Vicarii Chriſti; illudit æquivocatione: Si enim de temporalibus loquatur, Imperator eſt ſuperior Papâ: ſi de ſpiritualibus, Concilium generale eminet, ut in defenſione libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate demonſtravimus.

VIII. 3. Tertium Bellarmini argumentum adhuc impenditur in elevanda auctoritate hujus textus Apoſtoli: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, &c.* Nam cap. 30. de Clericis docet præcepta Apoſtolorum de parendo Regibus Rom. 13. & 1 Petri 2. fuiſſe ſolummodo temporanea & proviſoria, quoad Euangelium ſufficienter promulgaretur. *Reſpondeo,* ait, *ſententias Apoſtolorum generales eſſe: quamvis enim nominatim in eis fiat mentio Regum, quoniam eo tempore valdè neceſſarium erat diligenter monere Chriſtianos, ut Regibus obedirent, ne fidei prædicatio impediretur: tamen abſolutè verba illa tam B. Petri quàm B. Pauli nihil aliud ſignificant, niſi debere omnes homines ſuis legitimis ſuperioribus ſubditos eſſe, eiſque debitam obedientiam exhibere. Quare non poteſt ex his teſtimoniis Apoſtolicis probari Clericos Principibus ſæculi, vel ipſorum legibus obtemperare debere, niſi priùs probetur Reges ſæculi eſſe legitimos ſuperiores & judices Clericorum: quod certè probari non poterit, niſi probetur oves Paſtoribus, filios parentibus, & temporalia ſpiritualibus præeminere. Nec tamen Chryſoſtomo contradicimus: quamvis enim judicem proprium Clericorum & Monachorum ſolum Pontificem eſſe dicamus, tamen fatemur Reges non ſolùm Laicorum, ſed etiam Clericorum & Monachorum Reges eſſe: unde etiam non ſine cauſa in publicis precibus oramus pro Rege vel pro Imperatore noſtro.*

Pro-

Digitized by Google

Procul dubio Bellarminus effugia, non reſponſionem adverſùs Apoſtolorum oracula adornat: quoniam ſi illi fides hac in parte, ſenſus erit horum verborum Chriſti: *Regnum meum non eſt de hoc mundo, &c. Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, &c. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, &c.* Senſus, inquam, erit: ô Reges atque Principes mundi; Ego cum meis diſcipulis vobis comiter obtemperabimus quoad regnum meum firmas atque ſufficientes vires ac opes fuerit adeptum: idque Æſopi Apologo reſpondet fingentis ſecurim à ſylva poſtulaſſe, ut ſibi faceret copiam exſcindendi manubrii, quo uti poſſet, eoque adepto totam dehinc cœdiſſe & vaſtaſſe ſylvam. Hoc autem quàm ſimplicitati, veritati, & humilitati doctrinæ Euangelicæ, atque poteſtati miniſteriali ſpirituali Eccleſiæ contrarium ſit, omnibus verè piis æſtimandum, & cum his divinis vocibus conferendum relinquo. *Infirma mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ ſunt, ut ea quæ non ſunt, deſtrueret: ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus: Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitia eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur.* 1 Cor. cap. 1. & 3. Quotusquiſque non videt ex Bellarmini placitis Chriſtum non ſufficienter crimen adfectati regni, quod illi improperio vertebatur, à Judæis depuliſſe, quando reſpondit Pilato: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Et Pilatum juſtam habuiſſe occaſionem Chriſtum morti adjudicandi tanquam legis naturalis & politiarum violatorem? Hoc inquam, clarè inducitur ex adverſariorum documentis: quæ huic teſtimonio divino Auguſtini nequaquam conſentiunt: *Audite Judæi & Gentes: audi circumciſio; audi præputium; audite omnia regna terræ: non impedio dominationem veſtram in mundo: Regnum meum non eſt de hoc mundo, &c.* Loquitur enim ſecundùm poteſtatem miniſterialem, quâ ſe revera voluntariè & jure, non de facto tantùm ſubjecit Pilato, eique propterea dixit: *Non haberes in me poteſtatem ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper.* Joan. 19. Et hinc Suaris opinio refellitur lib. 4. defenſionis fidei cap. 7. ſectione 12. ubi perſuadere vult Chriſtum de facto tantùm ſubjectum fuiſſe Pilato: *Idque*, inquit, *ſufficienter probant verba Chriſti* Matth. 17. *Quòd filii Regum non teneantur tributum ſolvere, &c.* Quam in rem vide quæ reſponſione ad primum Bellarmini argumentum hoc capite contulimus.

Sed revertor ad Bellarminum, qui ſibi ipſi adverſatur dum memorat *verba D. Petri & Pauli nihil aliud ſignificare, quàm omnes homines*

debere ſuis legitimis ſuperioribus ſubditos eſſe, eiſque debitam obedientiam exhibere. Cùm enim ex ſententia eorumdem Apoſtolorum Rex ſit legitimus ſuperior Eccleſiaſticorum in politicis, ſequitur ei neceſſariò ſubjectionem deberi, ſicut concludit Apoſtolus: Ideoque neceſſitate ſubditi eſtote non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Vide caput primum & ſecundum libri ſecundi, ubi diſcrimen ſimplicis obedientiæ atque ſubjectionis aſſignavimus.

Tertiò quòd prætexit probari non poſſe Reges ſæculi eſſe legitimos ſuperiores & judices Clericorum, fruſtratur Lectorem homonymiâ vocis ſuperiores & judices: Si enim de judicio rerum ſpiritualium & purè Eccleſiaſticarum loquatur, annuimus: ſi autem de judicio rerum temporalium & civilium; abſolutè negamus: eſtque ampliſſimè à priori probatum lib. 2. *Nam quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo reddenda, ac ſpiritualia & regularia, Eccleſiaſticis, & temporalia judicibus ſæculi relinquenda ſunt.*

Quartò, ſtatim explicabitur ſimilitudo ovium & Paſtoris; filiorum atque parentum; temporalium & ſpiritualium, quam Bellarminus identidem aggerit.

Quintò, planè eſt ludibrio habere Reges atque Principes, dicere illos eſſe Reges Laicorum & Clericorum; & tamen Clericos à ſolo Pontifice judicari poſſe. Nam Regem poteſtate dirigendi & cogendi per merum imperium privare reſpectu Eccleſiaſticorum, eſt illum habere tantùm Regem æquivocè & ſecundùm nomen, ſicut de homine picto dicitur, ut lib. 2. cap. 1. docuimus. Neque verò putandum regiam dignitatem in eo ſolùm conſiſtere, aut comiter ab Eccleſiaſticis conſervari, ſi Clerus in publicis orationibus preces effundat pro Regibus. Hoc enim perinde eſt ac ſi quis diceret præceptum de honorandis parentibus in eo tantùm conſiſtere, ut liberi pro parentibus preces concipiant, & in aliis neceſſitatibus eis non opitulentur. Omitto præterea in Miſſalibus Romæ editis nomina Regum atque Imperatorum ex canone Miſſæ abraſa fuiſſe, & ſolummodo nominatim fieri mentionem Papæ atque Epiſcoporum: Idque quorſum tendat, aliis eſto judicium.

4. Quartum Bellarmini argumentum infeliciter occupatur in eodem Apoſtoli teſtimonio volvendo & interpolando: ſiquidem cap. 3. adverſus Barclaium ſex rationum momentis genuinum ſenſum hujus textus: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, &c.* Nec non ſententiæ Chryſoſtomi, Auguſtini & aliorum Patrum quos cap.

cap. 2. lib. 2. in aciem explicavimus, declinare nititur: ac primò contendit ex eorumdem Patrum explicatione inferri non poſſe D. Petrum & cæteros Apoſtolos jure ſubjectos fuiſſe politicis poteſtatibus, neque D. Auguſtinum id dicere. Secundò quanquam profeſſio Chriſtianæ Religionis non eximeret Apoſtolos à ſubjectione temporali & civili: tamen principatum Apoſtolicum, qui ſublimior eſt omni principatu, illos exemiſſe. Tertiò perhibet S. Auguſtinum docere ex Apoſtolo Chriſtianos debere ſolummodo obedientiam Principibus, dum imperant cum poteſtate; minimè verò, ſi à principatu excidant. Quartò neque Apoſtolum, neque Auguſtinum, Chryſoſtomum, vel alios quoſcumque Auctores antiquos hunc locum: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, intelligere de ſola temporali poteſtate, ſed etiam de poteſtate Eccleſiaſtica. Quintò tametſi D. Auguſtinus ſeipſum numeret inter eos qui temporalibus poteſtatibus obedire jubentur, nihilominùs ejus rationem non cogere, ut inde colligamus Epiſcopos & Clericos non eſſe abſolutos à ſæculari poteſtate: Cùm tantummodo oſtendat omnes homines legibus & politicis Magiſtratibus egere, ſine quibus hæc vita tranquillè exigi non poteſt. Sextò Eccleſiaſticos hujuſmodi leges obſervare vi rationis & quoad directionem, non quoad vim coactivam.

Quæ ſex rationes potius fugæ quàm pugnæ ſimiles ſunt, atque Bellarminum contra propriam conſcientiam loqui demonſtrant. Ad primam nihil quidem certius atque evidentius quàm Apoſtolum, Baſilium, Chryſoſtomum, Auguſtinum & reliquos Patres docere D. Petrum jure, non de facto tantùm eſſe poteſtatibus politicis ſubditos. Nam præceptum Apoſtoli eſt de omni & per ſe, ut lib. 2. cap. 1. oſtendimus: *Ideoque neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Nam τὸ propter conſcientiam, vinculum & obligationem Legis naturæ, atque inſtinctum & dictamen rectæ rationis indicat; quo vinculo cuncti homines tanquam ad civilem vitam nati, eſſentialiter & naturaliter obſtringuntur ad imperata politica facienda, quæ Legi naturæ & Euangelicæ non repugnant. Quâ de causâ Chryſoſtomus dicit hanc ſubjectionem politicam etiam in Apoſtolis, Clericis & Monachis non evertere pietatem. Et Auguſtinus, regnum Chriſti non impedire dominationem politicam. Cùm igitur gratia perficiat, non deſtruat naturam: & Apoſtoli adeptione Apoſtolatus atque Ordinis Sacerdotalis lege & vinculo naturali conſcientiæ non abſolvantur, ſed magis ac magis con-

conſtringantur, certè erroneum eſt dicere illos non jure, ſed de facto tantùm politicis poteſtatibus ſubditos. Verùm quando Bellarminus ad Patrum ſententiam provocat, certè illorum teſtimonio clarè damnabitur. Chryſoſtomus homilia 14. in caput 13. ad Romanos ſuprà lib. 2. cap. 2. laudatus. *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita ſit, etiamſi Apoſtolus ſis, ſi Euangeliſta, ſi propheta, ſive quiſquis tandem fueris: neque pietatem ſubvertit iſta ſubjectio: & non ſimpliciter dicit Apoſtolus, obediat, ſed ſubjecta ſit, &c.* Auguſtinus ibidem à me expoſitus. *Cùm enim conſtemus ex animâ & corpore, quamdiu in hac vita temporali ſumus, etiam rebus temporalibus ad ſubſidium degendæ hujus vitæ utamur: oportet nos ex eâ parte quæ ad hanc vitam pertinet, ſubditos eſſe poteſtatibus id eſt hominibus res humanas cum aliquo honore adminiſtrantibus.* Quocircà ſi Bellarminus velit efficere ex Auguſtini ſententiâ S. Petrum & reliquos Apoſtolos politicis poteſtatibus non eſſe ſubditos, ante illi probandum incumbit Apoſtolos inſtar Angelorum corporibus caruiſſe, neque rebus temporalibus indiguiſſe. Cæterùm his verbis (*oportet nos ex ea parte quæ ad hanc vitam pertinet, &c.*) Auguſtinus perſpicuè declarat *ſe jure divino & naturali ſubditum ſupremis Principibus, imò etiam omnibus cum aliquo honore adminiſtrantibus:* hoc eſt inferioribus Magiſtratibus, quos Reges & Principes ſupremi aliquo honore & dignitate politicâ participes eſſe voluerunt, unde ita concludit: *Siquis ergo putet, quoniam Chriſtianus eſt, non ſibi exhibendum eſſe honorem debitum eis qui hæc curant, poteſtatibus, in magno errore verſatur.* Et ne quiſquam ejuſmodi ſubjectioni naturali æquivocationibus atque ſubterfugiis illuderet, hæc ab Auguſtino ſunt divinitùs adjuncta: *Quod autem ait Apoſtolus: Ideòque neceſſitate ſubditi eſtote, ad hoc valet, ut intelligamus quia neceſſe eſt propter hanc vitam ſubditos nos eſſe oportere, non reſiſtentes ſi quid illi auferre voluerint, &c. Tamen quoniam dixit: neceſſitate ſubditi eſtote, ne quis non integro animo & purâ dilectione ſubditus fieret hujuſmodi poteſtatibus, addidit dicens, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, id eſt non ſolùm ad iram evadendam, quod poteſt etiam ſimulatè fieri, ſed ut in tua conſcientiâ certus ſis illius dilectione te facere, cui ſubditus fueris juſſu Domini tui.* Quid apertiùs contrà opinionem Bellarmini, qui Eccleſiaſticos Regibus ſolùm de facto tanquam prædonibus ſubditos eſſe comminiſcitur? Et hæc ad primam ejus rationem.

Ad ſecundam: Tametſi principatus Apoſtolicus eminentiâ dignitatis

Digitized by Google

tatis ſublimior ſit omni poteſtate temporali, ſicut cæleſtia terrenis, & ſpiritualia corporalibus præſtant: nihilominùs inde effici non poteſt Apoſtolos à temporali ſubjectione abſolutos fuiſſe: cùm poteſtas ordinaria Apoſtolorum, & D. Petri quanta quanta miniſterialis ſpiritualis fuerit, eo fine inſtituta, ut naturæ & gentium jura ſervaret: quoniam gratia naturam perficit, non deſtruit.

Ad tertiam ſicut fateor D. Auguſtinum docere Chriſtianos debere ſolummodò obedientiam & ſubjectionem Principibus & Regibus, quamdiu cum poteſtate imperant: minimè verò ſi à regio principatu excidant. Ita pernego inſtitutione Legis gratiæ & poteſtatis miniſterialis ſpiritualis, quæ naturam perficit, non deſtruit, Reges excidiſſe à poteſtate, quam ſuper omnes incolas ambitu regni ſui contentos habent, ut eos dirigant & cogant per merum Imperium. Quocirca Bellarminus intentum ſuum non probat, ſed velut probatum elencho à petitione principii ſupponit.

Quartam objectionem ſi ultrò conceſſero; putà & Apoſtolum & antiquos Patres, qui hunc textum commentariis illuſtrarunt (*omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, &c.*) clarè demonſtrare *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ Dei, Deo reddenda eſſe.* Atque Pontifici & Prælatis in ſpiritualibus, & Regi in temporalibus proportionatim & reſpectivè eſſe obediendum juxta cauſas eſſentiales utriusque poteſtatis; nihil inde Bellarminus ad ſuæ opinionis confirmationem conſequetur. Et ita pariter depellitur objectio Benedicti Juſtiniani Jeſuitæ Commentariis in caput 13. ad Romanos perhibentis ſententiam Chryſoſtomi, nihil noſtram cauſam juvare, quia Chryſoſtomus homilia 85. in Matthæum apertè dicit, Diaconum ipſo etiam Imperatore majorem habere auctoritatem. *Non igitur illi ſubeſt*, ait, *niſi quis majorem minori ſubeſſe, quod eſt abſurdiſſimum, arbitretur. Si Dux quiſpiam, ſi Conſul ipſe, ſi qui diademate ornatur indignè adeat, cohibe, & coërce; majorem tu illo habes poteſtatem. Quod igitur hoc loco dicit Chryſoſtomus: Etiamſi Apoſtolus ſit, ſi Euangeliſta, ſi Propheta, &c. Non pugnat cum ſuperioribus: Nam quamvis hæc Pauli diſputatio potiſſimùm inſtituta ſit propter Principes Laicos, tamen ſententia Apoſtoli ampliſſima eſt, & ad omnes omninò poteſtates etiam Eccleſiaſticas refertur;* inquit Juſtinianus nihil cauſam ſuam promovens, cùm id probet quod non eſt poſitum in quæſtione: ſcilicet Diaconum in ſpiritualibus ipſo Imperatore majorem eſſe. Profectò non ſatis poſſum iſtorum hominum frontem mirari, quòd de ſacris Scripturis & Patrum ſententiis ita ludant,

dant, ut ex puro miniſterio dominium & abſolutam monarchiam architectari conentur.

Quinta objectio ſolâ lectione textus Auguſtini propulſatur, ut claret reſponſione ad primam objectionem.

Sexta ſatis ſoluta eſt ſuprà in reſponſione ad ſecundum argumentum Bellarmini. Nam poſtquam homines à ſtatu innocentiæ peccato Adami exciderunt, fruſtrà fuit directio abſque coactione per merum imperium, ſaltem quoad genera ſingulorum.

5. Quintum Bellarmini argumentum occupatur in declinanda S. Pauli appellatione ad Cæſarem: à quo quidem ſe debere judicari liberè confitetur Actorum 25. de qua controverſia quoniam fusè diſputavi lib. 5. cap. 3. defenſionis libelli de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate, plura hîc non dicam.

6. Sextum argumentum Bellarmini naturalibus rationibus incumbit. Nam cap. 28. de Clericis, omnino abſurdum eſſe dicit, ut ovis Paſtorem ſuum quocumque modo judicare præſumat. Quare non ſine magna laude Rufinus lib. 10. hiſtoriæ cap. 2. & B. Gregorius lib. 4. Ep. 75. referunt vocem illam Conſtantini: *Dii eſtis à ſummo Deo conſtituti: æquum non eſt ut homo judicet Deos.* Quam in rem Nicolaus I. Epiſtola 8. ad Michaëlem Imperatorem plura velitatur. Idem quoque Bellarminus cap. 30. ejuſdem libri de Clericis. *Non poteſt*, ait, *ex teſtimoniis Apoſtolorum Petri & Pauli de ſubjectione debita politicis poteſtatibus probari Clericos Principibus ſæculi, vel ipſorum Legibus obtemperare debere, niſi prius probetur Reges ſæculi eſſe legitimos ſuperiores & judices Clericorum: quod certè probari non poterit, niſi probetur oves Paſtoribus, filios parentibus & temporalia ſpiritualibus præeminere.*

Tota hæc collectio arundinea eſt; quoniam ſola ſimilitudine valde diſparatâ nititur: quatuor autem rationum momenta præſertim continet, quibus ſigillatim ſatisdabimus. Et primùm illudit æquivocatione vocis, dum revocat in dubium Reges & Principes eſſe poſſe ſuperiores & judices Eccleſiaſticorum. Nam ut ſuprà oſtendi reſponſione ad 3. argumentum Bellarmini: Reges non poſſunt eſſe ſuperiores & judices Eccleſiaſticorum in rebus purè ſpiritualibus & regularibus, ſed tantùm in civilibus & temporalibus.

Secundò ovium, id eſt brutorum animantium cum ſuo paſtore, atque Principum politicorum cum Eccleſiaſticis comparatio planè diſcordat: quia oves ſolius ſubjectionis, & nullius activæ directionis ſunt

Digitized by Google

ſunt capaces. Contrà politicæ poteſtates ſunt immediatè à Deo inſtitutæ,ut cunctos cives ambitu Reipublicæ contentos per merum imperium dirigant & cogant quando res poſtulat, quoniam alia ratione pax & tranquillitas publica ſervari nequit.

Tertiò quotuſquiſque eſt tam rerum humanarum expers, ut ignoret ſæpe filium parenti ſuo præfuiſſe in rebus politicis, ſicut olim Conſul aut Dictator Romanus, ut populi Romani Majeſtatem tueretur, parenti ſuo per Apparitorem imperabat, ut de via cederet: Et ne tam obſoleta quæramus: experimur quotidie Procuratores Parlamenti qui filios habent Conſiliarios, genu flexo, & capite aperto ab illis jus poſtulare.

IX. Quartò de Controverſiis quas Epiſcopi ad Conſtantinum detulerunt, ego quæro ab adverſariis dilucidè & ſine ulla cavillatione reſpondeant, utrum ejuſmodi controverſiæ eſſent fori merè Eccleſiaſtici, an mixti, vel neutrius? Si primi generis extiterunt, conſurgit Epiſcopos qui eas ad forum civile detulerunt, graviter peccaſſe, atque inſcios fuiſſe dignitatis atque officii Epiſcopalis. Quòd ſi dicant fori mixti fuiſſe. Ergo relinquitur Epiſcopos qui eas detulerunt ad Conſtantinum, cognoviſſe Principem politicum legitimè de illis poſſe ſtatuere, conſequenterque Imperatorem hac in parte legitimum extitiſſe Judicem Eccleſiaſticorum. At reponunt Conſtantinum earumdem cognitionem repudiaſſe. Oppono hoc ad quæſtionem facti ſpectare, & ut ait Joannes Major poſt Joannem Pariſienſem ex factis Principum quæ à ſingulari devotione, non à debito jure manant, fruſtrà atque imperitè trahi argumenta; procul dubio mirabile eſt Scriptores Romanos quæcumque à Principibus politicis aut aliis obiter oratoriè & œconomicè aliquando in gratiam Papæ aut Eccleſiaſticorum uſurpantur, illa tam avidè rapere & detrudere ad ſuum privatum commodum atque dominatum: Contra autem ipſa Chriſti & Apoſtolorum evidentiſſima & certiſſima oracula; atque Patrum antiquorum teſtimonia poteſtatem politicam ſuper Eccleſiaſticos clariſſimè ſtabilientia, ludibrio habere, atque ſophiſticis quiſquiliis & fabulis contra jus divinum & naturale implicare ac detorquere, ut ſuam abſolutam monarchiam in temporalibus & ſpiritualibus ferruminent: cujus rei illos die illâ terribili Domini rationem reddituros certò ſcio, videturque Apoſtolos ad hæc falſa documenta reſpexiſſe, cum diſcipulum Timotheum cap. 4. poſterioris Epiſtolæ tam ſollicitè admonet, ut verbum Dei prædicet. *Prædica verbum, inſta opportunè;*

Digitized by Google

importunè, argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina: Erit enim tempus cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Quæ profectò Curiæ Romanæ imaginem in abſoluta infallibili monarchia conſtituenda nobis accuratè exhibent. Quas enim fabulas contra ſcripturam non commentantur? Verùm illa vox eximia Conſtantini quamquam in ſpeciem laudet, tamen multùm habet diaſyrtici, eſtque magno affinis vituperio. Quaſi diceret, cùm inſtar Dei Eccleſiaſtici impeccabiles eſſe debeant, quid me ad diſſidia veſtra placanda interpellatis? Voſque planè homines oſtenditis? Qùod ſi Bellarmini ratio obtineat, ſcilicet Eccleſiaſticos quos Conſtantinus Deos appellavit, à nemine judicari poſſe, quia indignum eſt Deum ab homine judicari. A pari & à fortiori ſequetur judices, quos Scriptura Deos vocat Pſal. 81. *Deus ſtetit in Synagoga Deorum, &c.* à nemine poſſe etiam judicari. Cæterùm ut ad Conſtantinum revertar: ſi ejus dicto Epiſcopi fuiſſent minùs audientes, herclè nullo verſor in dubio, quin tandem Conſtantinus jure & legitimè de illorum jurgiis cognoviſſet: quam in rem vide cap. 3. lib. 5. defenſionis libelli de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate.

X. 7. Septimum argumentum ducitur à Conciliis quæ Bellarminus ſtudioſè recenſet cap. 28. de Clericis, & cap. 34. adversùs Barclaium ſub finem utriuſque capitis. Item multò adhuc ſtudioſiùs Suares lib. 4. defenſionis ſuæ fidei cap. 8. à ſectione decima *canone Relatum* 11. *quæſtione* 1. *qui canon eſt Alexandri I. Papæ. Item cap. Nimis de Jurejurando ſtatutum ab Innocentio III. in Synodo Lateranenſi. Item cap. Quamquam de Cenſibus in 6. Statuens Eccleſias & Eccleſiaſticas perſonas, ac res ipſarum non ſolùm jure humano, quin imò & divino à ſæcularium perſonarum exactionibus eſſe immunes.* Et ſeſſione 31. Concilii Conſtantienſis edicitur *Laicos nullam in Clericos juriſdictionem aut poteſtatem habere.* Et in Synodo Lateranenſi ſub Leone X. Seſſione 9. in Bulla reformationis Curiæ legitur *quod jure tam divino quàm humano Laicis poteſtas nulla in Eccleſiaſticas perſonas attributa ſit, &c.* Et ſeſſione 25. Tridentini Concilii cap. 20. de reformatione dicitur *Eccleſiæ & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem Dei ordinatione & canonicis ſanctionibus eſſe inſtitutam.* Unde Bellarminus cap. 28. de Clericis notanter ait obſervandum *Concilium Tridentinum non uti vocibus juris divini & humani, quæ poſſent trahi ad ſignificandum, jus canonicum & civile, ſed dice-*

Digitized by Google

dicere ordinatione divinâ & Eccleſiaſticis ſanctionibus immunitatem Eccleſiæ & perſonarum Eccleſiaſticarum fuiſſe inſtitutam.

Quibus argumentis omnibuſque aliis quæ à Conciliorum & Pontificum auctoritate duci poſſunt, facilè ſatisfit, poſitâ diſtinctione immunitatum Eccleſiaſticarum ſuperiùs initio hujus capitis aſſignatâ; nimirùm quòd ſint in duplici genere: aliæ quidem divini & naturalis: aliæ verò juris purè humani & poſitivi, quarum illæ ſunt indiſpenſabiles, atque neceſſariò ſequuntur perſonas & bona Eccleſiaſticorum ad decentem ſtatum Ordinis Eccleſiaſtici neceſſaria. Itaque omnes Canones, Concilia, & Patres juxta hanc diſtinctionem ſunt interpretandi. Neque locus Synodi Conſtantienſis quicquam habet difficultatis: ſiquidem Patres loquuntur de exemptionibus & privilegiis Clericorum, quibus Eccleſiaſtici à tempore immemorabili Principum Chriſtianorum indulgentiâ in caſibus ordinariis perfruuntur. Caſus autem qui privilegiati vocantur, cujuſmodi ſunt crimina læſæ Majeſtatis, homicidia, inceſtus, &c. alterius ſunt generis atque forum civile ſequuntur. Attexo præterea quæ in Synodo Conſtantienſi dicuntur, hiſtoricè referri, non Synodicè & canonicè decerni: atque Comitem Aſtenſem in quem latum eſt Conſtantienſe decretum, nullâ formâ, vel juſtitiæ ordine ſervato violentas manus in ſuum Epiſcopum injeciſſe, cùm ex Synodo Conſtantienſi domum reverteretur, idque in caſu minimè privilegiato, & cum magna Synodi Conſtantienſis injuria. Unde meritò Patres Conſtantienſes hîc reclamant & vindicant privilegia Eccleſiaſtica quæ naturali æquitate fulciuntur. Poſſem certè ſingulis canonibus & capitibus Decretalium à Suare allatis reſpondere. Sed mihi hæc generalis reſponſio ſufficit; ita ut numquam Principibus politicis ſeſe immiſcere liceat Eccleſiaſticorum immunitatibus turbandis aut imminuendis, ſi præſertim juris ſunt purè divini, aut naturali æquitate nituntur.

8. Octavò Bellarminus initio capitis 28. de Clericis memorat Severum Sulpitium lib. 2. ſacræ hiſtoriæ referre Sanctum Martinum aliquando exclamaſſe, *Novum eſſe atque inauditum nefas, ut cauſam Eccleſiæ Judex ſæculi judicaret.* Atque Sanctum Ambroſium in Epiſtola 78. ad Theophilum: & D. Auguſtinum Epiſtolâ 162. ad Glorium & Eleuſium Grammaticos, graviter illos reprehendere qui cauſas Eccleſiæ terrenis Magiſtratibus judicandas exponunt. Verùm reſpondeo ejuſmodi locos nihil penitus ad præſentem controverſiam

de immunitatibus Eccleſiaſticorum ſpectare ac teſtimonio eſſe illos, qui tam longè petitis probationibus utuntur, bonam cauſam perdere, & maximè indigere validis argumentis. Primùm auſculta Lector, verbis Severi Sulpitii ad calcem libri ſecundi. *Martinus apud Treveros conſtitutus ait: Non deſinebat increpare Ithacium, ut ab accuſatione Priſcillianiſtarum deſiſteret, Maximum Imperatorem orare ut ſanguine infelicium abſtineret: Satis ſuperque ſufficere ut Epiſcopali ſententiâ hæretici judicati Eccleſiis pellerentur: Novum eſſe & inauditum nefas, ut cauſam Eccleſiæ Judex ſæculi judicaret.*

Quibus verbis S. Martinus auctor eſt hæreſim tanquam Eccleſiæ cauſam non debere ad judicem ſæculi deferri, & ſatis eſſe ſi Epiſcopali ſententiâ hæretici judicati pellantur Eccleſiis: quoniam, ut ſuprà docuimus Eccleſia jure divino in ratione coërcitionis nihil habet ultra excommunicationem quod faciat. Quæ ſententia multò magis cauſæ Bellarmini officit, quàm favet.

Secundò, locus Ambroſii diſſidium attingit Antiocheni Epiſcopatus, quod inter Flavianum atque Evagrium fervebat. Etenim Sancto Meletio Antiocheno vitâ functo cùm Flavianus & Paulinus Epiſcopatum Antiochenum adminiſtrarent, atque Paulinus morti affinis contra canones ſolus Evagrium ſibi ſucceſſorem ordinaſſet, hicque ab Orientalibus Epiſcopis eam ob cauſam velut intruſus repudiaretur: & nihilominus Occidentales Epiſcopi Evagrium approbarent, atque Flaviano mirum in modum ſuccenſerent, & Theodoſio Magno objicerent, quòd tyrannidem Flaviani propugnaret: hac de cauſa Theodoſius cùm Flavianum accerſiſſet, eique imperaſſet ut Romam proficiſceretur, Flavianus ſic Cæſarem affatus eſt: *Si qui ô Imperator me ut fidem minimè ſinceram aut ſanam profitentem inſimulent, dicantve vitam me traducere indignam Sacerdotio, cùm illis ipſis judicibus utar, tum pronunciatam ab eis lubens ſubibo ſententiam: ſin autem de ſede & præſulatu digladientur, neque agam cum illis judicio, neque his quos eam dignitatem adipiſcendi ſtudium tenet, adverſabor, ſed cedam equidem volens, meque ipſe Præſulatu abdicabo. Quare tu, cui libitum eſt, Sedem Antiochenam tribuito. At verò Imperator Flaviani magnitudinem animi & ſapientiam magnopere admiratus, in patriam reverti, & Eccleſiam ſibi commiſſam ſedulò paſcere jubet: ac Romam adventans hortatur Occidentales Epiſcopos, uti deinceps concordiam in Eccleſia conſtituant, dirimant lites, & inanis contentionis flammam extinguant. Nam Paulinum jam pridem è vita exceſſiſſe, & Evagrium contra leges Eccleſiæ deſignatum fuiſſe Epiſcopum:*

Digitized by Google

pum: quin etiam omnes Eccleſias Orientis Flaviano Præſuli adhæreſcere, &c. Huic hortationi obſequuti Epiſcopi Occidentis promittunt ſe ſimultatem depoſituros, & Legatos qui à Flaviano mitterentur, admiſſuros. Lege Theodoreti hiſtoriam lib. 5. cap. 23. & nota Flavianum & Evagrium fuiſſe orthodoxos, quodque Epiſcopi Occidentales pollicentur ſe Legatos Flaviani admiſſuros capi oportere de illo ritu inter Sedes patriarchales uſitato: quo poſt ſuam conſecrationem Epiſcopi ad communionem Sanctorum conſtituendam ſibi invicem Legatos cum litteris communicatoriis ſpecimen ſuæ fidei continentibus mittere ſolebant, ut aliâs pluribus oſtendi. Cæterùm S. Ambroſius Epiſtolâ ad Theophilum cùm pertimeſceret ne Cæſar ad cauſam Flaviani dirimendam conventum Epiſcoporum cogeret in Oriente, & Epiſcopos Occidentis illuc ſeſe conferre adigeret, exclamat: *Fruſtrà ergo tantorum Sacerdotum fuſus labor; iterum ad reſcripta Imperatorum videlicet; iterum vexabuntur Sacerdotes, ſenes transfretabunt maria: Iterum invalidi corpore patriam peregrino mutabunt ſolo, &c.* Porrò Ambroſius Reſcripta & Judicium Theodoſii velut illegitima non repudiat, quaſi non eſſet judex legitimus in externa diſciplina Eccleſiæ ſancienda: ſed ei tantùm dolet laborem eâ in re multoties à Sacerdotibus ſuſceptum effectu carere: timetque ne iterum Epiſcopi gregem & ſedem deſerere, atque in Orientem proficiſci cogantur. Et hinc illius gemitus & querelæ, quæ ſimiliter cauſa fuit ut Flavianus ultrò Epiſcopatu Antiocheno ſeſe abdicare quàm Romam proficiſci, & tam longi ac moleſti itineris laborem ſuſtinere maluerit.

Tertiò S. Auguſtinus Epiſtolâ ad Glorium & Eluſium laudatâ à Bellarmino reprehendit Donatiſtas, quòd à Galliæ Epiſcopis & Papa Melchiade damnati in cauſa Cæciliani Carthaginenſis Epiſcopi, nihilominus ad Conſtantinum Magnum provocaſſent, à quo etiam condemnati ſunt. Et authore Optato Milevitano libro primo hiſtoriæ: Ipſemet Conſtantinus graviter hanc Donatiſtarum provocationem tulit, atque exclamavit: *ô rabida furoris audacia, ſicut in cauſis gentilium fieri ſolet appellationem interpoſuerunt.* Vide librum primum hiſtoriæ noſtræ Conciliorum generalium cap. 6. numero 12.

Et hæc ſumma eſt omnium argumentorum Bellarmini, Suaris, & Scriptorum Curiæ Romanæ quibus articulos Bullæ Cœnæ Domini de Eccleſiaſticorum immunitatibus fulcire nituntur. Verùm illis tantùm debemus fidei, quantùm juri divino & naturali conformia ſunt: quæ regula eſt Catholica, certiſſima, quâ non modò hominum,

verùm

Digitized by Google

verùm etiam Angelorum, ſi quæ proponantur dogmata exigere & expendere debemus. Magiſter Jacobus Almainus cùm obſervaret illos magnam invidiæ molem ſibi conſciſcere apud Eccleſiaſticos, qui quæ vera putarent de Eccleſiaſticorum immunitatibus & poteſtate Regum in externa diſciplina Eccleſiæ aſſerenda ſcriberent; ut hanc invidiæ tempeſtatem à ſe averteret, *in diſputatione reſumptiva perhibet quæcumque ſcripſit in hac materia non aſſertivè, ſed inquirendæ veritatis & conferentiæ deſiderio propoſuiſſe.* Verumtamen hanc collationem ſic inſtituit, ut ſemper argumenta negantia multò validiora & locupletiora affirmantibus argumentis exhibeat. Conſule ejuſdem tractatum de poteſtate Eccleſiaſtica & Laica quæſt. 2. cap. 7. ubi hanc defigit concluſionem. *Cùm Papa ſubdatur Imperatori quantùm ad temporalia, antequam eligatur: Ipſo electo ſaltem ex jure divino non liberabitur ab illa ſervitute & ſubjectione: Ideo Imperator quantùm ad temporalia, eſt judex ſupremus ſummi Pontificis.* Ratio quâ nititur Almainus eſt, *quòd jus divinum nullum liberet à ſervitute politica & temporali: unuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat. Servus vocatus eſt, non ſit tibi curæ; ſed ſi potes fieri liber, magis utere.* 1. Corinth. 7. Quod Pauli oraculum demonſtrat jura naturæ & gentium non abrogari aut impediri per gratiæ legem: unde Chriſtus, *ſe non veniſſe ut legem ſolveret, ſed adimpleret* pronuntiat Matthæi 5.

LIBER QUARTUS.

Caput. I.

I. *De Inveſtituris, & quidnam ſint?*

II. *Totam Juriſdictionem Eccleſiaſticam manare à Sacerdotio Chriſti tanquam à cauſa efficiente, & poſſe conſiderari formaliter aut materialiter; ac priori modo conferri per Sacros Ordines: poſteriori, per Sacras Electiones aut Collationes tituli.*

III. *De activa & paſſiva electione Prælatorum, & quibuſnam hæc competat.*

IV. *Cùm Paſtores ſint tanquam Lex animata Eccleſiæ, illos quidem officium ſuum abſque conſenſu populi exercere repugnat, ut plurium graviſſimorum auctorum teſtimonio & praxi Eccleſiæ probatur.*

V. *Quare jus quod populus habebat in electionibus, tandem lege regiâ tranſlatum ſit in Reges & Principes ſupremos: Et de praxi Eccleſiæ in eam rem.*

VI. *Olim Pontifices Romani abſque Imperatorum conſenſu minimè legebantur.*

VII. *S. Gregorius de arrogantia Maximi Salonitani Epiſcopi conqueritur, eo quòd contra canones Epiſcopatum ſortitus ſit.*

VIII. *De Cathedratico, quòd Pontifices ſtatim poſt ſuam electionem Imperatoribus dependere ſolebant.*

IX. *Sub prima ſtirpe Regum Franciæ Epiſcopi abſque regio conſenſu non cooptabantur.*

X. *De iure eligendi Romanum Pontificem Galliæ Regibus conceſſo ab Adriano I.*

Quòd

Digitized by Google

Quòd non ſit aliquod jus novum, ſed potius continuatio & declaratio juris antiqui.

XI. *Reges quadruplici titulo poſſe ad Prælatorum electionem intervenire.*

XII. *Nominationes atque Inveſtituras Principum, quando ortum habuerant ab Eccleſiæ conſenſu & inſtitutione, nullo modo dici poſſe hæreſim redolere.*

XIII. *Ivo Carnotenſis primus laudavit canonem, Adrianus, & can. in Synodo diſt. 63. unde Gratianus illos ab Ivonis Pannonia, non à Sigeberto mutuatus eſt.*

XIV. *Ejuſdem Ivonis ſententia de Inveſtituris Epiſtolâ ad Hugonem Archiepiſcopum Lugdunenſem Gregorii VII. fiduciarium, & Urbani II. Legatum.*

XV. *Quidnam ſit Inveſtitura corporalis Ivoni Carnotenſi?*

XVI. *Goffridi Abbatis Vindocinenſis Cardinalis R. E. Sententia de Inveſtituris enucleatur.*

XVII. *De Sigeberti narratione ſuper Inveſtituris, quam Aubertus Miræus, ut curiæ Romanæ gratiam aucuparetur, ex ſua editione nupera, malâ fide expunxit.*

XVIII. *Onuphrii ſententia de Inveſtituris, & Privilegio Galliarum Regibus indulto ab Adriano I. & undenam tantæ opes Eccleſiis accreverunt.*

XIX. *Imperatorem voluiſſe jus Inveſtiturarum ejurare, modò Eccleſia Imperio Regalia quæ ab illo habuerat reſtitueret.*

XX. *Othonis Friſingenſis, & Cardinalis Cuſani lugubres querelæ de Clericorum ingratitudine adverſus Imperatores.*

XXI. *Formam eligendorum Prælatorum canonibus Nicænis conſecratam à Gregorio VII. immutatam fuiſſe.*

XXII. *De Bonifacii VIII. & Philippi Pulchri diſſidio ſuper beneficiorum & regalium Collatione; & quonam jure Laici beneficia conferre poſſint.*

XXIII. *Summa totius capitis, & jus conferendi ac concedendi beneficia & regalia multis titulis Galliæ Regibus competere, ſecluſis etiam Concordatis Bononienſibus.*

I. QUando Gregorius VII. omnium primus auctor extitit doctrinæ Regum Abdicandorum (Illo enim antiquiorem proferre non potuit Bellarminus lib. contra Barclaium in præfatione) ut ex rei veritate atque internis cauſis de Gregorii VII. geſtis feratur judicium, ante omnia de jure vel injuria Inveſtiturarum quæ Gregorio Hildebrando cauſam abdicandi Henricum IV. Imperatorem præbuerunt, diſputandum, atque ante omnia ſeptem nobis explicanda veniunt. Primùm, quid ſit Inveſtitura: *nempe conceſſio tituli Epiſcopalis aut alterius prælaturæ facta à Principe laico per annuli aut pedi Epiſcopalis collationem, vel alio quodam ritu & ſigno externo viſibili.* Cæterùm poſtquam aliquis ſic à Principe, Epiſcopali vel Abbatiali titulo fuerat inveſtitus, tum Epiſcopus conſecrabatur, atque in realem poſſeſſionem mittebatur.

II. Secundò notandum à Chriſti Sacerdotio communicato Eccleſiæ tanquam à cauſa efficiente phyſica, cunctam juriſdictionem Eccleſiaſticam tum in interiore cùm in exteriore foro manare, ut pluri-

bus docui in defenſione Libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate. Tertiò Juriſdictionem Eccleſiaſticam duobus modis poſſe conſiderari & conferri: putà intenſivè, objectivè, formaliter & quoad habitum. Deinde extenſivè, ſubjectivè, materialiter & quoad actum vel exercitium. Quartò Juriſdictionem formaliter & quoad habitum conferri per Sacros Ordines: ita ut Epiſcopo & Presbytero unà cum Epiſcopali & Sacerdotali Ordine poteſtas & facultas regendi populum Chriſtianum, remittendi atque retinendi peccata, excommunicandi, Leges condendi, formaliter inquam, & quoad potentiam & habitum proportionatim deferatur. Quintò Juriſdictionem materialiter quoad actum & exercitium Epiſcopo atque Presbytero tum deferri, cum illis titulus, materia ſeu populus gubernandus datur.

III. Sextò hanc materiæ & tituli attributionem & conceſſionem ſecundùm canones & praxim Eccleſiæ primitivæ dari ſolitam per activam & paſſivam electionem. Activam voco Electionem, facultatem legendi idoneum paſtorem, quæ facultas hierarchico Ordini peculiaris & propria eſt, ſicut facultas excommunicandi verbi causâ, quam tamen Epiſcopi & Papa ipſe poſſunt Laicis per diſpenſationem communicare. Nam Chriſtus hierarchico Ordini, cui Sacerdotium ſuum credidit, unà dedit poteſtatem activè eligendi atque examinandi perſonas idoneas quibus Sacerdotium ſuum communicaretur; ideoque hæc facultas eſt juris divini, diſpenſabilis tamen & communicabilis per vicariatum & commiſſionem, ut de facultate excommunicandi diximus. Quare compertum eſt in Eccleſiæ utilitatem, vel propter alias juſtas & laudabiles cauſas Ordinem hierarchicum ſæpè Chriſtianis Principibus & Laicis perſonis feciſſe poteſtatem activè eligendi paſtores, ſolâ ſibi retentâ facultate ordinandi & conſecrandi Epiſcopos vel Presbyteros, quia hæc juris eſt divini planè indiſpenſabilis atque invariabilis. Hinc ergò claret quoddam eſſe jus divinum & naturale variabile atque diſpenſabile. Et hactenus de activa electione. Paſſiva autem & ſubjectiva electio eſt populi conſenſus activas electiones Cleri approbantis, ac ſeſe electo Paſtori ſpontè & liberè ſubjicientis: quæ libera ſubjectio & conſenſus populi juris eſt divini & naturalis planè indiſpenſabilis; adeò ut in Paſtorum electione oporteat conſenſum liberum populi explicitè aut implicitè, verè aut interpretativè ſecundùm canones intervenire. Quamobrem ſicut nemo poteſt Ordinem hierarchicum jure conſecrandi Epiſcopos & Sacerdotes, aut etiam jure activè eligendi Paſtores idoneos abſolutè

tè privare: ita nec etiam Ordo hierarchicus jure poteſt populum paſſivâ electione aut jure conſentiendi ſpoliare. Septimò ex doctrina & traditione Apoſtolica Clerus & populus ſuo quiſque modo & captu proportionatim & reſpectivè ad electiones concurrebat: Cujus rei cauſa à lege gratiæ petitur, quæ verè regia eſt & perfectæ libertatis, omnium legum atque inſtitutorum mitiſſima, ſuaviſſima, & naturæ ac libertati hominum maximè conformis.

IV. Quòd ſi in rebus naturalibus forma numquam niſi in materiam egregiè ſubactam & diſpoſitam introducitur, quantò magis in agentibus liberis, & præſertim in lege Euangelica, cùm Religio Chriſtiana & Communio Sanctorum doceri atque ſuaderi; non cogi, aut auſterè & abſolutè imperari poſſit. Quocirca ſi Eccleſiaſtici invitis & repugnantibus Chriſtianis, quos debent liberè ſuaviterque erudire, legem dare nequeunt (Leges enim non obligant niſi recipiantur) quantò magis abſurdum invitis atque repugnantibus populis Paſtores conſecrare, cùm Paſtor ſit tanquam lex animata Eccleſiæ. Ut enim ait Durandus 4. Sententiarum diſtinct. 19. quæſt. 2. circa medium: *Sacerdos magis eſt judex arbitrarius de voluntate partium aſſumptus, quàm habens de ſe jurisdictionem ſuper partes, eis invitis, vel alterâ earum invitâ.* Et Cancellarius Pariſienſis de poteſtate Eccleſiaſticâ conſideratione 5. *Videre eſt igitur*, ait, *quemadmodum poteſtas hæc Eccleſiaſtica juriſdictionem quamdam exigit, cui convenit quod libra ſit & ſpontanea verè vel interpretativè circa perſonam in qua exercetur hæc jurisdictio, aut ſaltem quòd non feratur in invitum. Quis enim diceret quod aliquis invitus vel baptizatur vel confirmatur, vel abſolvitur in foro conſcientiæ, vel ordinatur, & ita de aliis reliquis.* Cardinalis Cuſanus libro 2. de concordia cap. 32. probat *unum corpus ſpirituale conſtitui ex Epiſcopo & plebe, ideoque conſenſum neceſſarium videri ſicut in carnali matrimonio, atque inter Epiſcopum & Eccleſiam eſſe matrimonium. 3. quæſt. 1. can. audivimus. Et ratio hujus eſt*, inquit, *quoniam conſenſus eſt de eſſentia matrimonii.* Proculdubio in Eccleſia primitiva, cum populus aleret Sacerdotes, nullum erat dubium de hac poteſtate paſſiva populi ad eligendum Paſtorem: ſed poſtea fundatis atque opibus populi & Principum locupletatis Eccleſiis ambitio Paſtorum crevit, reſque immutata eſt. Multa de ſacris & canonicis electionibus diſputavi libro 2. defenſionis libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate cap. 7. à numero 7. quarum hîc aliqua operæ pretium eſt commemorare. Nam Actorum 1. & 6. Sicut Clerus activè deligit: ita populus Chri-

ſtianus ſuo conſenſu libero ſe electo Paſtori regendum ſubmittit: hæcque omnium optimè Cyprianus enucleat Epiſtolâ 52. ad Antonianum, ubi oſtendit Cornelium, non Novatum eſſe legitimum Epiſcopum Romanum: quoniam *ille, non iſte de Clericorum penè omnium teſtimonio, de plebis quæ tunc adfuit, ſuffragio, & de Sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio electus fuiſſet.* Item Epiſtolâ 68. *Quando plebs ipſa maximè habeat poteſtatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recuſandi, quod & ipſum videmus de divina auctoritate deſcendere, ut Sacerdos plebe præſente ſub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio atque teſtimonio comprobetur, &c. Coram omni Synagogâ jubet Deus conſtitui Sacerdotem: id eſt inſtruit & oſtendit ordinationes Sacerdotales nonniſi ſub populi aſſiſtentis conſcientiâ fieri oportere, ut plebe præſente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & ſic ordinatio juſta & legitima quæ omnium ſuffragio & judicio fuerit examinata.* Et aliquantò pòſt: *Epiſcopus deligatur plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſimè novit, & uniuſcujuſque actum de ejus converſatione perſpexit, &c.* Quam in rem lege defenſionem libelli de Eccleſiaſticâ & Politicâ poteſtate jam laudatum cap. 7. numero 14. ubi obſervavi Canone 4. & 6. Nicæni Concilii non omnia quæ ſunt neceſſaria ad Sacras electiones recenſeri; ſed tanquam notius atque uſitatius prætermitti, Clerum cum populo ſolitum admitti ad electiones, ſicut antea ab Apoſtolorum temporibus admiſſus ſemper fuerat. Id autem Patres Nicæni ſilentio obruerunt, quia ubique conſtanter ſervaretur, nec à quoquam tunc verteretur in dubium. Equidem populum numquam ab electione Paſtorum excluſum innumeri Canones qui poſt Synodum Nicænam conditi ſunt, perſpicuè declarant, quorum multos leges diſtinct. 62. canone *nulla ratio ſinit ut inter Epiſcopos habeantur qui nec à Clericis ſunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à Provincialibus Epiſcopis cum Metropolitani judicio conſecrati.* Quæ regula eſt Leonis Magni qui Epiſtolâ 89. ad Epiſcopos Viennenſis Provinciæ hæc inculcat: *Expectentur vota civium, teſtimonia populorum, quæratur honoratorum arbitrium, Electio Clericorum quæ in Sacerdotum ſolent ordinationibus ab his qui norunt Patrum regulas cuſtodiri.* Item aliquantò pòſt: *Teneatur ſubſcriptio Clericorum, honoratorum teſtimonium, Ordinis conſenſus & plebis. Qui præfuturus eſt omnibus, ab omnibus eligatur. Adde totam diſt. 63. can. noſſe §. Sacerdotum quippe eſt electio, & fidelis populi conſenſus adhibendus eſt, quia docendus eſt populus, non ſequendus.*

Item

Digitized by Google

Item *can. Epiſcopos can. Cleri. can. vota civium. can. ſacrorum. can. ſi fortè* §. *nullus invitis & non petentibus ordinetur, ne civitas Epiſcopum non optatum aut contemnat, aut oderit, ait Leo Magnus. Cui enim debet ab omnibus obediri, utique & ab omnibus debet eligi, ut refert Hincmarus Rhemenſis Epiſtolâ ad Ludovicum Balbum. Et diſt.* 68. *can. de perſona autem conſecrandi, & de Cleri plebiſque conſenſu Metropolitanus Epiſcopus referat. Herclè ſemper mos fuit Epiſcopos omnium qui paſcendi erant, conſenſu adoptari:* Ut Patres Calcedonenſes actione undecimâ ſub finem loquuntur. Cardinalis Cuſanus lib. 2. de concordantia Catholica profuſus eſt in hac doctrina, & diſciplina Apoſtolica firmanda atque illuſtranda. Et primùm cap. 14. *Cùm naturâ omnes ſint liberi, tunc omnis Principatus ſive conſiſtat in lege ſcriptâ ſive vivâ apud Principem per quem coërcentur à malis ſubditi, & eorum regulatur libertas ad bonum metu pœnarum, eſt à ſola concordantia & conſenſu ſubjectivo. Nam ſi naturâ æquè potentes & æquè liberi homines ſunt, vera & ordinata poteſtas unius communis æquè potentis naturaliter non niſi electione & conſenſu conſtituitur* 2. *diſtinct. can. lex, & octavâ diſtinct. cap. quæ contrà.* Item cap. 34. versùs finem: *Ex ſubjectorum electione & conſenſu radicatur ſuperioris poteſtas ſuo modo coactiva in eos qui primò erant liberi, eligendo ſuper ſe præſidem, ſe ei ſubjiciunt, &c.* Unde quamquam *poteſtas deſursùm ſit, ſive coactiva, ſive œconomica, regulativa, ordinativa.* tamen ad hoc ut ipſa extrinſecè in actum prorumpere poſſit, *homines Chriſtianos liberos regulando vel regendo, tunc recta regula prærequirit ſubjectionem liberam eorum; cum ipſi ex lege fidei Chriſtianæ & naturali jure non arctentur extra terminos libertatis.* Ibidem cap. 19. præſentem quæſtionem ſic in propriis terminis explicat: *Sicut Sacerdotium eſt ut anima una in Eccleſia militante: anima autem ſecundùm ejus motivam & ſenſitivam partem conſiderata educitur de potentia materiæ: ſecundùm autem rationalem ejus partem conſiderata, à Deo eſt: ſic Sacerdotium capit ab inferiori populo fidelium illam præſidentialem motivam, vegetativam & ſenſitivam poteſtatem, quæ poteſtas exit de potentia materiæ ſubditorum per voluntariam ſubjectionem: à Deo autem per Sacramenta capit poteſtatem rationalis animæ, quæ deſursùm venit, ut ſic poſſit in duplici concordia ſuperna poteſtas per medium elicita & tradita poteſtatis influere in corpus ſubjectorum, quæ ad ſalutarem unionem cum Chriſto capite perficiuntur.* Huc uſque Cuſanus apertè demonſtrans maximè inter Chriſtianos & præſertim in Eccleſia principatum quoad vim coactivam aut coërcitivam omnino ab hominum conſenſu pendere.

Digitized by Google

Cæterùm qui ad hæc cogitatè attenderit, atque inter activam & paſſivam Electionem diſcrimen neceſſarium, ut natura rei deſiderat, poſuerit, expeditè omnibus argumentis contra populi electiones & inveſtituras ſatisfaciet, rectumque uſum ab abuſu facilè ſecernet.

V. Porrò cum temporis progreſſu, ſtudia, prenſationes ac turbæ fervere cæpiſſent in Clero & populo: tum demum jus populi Chriſtiani meritò ad Reges, Principes & Magiſtratus politicos Chriſtianos ſenſim devolutum eſt. Quare Theodoretus lib. 4. hiſtoriæ cap. 5. & 6. memorat Auxentio Ariano Epiſcopo Mediolanenſi mortuo, Valentinianum Imperatorem ad ſe Epiſcopos orthodoxos totius provinciæ accerſiviſſe, ſicque illos affatum eſſe: *Hominem ita inſtructum in ſede & gradu Epiſcopali jam collocate: uti & nos à quibus gubernatur Imperium, ei verè & ex animo capita inclinemus, & illius reprehenſionem (nam cùm ſimus homines, errore labi neceſſe eſt) velut medicinam animarum cupidè amplexemur.* Hæc Imperator, *quem Clerus obnixè rogavit, ut ipſe ſapientiæ & pietatis inſignibus præclarè exornatus Epiſcopum deligeret.* Sicque jus ſuum activè eligendi in Imperatorem tranſtulit: *Qui reſpondit: Major eſt hæc Provincia quàm quæ viribus noſtris ſuſtineri poſſit.* Tandem ſeditione quæ inter populum exarſerat, pacatâ, *uno ore populus Ambroſium licèt cathecumenum depoſcit, & evexit ad Epiſcopatum.* Lege can. Valentinianus diſtinct. 63. Hîcque dignum obſervatu Sanctiſſimos illius ævi Epiſcopos non exiſtimaſſe incongruum, vel contra canones, ſi illum ipſum in Epiſcopum conſecrarent, quem Valentinianus Auguſtus activè delegiſſet, & quaſi titulo Epiſcopali inveſtiſſet. Idem Theodoretus libro 4. cap. 9. ait Nectarium virum Senatorium quamquam laicum, tamen præſente Theodoſio Magno electum in Concilio Conſtantinopolitano Epiſcopum Conſtantinopolitanum; atque voto Principis & populi datum, ut vir laicus eximiæ probitatis legeretur hiſtorici narrant. Eodem pariter libro 5. cap. 27. Theodoretus refert Arcadium Theodoſii Magni Filium Divi Chryſoſtomi electionem auctoraſſe. Et Socrates libro 7. cap. 39. Theodoſium Juniorem ad vitandum tumultum, dum Maximiani corpus adhuc inſepultum jaceret, per Epiſcopos qui Conſtantinopoli aderant, curaviſſe Proclum in ſede Epiſcopali collocandum omni abjectâ cunctatione, quod eſt genus inveſtituræ. In Chalcedonenſi Synodo actione 3. ſub finem legitur Epiſtolâ Synodicâ ad Clerum Alexandrinæ Eccleſiæ, quâ Patres illum certiorem faciunt de Dioſcori exauctoratione, ſicque Epiſtolam claudunt: *Cuſtodite igitur res Eccleſia-*

Digitized by Google

cleſiaſticas univerſas tanquam qui reddituri eſtis rationem Epiſcopo, qui ſecundùm Dei voluntatem & nutum piiſſimorum & Deo amantiſſimorum Imperatorum noſtrorum Alexandrinæ magnæ civitatis Sanctiſſimæ Eccleſiæ eſt ordinandus Epiſcopus.

VI. Proterium intelligunt qui Dioſcoro ſucceſſit. Vide cap. 5. libri 1. hiſtoriæ Evagrii. Anaſtaſius Bibliothecarius, Platina & Ciaconius in vita Pelagii II. narrant *hunc abſque juſſione Mauricii Imperatoris ideo electum atque ordinatum, quòd Longobardi urbem ſtrictiſſimè obſeſſam detinerent, nullusque mitti poſſet Conſtantinopolim ad impetrandum conſenſum Principis juxta uſitatam conſuetudinem.* Platina ſcribit S. Gregorium Pelagii II. *Succeſſorem maximo Cleri & populi conſenſu electum in Pontificem; ſed nuntios cum litteris ad Mauricium Auguſtum miſiſſe, qui eum obſecrarent ne pateretur electionem Cleri & populi Romani eâ in re valere.* Hocque ipſemet Gregorius lib. 1. Epiſtolarum cap. 5. ſub finem ità comprobat: *Ecce,* ait, *Sereniſſimus Dominus Imperator fieri Simiam Leonem juſſit: & quidem proviſione illius vocari Leo poteſt, fieri autem Leo non poteſt; unde neceſſe eſt ut omnes culpas ac negligentias meas non mihi ſed ſuæ pietati deputet, qui virtutis myſterium infirmo commiſit.* Hæc ille in cujus Epiſtola hæ voces notandæ ſunt: *quòd proviſione Imperatoris virtutis myſterium infirmo committatur.* Prætérquam enim oſtendunt jus quo pollebant Imperatores in Epiſcopis Romanis creandis; inſuper etiam auctoritate S. Gregorii convincunt inveſtituras non eſſe hæreticas, ut auctores ſæculi Gregorii VII. perſuadere voluerunt. Profectò ſi ita eſſet, ſequeretur B. Gregorium ſi non directè & explicitè, ſaltem implicitè & indirectè contraxiſſe hæreſim, dum ab Imperatore *proviſionem ſpontè accepit*, ut vocat. Porrò idem B. Gregorius paſſim demonſtrat Epiſcopos urbibus Metropolitanis creari non conſueviſſe abſque Imperatoris conſenſu libro 4. Epiſtolâ 9. & 15. ad univerſos Epiſcopos per Illyrium conſtitutos, de cooptatione Joannis Epiſcopi primæ Juſtinianæ, quæ Patriarchatui Romano ſuberat: *Quia ergo per Epiſtolas quas ad nos per Maximianum Presbyterum & Andream Diaconum direxiſtis in perſonam Joannis fratris & Coëpiſcopi noſtri conſenſum omnium veſtrûm & ſereniſſimi Principis conveniſſe cognovimus voluntatem, magna nos exaltatio habuit talem Deo auctore ad Sacerdotii officium fuiſſe provectum, qui dignus cunctorum eſt electionis judicio comprobatus. Proinde juxta appellationis veſtræ deſiderium, prædictum fratrem & Coëpiſcopum noſtrum, in eo in quo eſt Sacerdotii ordine conſtitutus, noſtri aſſenſus auctoritate firmamus, rectam-*

que

Digitized by Google

que nos ejus conſecrationem habere dirigentes pallium judicamus, &c. Adi canonem, quia igitur, diſt. 63. Item libro 6. Epiſtolâ 6. Imperatori Mauritio congratulatur de Cyriaci Epiſcopi Conſtantinopolitani electione: *Non enim pravæ potuit eſſe mercedis*, ait, *quod Joanne Sanctæ memoriæ de hac luce ſubſtracto ad ordinandum Sacerdotem pietas veſtra diu haſitavit, tempus paulo longiùs diſtulit, cum metu omnipotentis Domini conſilium quaſivit, ut videlicet cauſa Dei cum magno debuiſſet timore diſponi. Unde & aptum valdè exiſtere in paſtorali regimine fratrem atque conſacerdotem meum Cyriacum exiſtimo, quem ad eumdem ordinem pietatis veſtræ conſilia longa quaſierunt.* Ubi notandum Gregorium Magnum hîc Joannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum vocare, *Sanctæ memoriæ*, de quo tamen antea graviſſimas habuerat expoſtulationes, propterea quod titulum Epiſcopi Oecumenici uſurpaſſet: quas querelas deinceps quoque adversùs Cyriacum quem hic laudat, inſtauravit.

VII. Cæterùm in more & inſtituto poſitum erat ut Primates & Patriarchæ quamprimùm eſſent conſecrati, ſibi invicem litteras communicationis mitterent, ſicut jam paulò ante explicavimus. Quòd ſi forſan aliquis cauſetur eundem Gregorium Magnum Commentariis in Pſalmum quintum pænitentialem conqueri de Imperatoribus, *quòd Eccleſiam ſibi facere ancillam & captivam abducere conentur, &c.* Primò reſpondebis ibi nullum nominare, neque Imperatorem generatim aut ſpeciatim deſignare, & quoſdam arbitrari loqui de Rege Longobardorum Agilupho, qui tempore Gregorii Magni urbem ſtrictiſſimè obſedit, ut jam ſuprà obſervavimus. Secundò dato quod Gregorius loquatur de Imperatoribus, abuſum, non canonicum jus perſtringit: de quo Libro quarto Epiſtolâ 34. ad Conſtantiam Auguſtam Mauricii uxorem ſuper conſecratione Maximi Salonitani Epiſcopi. Etenim ſicut jus divinum naturale vetat Epiſcopum invito populo & Regi dari: Ita etiam canones 4. & 5. Nicæni Epiſcopos inconſulto Metropolitano ordinari prohibent. Certè Salonitanus qui hodie Spalatenſis Epiſcopus nominatur, erat ſubditus Patriarchatui Romano: verumtamen Maximus Imperatoris auctoritate munitus B. Gregorii conſenſum planè ſpreverat. Unde idem Gregorius dicit. 63. can. *Salonitanæ verò civitatis Epiſcopus me & Reſponſali meo neſciente ordinatus eſt: & facta res eſt, quæ ſub nullis anterioribus Principibus evenit. Quod ego audiens ad eumdem prævaricatorem qui inordinatè ordinatus eſt, protinus miſi ut omnino miſſarum ſolemnia cele-*

brare

Digitized by Google

brare nullo modo præſumeret, niſi prius à ſereniſſimis Dominis cognoſcerem, ſi hoc fieri ipſi juſſiſſent, quod ei ſub excommunicationis interpoſitione mandavi. Et contempto me atque deſpecto, in audaciam quorumdam ſæcularium hominum, quibus denudata ſua Eccleſia, præmia multa præbere dicitur, nunc uſque miſſas facere præſumit, atque ad me venire ſecundùm juſſionem Dominorum noluit. Ego autem præceptioni pietatis eorum obediens, eidem maximo qui me neſciente ordinatus eſt, hoc quod in ordinatione ſua me vel Reſponſalem meum prætermittere præſumpſiſſet; ita ex corde laxavi, ac ſi me auctore fuiſſet ordinatus. Alia verò perverſa illius ſcilicet mala corporalia quæ cognovi, vel quia cum pecuniis eſt electus, vel quia excommunicatus miſſas facere præſumpſit, propter Deum irrequiſita relinquere non poſſum, &c. Et valdè grave eſt ut vir de quo tanta nunciantur, cùm ante requiri & diſcuti debeat, honoretur. Etſi Epiſcoporum cauſæ mihi commiſſorum apud piiſſimos Dominos aliorum patrociniis diſponuntur: Infœlix ego in Eccleſia iſta quid facio? Sed ut Epiſcopi mei me deſpiciant, & contra me refugium ad ſæculares judices habeant, omnipotenti Deo gratias ago, peccatis meis deputo: hoc tamen breviter ſuggero, quia aliquantulum expecto; & ſi ad me venire diſtulerit, in eo exercere diſtrictionem canonicam nullo modo ceſſabo. En igitur juſtiſſima Gregorii de Imperatoribus expoſtulatio, qui tamen ubi animadvertit Mauritium tueri Epiſcopum Salonitanum, à cenſuris in hunc diſtringendis meritò ſuperſedit conformiter ad ea quæ ſuperiùs obſervavimus, *canone ſi quos culpatorum*. Lib.3. cap.4. num.10. Cæterùm vir Sanctiſſimus in his verbis: *Sed ut Epiſcopi mei, &c.* aliquid incogitantiæ paſſus videtur: quoniam hæc phraſis: ſæculi & abſolutæ monarchiæ typhum ſapit: quandoquidem Epiſcopi ſunt Chriſti & Eccleſiæ, non Papæ, quamvis ejus Metropoli & Patriarchatui ſubditi ſint. Hîc & alia Pontificum teſtimonia pro inveſtituris aggregare juvat; & quidem Nicolai primi vindicis acerrimi Eccleſiaſticæ auctoritatis, qui Epiſtolâ 62. ad Epiſcopos Galliæ ſub finem, de electione Abbatis Sancti Carileſi Diœceſis Cœnomanenſis, hæc decernit: *Abbatem verò de ſe eligendi fratres Cœnobii habeant poteſtatem; neque in ejus electione Epiſcopi Cœnomanenſis recipiant conſtitutionem aut diſpoſitionem; ſed quemcumque dignum vitâ, moribus, atque doctrinâ proſpexerint, paſtorali officio, & ſibi utilem & aptum diſpenſatorem eſſe ipſum eligant, regiſque in notitiam deferant, ut ejus & conceſſione & conſenſu poteſtatem regiminis accipiat, &c.* Quâ clauſulâ docemur Regem habere jus confirmandæ electionis, & mittendi ele-

ctum in poſſeſſionem regiminis, quæ propria notio eſt inveſtituræ. Joannes VIII. Epiſtolâ 34. ad Anſpertum Mediolanenſem Archiepiſcopum, de cujus Abbatis electione ita ſtatuit: *Sed in promotionibus ſive Antiſtitis ſive Abbatis, nihil profectò aliud gerendum poſſumus exhortari, niſi quòd ſacri canones ſanciunt, quos nulli Sacerdotum licitum eſt ignorare, vel quicquam facere quod Patrum regulis poſſit obviare. Verùm quia in utroque filii noſtri ſemper Auguſti interfuiſſe perhibetur aſſenſus, ejus ſuper hoc videtur expectandus adventus, ad cujus cum tua Sanctitas acceſſerit pietatem, credimus nihil Eccleſiæ Dei præter paternas regulas illaturam.* Hinc ergo liquet & Epiſcopos & Abbates non ſolitos eligi niſi Cæſaris conſenſu. Idem Joannes PP. Epiſtolâ 171. & 87. Carlomanum Italiæ Regem rogat ut Goſpertum ſive Conſpertum Diaconum Verſellenſis Eccleſiæ eligi velit in Epiſcopum: *Regiam Excellentiam veſtram rogamus, ut pro amore Dei & S. Petri, ac noſtræ paternitatis dilectione, Epiſcopatum Vercellenſis Eccleſiæ Conſperto, placido animo tribuatis, &c.*

VIII. At verò Pontificum Romanorum electio ſic olim ab Imperatorum pendebat arbitrio, ut quamprimum eſſent electi aliquid Imperatoribus pro Cathedratico ſive Inthroniſtico ex majorum inſtitutis dependere tenerentur: quod jus primò remiſſum atque abrogatum eſt à Conſtantino Pogonato, qui nihilominus Epiſcopum Romanum abſque Imperatoris conſenſu creari vetuit *diſt.* 63. *can. Agatho.* Lege pariter *can. quia igitur. can. principali. can. Reatius. can. nobis Dominus. can. lectis. Ubi de hoc jure Principum in electionibus ſancitur.* At Juſtinianus Novellâ 123. cap. 3. De alio genere Cathedratici, quod Patriarchæ & Metropolitani ſuis Ordinatoribus perſolvebant mentionem facit. A quo exemplo Annatæ hodiernæ fluxiſſe videntur. Procul dubio quamdiù imperium & regnum floruit, ſuaque jura majeſtate imperii tueri valuit, atque Eccleſia mediocribus opibus locupletabatur, numquam Eccleſiaſtici populi & Principum conſenſum in Epiſcoporum creatione neceſſarium eſſe inficiati ſunt.

IX. Verùm quia de Imperatoribus id ſatis ex ſuperioribus liquet, ſupereſt de Regibus qui poſt dilapidatum imperium extiterunt, videamus. Quam ad rem facit canon decimus quinti Concilii Aurelianenſis circa tempora Pelagii primi: *Ut nullum Epiſcopatum præmiis aut comparatione liceat adipiſci, ſed cum voluntate Regis juxta electionem Cleri & plebis, ſicut in antiquis canonibus continetur.* Adde & canonem 6. 12. Concilii Toletani. *De quo diſt.* 63. *can. cum longe.* §. *Undè placuit* omni-

Digitized by Google

omnibus Pontificibus Hiſpaniæ atque Galliæ, ut ſalvo privilegio uniuscujusque Provinciæ licitum maneat deinceps Toletano Pontifici quoſcumque Regalis poteſtas elegerit, & jam dicti Toletani Epiſcopi judicium dignos eſſe probaverit, in quibuſlibet Provinciis & in præcedentium ſedibus præficere Præſules, & decedentibus Epiſcopis eligere ſucceſſores.

Sanè Franciæ Reges ſtatim atque in Chriſti caſtris militare cœperunt, eodem jure quo Imperatores Chriſtiani in electione Epiſcoporum uſi ſunt, teſte B. Gregorio Turonenſi, qui geſta primæ ſtirpis Regum Galliæ ſcripſit. Nam libro 3. cap. 17. narrat *Ommatium juſſu Clodovæi Regis ordinatum, & Proclum ordinante, id eſt jubente Clotilde Reginâ Turonicam rexiſſe Eccleſiam*; qui modus loquendi: *Ordinante Clotilde* æquivocatione laborat. Item lib. 4. cap. 5. *opitulante Rege Gallus Aurelianenſis Epiſcopus conſecratur.* Et cap. 7. *Cautinus Epiſcopus eligitur poſt S. Gallum: Et Cato qui ſe abſque mandato Regis intruſerat in Epiſcopatum, abdicatur.* Vide cap. 15. ejuſdem libri quarti de S. Euphronio, qui datâ præceptione Regis eligitur Turonenſis Epiſcopus. Item lib 6. cap. 9. *Rex Clotarius Domnolum migrante Innocentio Cœnomanorum Epiſcopo, Antiſtitem Cœnomanenſem deſtinavit.* Item cap. 38. *Theodoſio Rutenorum Epiſcopo vitâ functo, Innocentius Brunichilde Reginâ opitulante, eligitur ad Epiſcopatum, &c.* Et cap. 39. *mortuo Remigio Bituricenſium Epiſcopo, Sulpitius ad Sacerdotium, Guntrano Rege favente, præeligitur; cumque multi munera offerrent, Rex Epiſcopatum quærentibus reſpondiſſe fertur: Non eſt Principatus noſtri conſuetudo, Sacerdotium venundare ſub pretio, ſed nec veſtrum eum præmiis comparare, ne nos turpis lucri infamiâ notemur, & vos Mago Simoni comparemini: ſed juxta Dei præſcientiam Sulpitius vobis erit Epiſcopus, & ſic ad Clericatum deductus Epiſcopatum Eccleſiæ ſuprà dictæ ſuſcepit. Eſt enim vir valde nobilis, & de primis Senatoribus Galliarum, in litteris bene eruditus, &c.* Unde patet Sulpitium ex Laico creatum Epiſcopum more S. Ambroſii. Poſtea quidem eſt in Canonem Sanctorum cooptatus, eique hodie Eccleſia Pariſiis in ſuburbio S. Germani à Pratis dicata eſt. Libro 8. cap. 20. *Fauſtinianus juſſu Gundobaldi Regis Epiſcopus Aquenſis ordinatus fuit.* Et cap. 22. *Deſiderius mandato Childeberti Regis ſuccedit Labano Epiſcopo Heloſenſi.* Et cap. 39. Sabaudus Arelatenſis Epiſcopus obiit, atque in ejus locum Licerius *Regis Guntrani Referendarius eſt adſcitus mandato Childeberti.* Item *Euantius Viennenſis Epiſcopus obiit: In cujus ſedem Virus Presbyter de Senatoribus, Rege eligente, ſubſtituitur.*

Digitized by Google

Huc uſque B. Gregorius Turonenſis, apud quem inveſtituræ Regum Galliæ ex more majorum continuantur, nec habentur hæreticæ, quamquam ſæpè in eas aliquid obrepſerit prenſationis aut turpioris pretii, ut Gregorius Turonenſis libro 8. cap. 22. docet exclamans: *Sed quid pectora humana non cogit auri ſacra fames? &c.*

X. His accuratè perpenſis claret jus eligendi aut confirmandi Romanum Pontificem alioſque Prælatos nequaquam Carolo Magno delatum ab Adriano I. tanquam aliquod novum & minùs ante uſitatum privilegium: Sed hoc Decretum Synodale Adriani, de quo agetur poſtea, fuiſſe potiùs declarationem, continuationem atque ampliationem juris pridem antè uſitati, & cum natura legis Euangelicæ introducti. Hìc autem, ut jam dixi, loquor de recto & canonico uſu, non de abuſu. Cujus juris Lupus Abbas Ferrarienſis Epiſtolâ 81. *ad Amulum Archiepiſcopum Lugdunenſem meminit*, eidem mandato Caroli Calvi Franciæ Regis in hæc verba ſcribens: *Dominus noſter nobis juſſit veſtræ prudentiæ ſuggerere, non eſſe novitium aut temerarium, quod ex Palatio honorabilioribus maximè Eccleſiis procuret Antiſtites: Nam Pipinus à quo per Maximum Carolum & Religioſiſſimum Ludovicum Imperatores duxit Rex originem, expoſitâ neceſſitate hujus regni, Zachariæ Romano Papæ in Synodo, cui martyr Bonifacius interfuit, ejus accepit conſenſum, ut acerbitati temporis induſtriè ſibi probatiſſimorum decedentibus Epiſcopis mederetur, ne fortè ſimplicitate Pontificum poſſet contingere quod in hac Æduorum urbe, cujus nos nunc cura exercet, evenit. Proinde ſuppetere ut honorem à Papa Romano Majoribus ejus & Regibus & Imperatoribus conceſſum, & à Lugdunenſis Eccleſiæ Metropolitanis, cui auctore Deo præſidetis, numquam hactenus infirmatum à vobis nullâ veſtrâ injuriâ conſequatur.* Hæc ille, cujus Epiſtola ſex capit notabilia quæ controverſiam de Inveſtituris planam faciunt. Primò obſervandum Lupum Abbatem vixiſſe ſub Carolo Calvo, ſicut & Hincmarum; ambos verò amicitiæ neceſſitudine conjunctos ejuſdem Lupi Epiſtolæ ad Hincmarum docent. Alterum notabile eſt Lupum Amulo Archiepiſcopo Lugdunenſi pro Heduenſi Eccleſiâ Paſtore viduatâ litteras mittere, quoniam Heduenſis Eccleſia ſubeſt Metropoli Lugdunenſi. Tertiò eſt valde memorabile Franciæ Reges hoc habuiſſe privilegium à Zacharia Pontifice, ut Eccleſiis Paſtoribus orbatis Epiſcopos dare poſſent: hocque privilegium in Synodo, cui Bonifacius Archiepiſcopus Moguntinus interfuit, conditum fuiſſe. Porrò S. Bonifacii mentio percelebris extat in Caroli Magni Capitularibus. Cæterùm cùm Fran-

Digitized by Google

Franciæ Reges ſub primâ ſtirpe Merovingiorum hoc conſtanter uſi ſint privilegio, ut ex Gregorio Turonenſi probavimus, inde planum redditur hoc privilegium non indulgeri à Zachariâ tanquam aliquid novum, ſed potius Pipinum & Carolum Magnum jura juribus accumulando illud quamquam pridem uſitatum, confirmari tamen à Zacharia in Synodo curaviſſe: hoc enim nominatim Lupus aſſerit. Ego quidem exiſtimo cùm ante Pipinum mos eſſet Epiſcopos quos Clerus & Rex cooptaſſent, ſacris ordinibus donari: Zachariam hoc Pipino conceſſiſſe, ut ad ejus ſolam nominationem & electionem ſecluſo Cleri conſenſu ordinarentur Epiſcopi: quod quidem reſpondet hodiernæ nominationi Regum Franciæ, quæ Concordatis invecta eſt, eſtque ampliatio Juris antiqui Regum. Quartò Reges atque Imperatores qui Carolum Calvum præceſſerunt, ſic illo privilegio uti conſueviſſe, ut eo potiſſimùm fruerentur in Eccleſiis honorabilioribus; & tamen aliquando in minoribus Eccleſiis Clero & populo liberam facerent eligendi poteſtatem. Quintò ait Archiepiſcopos Lugdunenſes præceſſores Amuli huc uſque non vertiſſe in dubium ejuſmodi Regum Franciæ privilegium, quo Carolus Calvus uti volebat abſque Lugdunenſis Eccleſiæ injuria: quoniam ei libertatem ordinandi Epiſcopum idoneum à ſe delectum relinquere volebat. Sextò indicat cauſam dandi hujus privilegii fuiſſe ad turbas & ſeditiones vitandas, quæ in populoſis urbibus inter Clerum & populum propter Prælatorum ſimplicitatem fervere conſueverant. Et ita confirmantur quæ tertio notabili obſervavi de hujus privilegii ampliatione, quoniam Regibus ex officio incumbit publicam tranquillitatem vindicare. Porrò qui ad hoc Lupi Abbatis reſcriptum cogitatè attenderit, expeditè omnia argumenta Baronii, Gretſeri, & aliorum adversùs Sigebertum, Gratianum & cæteros propulſabit. Quâ enim fronte aſſerunt Sigebertum omnium primum meminiſſe hujus privilegii, ut cauſæ Henrici IV. Imperatoris patrocinaretur, quando Abbas Ferrarienſis trecentis amplius annis Sigeberto antiquior juris hujus mentionem fecerit, & de re ſibi notiſſimâ loquatur. Enimverò Lupus Pipini & Caroli Magni ſæculo floruit. Quid memorem Hincmarum Rhemenſem Archiepiſcopum hoc jus Regum noſtrorum in creandis Epiſcopis confirmare Epiſtolâ ad Carolum Calvum pro Eccleſiâ Sylvanectenſi paſtore orbata? Qua Epiſtolâ primùm ſignificat *Clerum & populum Sylvanectenſem impenſiſſimè Hincmarum rogaſſe, ut apud ſolitam miſericordiam Regis, liberam illis ac regularem electionem*

nem obtinere ſatageret, &c. Quamobrem ſic Regi ſcribit: *Propterea Domine Reverendiſſime ac Clementiſſime, dignetur mihi Dominatio veſtra litteris ſuis ſignificare quem vultis de Coëpiſcopis noſtris, ut ei ex more litteras canonicas dirigam, & viſitatoris officio fungens in eadem Eccleſiâ electionem canonicam faciat, aut per ſe, aut per litteras ſuas vicario ſuo deferente eamdem electionem cum decreto canonico ſingulorum manibus roborato ad me referat; vel per me ipſa electio ad Dominationis veſtræ directionem perveniat. Et quia in domo Dei, ut ex verbis Leonis præmiſimus, nihil auctoritas patitur inordinatum eſſe, nihilque poſterum, cum vota concordia Cleri ac plebis in electione regulari, vel veſtræ Dominationis conſenſum cognoverimus, litteras Metropolitanæ auctoritatis ſuper electionem certæ perſonæ ad Coëpiſcopos Rhemorum Diœceſeos dirigemus, certum diem & locum eis deſignantes, &c.*

Quæ ex Epiſtolâ Hincmari quatuor colligimus. Primùm in Epiſcoporum electionibus abſque Regis Franciæ auctoritate nihil fieri ſolitum: Et quamquam Reges illo privilegio uterentur, tamen ſede vacante Clerum & populum ſolitum humiliter petere à Principe, ut liberam eſſe pateretur electionem, idque Reges aliquando permiſiſſe, aliquando non permiſiſſe. Et ita Hincmarus tanquam Metropolita, Cleri atque populi Sylvanectenſis nomine Carolo Calvo reſcribit, qui utrum votis illorum annuerit non liquet ex Hincmari Epiſtolâ. Id autem veriſimile arbitror, quoniam Sylvanectenſis Eccleſia non eſt ex nobilioribus Eccleſiis. Secundò Hincmarus memorat ſede vacante Regem ſtatim nominare conſueviſſe viſitatorem Epiſcopum qui Epiſcopatum gubernaret. Hoc autem nihil aliud eſt quàm Epiſcopatum vacantem in Commendam dare alicui. De Epiſcopis viſitatoribus lege S. Gregorium libro 2. Ep. 27. & 29. verùm hoc jus nominandi viſitatores per Regem Franciæ videtur pertinuiſſe ad jus Regaliorum tempore Hincmari. Tertiò ſi Rex liberam electionem fieri permitteret, mos erat ut Epiſcopus viſitator à Rege nominatus vel huic electioni præeſſet, atque ubi eſſet canonicè facta electio, acta ejuſdem omnium Epiſcoporum Cleri & populi ſubſcriptione munita ad Metropolitam mitterentur, vel etiam ut ipſe Rex Metropolitano permitteret, quatenus liberam electionem fieri procuraret. Quartò perſpecta regia voluntate, nimirum quod annueret ut libera electio fieret, aut etiam ipſe vellet nominare & inveſtire Epiſcopum, Metropolitanus omnes Suffraganeos ejus rei commonefacere, eiſque diem & locum certum ad canonicam electionem faciendam, ſi id Princeps

Digitized by Google

ceps permitteret, indicere ſolebat. Quæ omnia lumen accipiunt ab ejuſdem Hincmari Epiſtolâ ad Ludovicum Balbum Caroli Calvi filium pro Epiſcopi Bellovacenſis libera electione : *Veſtræ Dominationi litteras direximus*, inquit, *in quibus cætera hæc continentur: ut ſicut ſacræ leges & regulæ præcipiunt Archiepiſcopis & Epiſcopis Conlimitaneorum Diœceſeum electionem concedere dignemini: ut undequaque ſecundùm formam regularem electionis Epiſcopi talem eligant, qui & ſanctæ Eccleſiæ utilis, & regno proficuus, & vobis fidelis ac devotus cooperator exiſtat, & conſentientibus Clero & plebe eum vobis adducant, ut ſecundùm miniſterium veſtrum res & facultates Eccleſiæ quas ad defendendum & tuendum vobis Dominus commendavit, ſuæ diſpoſitioni committatis; & cum conſenſu ac litteris veſtris eum ad Metropolitanum Epiſcopum & Coepiſcopos ipſius Diœceſeos qui eum ordinare deberent, tranſmittatis.* At profectò magna me ſubit admiratio Hincmari, quod ſub Carolo Calvo Principe fortiſſimo, & ſtatu regni Galliarum robuſtiſſimo, *apud ſolitam Regis miſericordiam ſatagat, quatenus ejus dominationi lubeat liberam & regularem electionem Clero & populo Sylvanectenſi permittere*, ut paulò ante dictum eſt. Contrà autem ſub Ludovico Balbo inglorio atque imbelli Principe, ſtatuque regni fluctuante, animoſè adversùs Regum noſtrorum privilegia ſtylum diſtringat, contendatque illos qui ad Regum nominationem & commendationem ordinantur, contra canones ordinari, *atque ordinatos & ordinatores eſſe hæreticos.* Quem in finem Hincmarus ſacros canones & Patrum antiquorum ſcita coacervat: id adeò ut hæc ejus Epiſtola ad Ludovicum Balbum, cenſuris exceptis, & pace ſalvâ, nihil diſſonet placitis Gregorii VII. contra Henricum Imperatorem. Attamen Ludovicus Balbus eodem jure quo Majores ſui, uti, atque Odoacrum in Epiſcopum Bellovacenſem conſecrari volebat. Bellovacenſis autem Eccleſia una erat ex illuſtrioribus Eccleſiis, eſtque adhuc hodiè. Cæterùm hæc Archiepiſcopi *Rhemenſis* oratio, nimirum *eligatur talis Epiſcopus qui ſit Sanctæ Eccleſiæ utilis, regno proficuus & Regi fidelis ac devotus:* indicant quibuſnam dotibus Epiſcopi ornari debeant. Ut autem non ſpectat ad Regem abſolutè de prima conditione, ſed tantùm ex Eccleſiæ permiſſu decernere: Sic jure divino naturali ad eum de duabus poſtremis dotibus ſtatuere attinet. At facere non poſſum quin ex Rigordi Chronico anno 1190. Philippi Auguſti teſtamentum, cùm ad Jeroſolymorum expeditionem bellicam eſſet profecturus, hîc adſcribam, ubi Adeliæ matri, & Guillelmo Rhemenſi Archiepiſcopo avunculo

ſuo

Digitized by Google

ſuo regni ſui tutelam commendat, atque inter alia ſtatuit: *Quòd ſi fortè contigerit Epiſcopalem, vel aliquam Abbatiam Regalem vacare, ut Canonici Eccleſiæ vel Monachi monaſterii vacantis veniant ad Reginam, & Archiepiſcopum, atque liberam ab eis electionem petant. Et nos volumus, ait, quod ſine ullâ contradictione eis concedant. Nos verò tam Canonicos quàm Monachos monemus, ut talem Paſtorem eligant, qui Deo placeat, utilis ſit regno. Regina autem & Archiepiſcopus tamdiu Regalia in manu ſuâ teneant, donec electus conſecratus ſit vel benedictus: & tunc Regalia ſine contradictione reddantur.*

XI. En continuatio juris Regum Franciæ ſub Innocentio III. PP. Procul dubio cùm me accuratiùs in conſilium adhibeo, Reges quidem & Principes quadruplicem habere titulum comperio in Epiſcoporum atque Prælatorum electione & ordinatione. Primus eſt, quoniam ſunt caput populi & Domini Reipublicæ. Unde cum lege Regiâ, ut docent Juriſconſulti, populus illis ſummum detulerit imperium, unà quoque ad eos totum jus populi, id eſt paſſivam & ſubjectivam electionem transfudit. Ac propterea Regibus competit quicquid canones populo adſcribunt in jure electionum. Cum ergo Patrum regulis prohibeatur *ne Epiſcopus detur invito & non approbante populo, ne civitas non optatum aut contemnat, aut oderit Epiſcopum. diſt. 63. can. nullus invitis, &c.* Quantò magis elaborandum eſt ne Principe invito atque renitente Eccleſiis præficiantur Epiſcopi & Paſtores; quod primis ſæculis numquam factum fuiſſe acervus exemplorum ſuperiùs propoſitorum clarè convincit. Alter titulus eſt, quoniam Principi ex officio nativo jureque divino & naturali incumbit dare operam, nequid Reſpublica capiat detrimenti, & idcircò lege regiâ eſt cuſtos & aſſertor pacis atque libertatis publicæ. Quamobrem illi jure divino naturali incumbit videre, nequid in creandis Paſtoribus pax & tranquillitas publica turbentur, atque ſeditioſi, factioſi, ac turbulenti homines Eccleſiis regendis præficiantur, præſertim in urbibus illuſtrioribus & regni limitibus conſtitutis: hincque à primis Eccleſiæ Gallicanæ primordiis inveteraſſe opinor, ut Epiſcopi à Rege aut Clero delecti, non priùs in poſſeſſionem ſui Epiſcopatus mitterentur, quàm ſeſe fidelitatis Sacramento Regi devinxiſſent. Quod ſi Eccleſiaſtici ſuam hac in parte libertatem venditent, ut Gregorius VII. ejusque Athletæ, profectò tantumdem Principi de Reipublicæ libertate & tranquillitate jure divino & naturali licet contendere: hoc potiſſimùm tempore quo certatur ut nova atque exoti-

ca

Digitized by Google

ca doctrina de poteſtate Papæ in rebus temporalibus executioni mandetur, etiam per Regum parricidia, & Eccleſiaſtici immunes omninò aſſerantur à politicis poteſtatibus, quò uni & ſoli Papæ ſubjiciantur. Tertius titulus eſt, quòd Principes Chriſtiani ſint vindices & protectores Eccleſiæ, eamque ob rem gladium portent. Rom. 13. Quartus quòd opibus atque proventibus magnis Eccleſias locupletarint: eamque ob cauſam Eccleſiaſtici ſe jure activè eligendi privarint, ut eo Reges tanquam fundatores & benefactores ſuos inveſtirent. Procul dubio Dominus noſter inſtitutione Legis gratiæ & perfectæ libertatis voluit Regnum atque Sacerdotium ſic inter ſeſe amicè colligari, ut Paſtorum & Legum inſtitutione omnia ex communi conſenſu & voluntate peragerentur, atque alter alterius onera portaret. Quare ut charitas & pax publica, quæ finis eſt omnis præcepti atque actionum humanarum, expeditiùs ſervaretur, Eccleſiaſticos ſolâ poteſtate miniſteriali ſpirituali vacuâ omni dominatu ornavit, ut ſi forſan contingeret Principes politicos, qui gladium habent à Deo, limites juris excedere, ut plerumque fit, tum Clerici exemplo S. Gregorii adversùs Salonitanum Epiſcopum, de quo ſuperiùs, quererentur, & quantùm eorum poteſtas miniſterialis patitur, ſalvâ publicâ tranquillitate procederent: minimè verò ex Gregorii VII. inſtitutis bella ex bellis conſererent. Si quidem Clerus patienter & humillimè tempus debet expectare quo Deus viam & rationem diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſanctius inſtaurandæ aperiat: quam ad rem Eccleſiaſtici ipſi facem præferre debent politicis Principibus tum ſanctimoniâ & integritate vitæ, tum aſſiduè officio ſuo excubando, nequaquam verò procul à grege voluptuosè aberrando, quemadmodum hodiè aſſolent, ut omnibus notum eſt.

XII. Cùm ergo Regum atque Principum nominationes ad beneficia his canonicis nitantur titulis, atque ubique terrarum & gentium ſuas habuerint virtutes, ac innumeris ſanctiſſimis Epiſcopis & Romanis Pontificibus Eccleſiam ornarint, neceſſariò relinquitur Inveſtituras Principum, quæ nihil ab ejuſmodi nominationibus quoad rem, ſed quoad ritum & modum dumtaxat diſcrepant, nullo modo hæreticas eſſe: continuòque perperàm ejuſmodi fædis execrationibus conſpurcatas à Gregorio VII. Enimverò Henricus IV. avito jure nominandi atque inveſtiendi Prælatos utens, nihilo magis hæreſim contraxit, quàm cæteri Imperatores & Reges, qui eodem utentes privilegio Henricum præceſſerunt. At, inquies, ille pecuniam accipiebat ab

Digitized by Google

his quos inveſtiebat. Credo id quidem, atque execror: Sed eam ob cauſam jus inveſtiendi hæreſim efficere, aut Henricum hæreticum fuiſſe, nemo ſecundùm Theologiæ regulas demonſtrare poterit. Herclè Guillelmus Tyri Archiepiſcopus lib. 1. hiſtoriæ cap. 13. de bello ſacro, qui tempore Gregorii VII. hiſtoriam ſuam lucubravit, ſic narrat: *Henricum non primum auctorem, ſed continuatorem fuiſſe juris Inveſtiturarum. Henricus Teutonicus Rex & idem Romanorum Imperator ait: A Gregorio Papa VII. paſſus fuerat quæſtionem & controverſiam non modicam ſuper annulo defunctorum Epiſcoporum & baculo. Inoleverat enim conſuetudo, præſertim de Imperio, quòd decedentibus Eccleſiarum Prælatis, annulus & virga paſtoralis ad D. Imperatorem dirigebantur: unde poſtmodùm unum de familiaribus & capellanis ſuis inveſtitum ad Eccleſiam vacantem dirigebat, ut ibi Paſtoris fungeretur officio, non expectatâ Cleri electione. Quod Papa Gregorius contra omnem fieri honeſtatem conſiderans, & jura in eo facto conculcari Eccleſiaſtica perpendens, ſemel, ſecundò ac tertiò eumdem Imperatorem commonuit, ut à tam deteſtabili deſiſteret præſumptione, &c.* Hæc ille explicans ritum inveſtiturarum, eaſque *non hæreſim, ſed deteſtabilem præſumptionem nominans, contraque omnem honeſtatem fieri dictitans.* Quod autem ait *jura in eo facto conculcari.* Intelligit jus activè eligendi debitum Paſtoribus, quo ſeſe tamen à multis annis Eccleſiaſtici propter cauſas ſuperiùs allatas ſponte privarant.

XIII. Idque Ivo Carnotenſis Epiſcopus Sigeberto antiquior demonſtrat in collectione canonum, quam vocat Panormiam, fortè Pannomiam dicere voluit. At Ivonem ideò dixi Sigeberto antiquiorem, quia Sigebertus 1078. id eſt triginta annis priuſquàm Chronicum ſuum finiret, memorat *Ivonem Canonicum Bellovacenſem Ordinem Canonicorum Regularium de integro inſtauraſſe, ac aliquantò poſt Carnotenſem Epiſcopum fuiſſe.* Ille ergo libro 8. Pannomiæ titulo de electione Pontificis cap. 135. & 136. Lovanienſis editionis anni 1577. ſic habet: *Adrianus Papa Romanus venire Carolum, ad defendendas res Eccleſiæ poſtulavit. Carolus verò Romam veniens Papiam obſedit, ibique relicto exercitu, in ſancta reſurrectione ab Adriano Papa honorificè ſuſceptus eſt. Poſt ſanctam verò reſurrectionem reverſus Papiam cœpit deſiderium Regem: Deindè Romam reverſus, conſtituit ibi Synodum cum Adriano Papa in Patriarchatu Lateranenſi in Eccleſiâ Sancti Salvatoris: quæ Synodus celebrata eſt à centum quinquaginta quatuor Epiſcopis, Religioſis & Abbatibus. Adrianus autem Papa cum univerſâ Synodo tradiderunt*

Digitized by Google

runt Carolo jus & poteſtatem eligendi Pontificem & ordinandi Apoſtolicam Sedem: Dignitatem quoque Patriarchatus ei conceſſerunt. Inſuper Archiepiſcopos per ſingulas Provincias ab eo inveſtituram accipere definivit: Et ut niſi à Rege laudetur & inveſtiatur Epiſcopus, à nemine conſecretur: Et quicumque contra hoc decretum eſſet, anathematis vinculo innodavit, & niſi reſipiſceret, bona ejus publicari præcepit. Audies, Lector, privilegium inveſtiturarum hîc Synodicè tribui Carolo quaſi in compenſationem beneficiorum quæ Romanæ Eccleſiæ contulerat: eam enim ſæpè tutatus eſt, magniſque auxit opibus. Jam docui ſuprà hoc jus à Zacharia Pontifice etiam Pipino & Carolo antea tributum: ita ut Adrianus potius hoc juris in Reges noſtros continuarit & roborarit, quàm aliquid novi dederit. Sed cap. 136. Pannomiæ ita pergit Epiſcopus Carnotenſis: *Leo PP. in Synodo congregata Romæ in Eccleſia S. Salvatoris, ad exemplum Adriani Apoſtolicæ Sedis Epiſcopi, qui Domino Carolo victorioſiſſimo Regi Francorùm & Longobardorum Patriciatus dignitatem ac Apoſtolicæ Sedis ordinationem & inveſtituram Epiſcoporum conceſſit. Ego quoque Leo Servus Servorum Dei Epiſcopis cum cunctis Clericis, ac populo Romano conſtituimus, confirmamus, & corroboramus, & per noſtram Apoſtolicam concedimus auctoritatem atque largimur Domino Othoni primo Regi Teutonicorum, ejusque ſucceſſoribus hujus regni Italiæ in perpetuum ſibi facultatem eligendi ſucceſſorem, atque ſummæ Sedis Apoſtolicæ Pontificem ordinandi: ac per hoc Archiepiſcopos ſeu Epiſcopos, ut ipſi ab eo inveſtituram ſuſcipiant, conſecrationem autem unde debent: exceptis his quos Imperator Pontifici & Archiepiſcopis conceſſit. Ut nemo deinceps cujuscumque dignitatis & religioſitatis eligendi vel Patricium vel Pontificem ſummæ Sedis Apoſtolicæ abſque conſenſu ipſius Imperatoris, quod tamen abſque omni pecunia fiat, ut & ipſe ſit Patricius & Rex. Quod ſi à Clero & populo aliquis eligatur Epiſcopus, niſi à ſupra dicto laudetur Rege & inveſtiatur, non conſacretur. Si quis contra hanc Apoſtolicam auctoritatem aliquid moliatur, hunc excommunicationi ſubjacere decernimus, & niſi reſipuerit, in irrevocabili exilio puniri, vel ultimis ſuppliciis feriri, Amen.* Cæterùm Gratianus quinquaginta circiter annis poſt Ivonem hos duos canones, ſicut & permultos alios verbum de verbo, ex Ivonis Pannomia excerpſit, ſuosque effecit. Apertè autem inveſtituras ſtabiliunt, atque inter alia Leonis VIII. decretum præterquam Adriani primi conſtitutionem declarat. Inſuper etiam continuationem uſus demonſtrat, & ab exemplo ſimile decretum ſanxit ac nominatim edicit; Si contingat Clerum & populum jure ſuo

 cli-

eligendi liberè uti velle; nihilominùs quem Epiſcopum cooptarint, non poſſe conſecrari, niſi ab Imperatore prius laudetur atque approbetur. Quod genus inveſtituræ ipſe Ivo Carnotenſis aliàs in ſuis Epiſtolis confirmat, & continuò pariter uſum horum canonum fulcit, ut ſtatim oſtendetur. Porrò quando unus & ſolus Ivo, non autem Sigebertus meminit decreti Leonis VIII. inde eſt proclive judicare Bellarminum, Baronium & alios Curiæ Romanæ Pancratiaſtas fruſtrà improperio vertere Sigeberto, quòd auctor primus *canonis Adrianus extiterit*, ut cauſæ Henrici IV. impenſius faveret. Id autem ſi Sigebertus facere voluiſſet, tantùm cauſæ habebat meminiſſe decreti Leonis VIII. quàm Adrianus; quoniam, ut dixi, conſtitutio Leonis eſt declaratio manifeſta canonis ab Adriano conditi in Synodo Romana.

XIV. At profectò Carnotenſis Epiſcopus non tantùm in Pannomia, ſed etiam in Epiſtolis jus inveſtiturarum regiarum propugnat maximè Epiſtolâ 60. ad Hugonem Archiepiſcopum Lugdunenſem, quem Gregorius VII. in extrema vitæ periodo poſt ſe deligi Pontificem voluit, tanquam magis idoneum ad ea quæ contra Henricum Imperatorem ſciverat propugnanda: idque ut Hugo animoſius faceret, eum Gregorius VII. & Urbanus II. Primatem Generalem ſuper omnes Eccleſias Galliarum conſtituerunt, teſte Onuphrio in vita Gregorii VII. Itaque cùm Hugo in vim hujus Primatus, Senonenſis Provinciæ Epiſcopis præcepiſſet, ne Dainbertum Senonenſem electum conſecrarent, priuſquam ei præſentaretur: & jure Primatus ſibi delati obedientiam atque ſubjectionem profiteretur. Et præterea etiam Dainbertum accuſaret quòd de manu Regis Franciæ inveſtituram accepiſſet: inde Carnotenſis Epiſcopus occaſionem Hugoni ita reſcribendi captavit; ac primùm oſtendit *terminos à Patribus poſitos non eſſe convellendos, & contra ſtatuta Patrum condere aliquid vel immutare ne quidem Sedis Apoſtolicæ auctoritatem poſſe, &c. Miramur*, ait, *cur privatis legibus & novis traditionibus veteres traditiones & conſuetudines removere contenditis, præcipiendo ut Senonenſis electus ante conſecrationem ſuam vobis præſentetur, & jure Primatus veſtri ſubjectionem & obedientiam profiteatur. Quod hactenus in Senonenſi Provincia, nec in aliis Provinciis antiquitas inſtituit, nec conſuetudo ſervavit, &c. Quod autem ſcripſiſtis prædictum electum inveſtituram Epiſcopalem de manu regia accepiſſe, nec relatum nobis ab aliquo qui viderit nec cognitum. Quod tamen ſi factum eſſet, cùm hoc nullam vim ſacramenti*

gerat

Digitized by Google

gerat in conſtituendo Epiſcopo, vel admiſſum vel omiſſum quid fidei, quid ſacræ Religioni officiat, ignoramus: Cùm poſt canonicam electionem Reges ipſos Apoſtolicâ auctoritate à conceſſione Epiſcopatuum prohibitos minimè videamus. Legimus enim ſanctæ recordationis ſummos Pontifices aliquando apud Reges pro electis Eccleſiarum, ut eis ab ipſis Regibus concederentur Epiſcopatus ad quos electi erant, interceſſiſſe: aliquorum, quia conceſſiones Regum nondum conſecuti fuerant, conſecrationes diſtuliſſe: quorum exempla ſuperpoſuiſſemus, niſi prolixitatem Epiſtolæ vitaſſemus. Dominus quoque Papa Urbanus Reges tantùm à corporali inveſtitura excludit, quantùm intelleximus non ab electione, in quantum ſunt caput populi, vel conceſſione: quamvis octava Synodus ſolùm prohibeat eos intereſſe electioni, non conceſſioni: quæ conceſſio ſive fiat manu, ſive nutu, ſive linguâ, ſive virgâ, quid refert? Cùm Reges nihil ſpirituale ſe dare intendant, ſed tantùm votis petentium annuere, aut villas Eccleſiaſticas, & alia bona exteriora, quæ de munificentia Regum obtinent, Eccleſiæ, ipſis electis concedere. Unde Auguſtinus ſuper Joannem I. parte Tractatu 6. Quo jure defendis villas Eccleſiæ, divino an humano? Divinum jus in Scripturis habemus: humanum in legibus Regum. Unde quiſque poſſidet quod poſſidet? nonne jure humano? Nam jure divino Domini eſt terra & plenitudo ejus: jure humano dicitur: hæc villa mea eſt: hæc domus mea eſt: hic ſervus meus eſt. Tolle jura Imperatorum, quis audet dicere hæc villa mea eſt, meus eſt iſte ſervus, mea eſt domus? Item noli dicere, quid mihi & Regi? quid tibi ergo & poſſeſſioni? Per jura Regum poſſidentur poſſeſſiones. Dixiſti: quid mihi & Regi? noli dicere poſſeſſiones tuas: quia ad ipſa jura renuntiaſti humana, quibus poſſeſſiones poſſidentur. Quòd ſi hæc æternâ lege ſancita eſſent, non eſſet in manu præſidentium ut ea in quibuſdam diſtrictè judicarent, in quibuſdam miſericorditer relaxarent, ipſis in honore accepto permanentibus, contra quos iſta loquuntur. Nunc verò quia ea illicita maximè facit præſidentium prohibitio, licita quoque eorumdem pro ſua æſtimatione remiſſio. Videmus nonnullos aut penè nullos pro hujuſmodi tranſgreſſione damnatos, plurimos autem vexatos, plurimas Eccleſias ſpoliatas, plurima ſcandala exorta, diviſum regnum & Sacerdotium, ſine quorum concordia res humanæ nec incolumes eſſe poſſunt, nec tutæ. Videmus quoque miſeros Epiſcopos & Abbates nec ruinis morum nec murorum reficiendis velle vel poſſe vacare: ſolùm ad hoc intentos, ut poſſint ſibi aliquam linguam magniloquam amicam facere, cujus nundinis ſe poſſint utcumque defenſare. Multi quoque electi qui gratuitam & canonicam habent electionem, quia hujuſmodi dilationibus vel fatigationibus impediuntur, comparatis ſibi pecuniâ mediatoribus & proloquutoribus,

bus, ne turpem patiantur repulſam, in ſimoniacam aliquando offendunt conſecrationem. Cum ergo omnis inſtitutio Eccleſiaſticarum Legum ad ſalutem referenda ſit animarum, iſtarum inſtitutionum tranſgreſſiones aut diſtrictiùs eſſent corrigendæ, ut ſaluti prodeſſent, aut interim ſilentio premendæ, ne ſpiritualia vel temporalia commoda ſuprà dictis modis impedirent. Nec iſta dico tanquam velim adversùs Sedem Apoſtolicam caput erigere, vel ejus ſalutaribus diſpoſitionibus obviare, vel meliorum ſententiis præjudicium facere, ſi vivis nitatur rationibus & evidentioribus veterum Patrum auctoritatibus. Sed hoc vellem cum multis mecum piè ſentientibus, ut Romanæ Eccleſiæ miniſtri tanquam probati medici majoribus morbis ſanandis intenderent, & non ab irriſoribus ſuis audirent culicem excolantes, & camelum deglutientes; mentam, rutam, cuminum, & anetum decimatis, graviora autem præcepta Legis prætermittitis: Cùm per totum pene mundum flagitia & facinora videamus publicè perpetrari; nec à vobis aliqua juſtitiæ falce reſecari. Quorum exempla quia vel à nobis non ſunt remota, vel vobis non ignota, non eſt meum ſpeciali ſermone taxare. Vos videritis quid de his & ſimilibus agere debeatis. Porrò in hac Ivonis Epiſtola duodecim ſeſe offerunt notabilia. Primò Gregorium ejuſque ſucceſſores nihil reliqui feciſſe ut vincerent, eamque ob rem, ut jam ex Onuphrio obſervavi, Hugonem fiduciarium hominem Galliarum Primatem inſtituiſſe, ut ardentiùs illorum imperata in rem judicatam mitterentur. Cùm autem Ivo de hoc Primatu tanquam contra canones inſtituto conqueſtus eſſet, eam ob cauſam eſt graviter acceptus Romæ ut liquet ex Epiſtola 67. ad Urbanum ſummum Pontificem, apud quem ſe ita purgat: *Audivi dulcedinem veſtram in me amaricatam, ſerenitatem veſtram adversùm me turbatam: audivi & conturbatus eſt venter meus, & oſſa mea conturbata ſunt, & diligenter conſului memoriam meam, quid dixerim, quid fecerim, unde manſuetudinem veſtram exaſperaverim: nec occurrit mihi niſi quòd dixerunt quidam mihi quaſdam litteras me compoſuiſſe adversùs Romanam diſceptantes Eccleſiam, quas miſeram Legato veſtro Lugdunenſi Archiepiſcopo pro cauſa Senonenſis electi, &c. In his enim litteris, ſicut mihi teſtis eſt conſcientia mea, & ipſarum tenor litterarum, nihil aliud intendi, niſi quòd propter crebras invectiones ac murmurationes adversùs Romanam Eccleſiam, quibus quotidie tinniunt aures meæ, per Dominum Archiepiſcopum Lugdunenſem, cui conſilia veſtra committitis, ſollicitudinem veſtram volui eſſe præmunitam: quatenus cum vicariis veſtris ſic veſtra decreta libraretis, ut Eccleſia non gravaretur, & eorumdem tranſgreſſor ſuâ ſententiâ mulctatus, aliis ſe*

cor-

corrigendi exemplum praberetur, & fama veſtra illibata ſervaretur. Hic ſimplex oculus totum defendit corpus illarum litterarum. Sed quia Domino Lugdunenſi Archiepiſcopo quadam ibi verba adverſa ſecus quàm vellet ſonuerunt, maximè de Primatu Lugdunenſi: poſtpoſitâ contemplatione ſcriptoris, ſecundùm quod tunc affectus fuit, participes vos ſua amaritudinis fieri voluit. Liceat cuique dicere quod ſentit. Ego de me ſentio quòd non eſt aliqua perſona tranſmontana, qua pro fidelitate veſtra, pro aſſertione praceptorum veſtrorum tot contumelias pertulerit, tot injurias acceperit. Sed quia illa verba quacumque occaſione animum veſtrum exacerbaverint, non eſt meum adversùs vos intrare in judicium. Malo enim Epiſcopatui renunciare quàm iram veſtram juſtè vel injuſtè ſuſtinere. Hac ſatisfactio ſi placuerit veſtra Paternitati, placet & mea paucitati: hanc ſi placet accipite: Si plus placet, plus addite. Si deſiſto veſter eſſe ſervus, non deſinam veſter eſſe filius: & ſicut expertus ſum ante Epiſcopatum, plus potero prodeſſe in Eccleſia Dei exemplo privatus, quàm verbo pralatus, &c. Quâ ex Ivonis reſponſione liquet quàm eſſet addictus vindicandis imperatis quæ Româ mittebantur, & quàm illo tempore jam grave atque periculoſum eſſet, contra Romanæ curiæ placita aliquid muginari; Cùm Ivo optimè meritus tam graviter acceptus fuerit. Sed tranſeo ad ſecundum notabile: Scilicet jus Inveſtiturarum benè intellectum nullam vim importare Sacramenti, neque fidei aut Religioni Catholicæ quicquam officere, ſi admittatur aut omittatur. Tertiò Franciæ Reges Apoſtolicâ auctoritate numquam prohibitos quominùs conferrent & concederent Epiſcopatus, poſtquam canonica præceſſiſſet electio. Quartò ſæpè Romanos Pontifices ſcripſiſſe Franciæ Regibus, quatenùs illis Epiſcopatus concederent, qui eſſent canonicè electi. Quintò eoſdem Pontifices frequenter diſtuliſſe Epiſcoporum canonicè electorum conſecrationes, quoad Reges iiſdem Epiſcopis conceſſiſſent Epiſcopatum. Cujus rei exempla Ivo brevitatis causâ tanquam notiſſima prætermittit. Sextò ſubjicit Urbanum II. Gregorii VII. ſucceſſorem Reges dumtaxat à corporali Inveſtiturâ, non ab electione, in quantùm ſunt caput populi arcere. Septimò octavam Synodum ſolummodò cavere quominùs Reges interſint electioni, ne ſcilicet Cleri libertatem impedirent, non autem vetare quominùs conferant & concedant Epiſcopatum. Octavò nihil referre utrùm hæc collatio aut conceſſio Epiſcopatus fiat quocumque ritu externo, putà manu, nutu, linguâ, virgâ paſtorali, annulo, aut alio quocumque modo. Nonò non eſſe Regibus propoſitum hoc ritu con-

conceſſionis aut collationis aliquid ſpirituale dare, ſed dumtaxat velle indicare ſe votis petentium Paſtorem annuere, aut villas Eccleſiaſticas, & alia bona temporalia annexa Epiſcopatui quæ à Regibus dependent, concedere, & quaſi Epiſcopos in illorum poſſeſſionem mittere. *Nam per jura Regum poſſidentur poſſeſſiones*; ut ait S. Auguſtinus *can. quo jure, diſt.* 8. Decimò obſervat jus Inveſtiturarum non eſſe divinæ, ſed humanæ inſtitutionis, ac proinde ad voluntatem præſidentium eſſe tolerabile aut intolerabile. Idque claret ex Zachariæ, Adriani I. & Leonis VIII. conſtitutionibus ſuprà memoratis. Undecimò quia Gregorii VII. atque Urbani II. edicta jus Inveſtiturarum illicitum efficiunt, omniſque inſtitutio Eccleſiaſticarum legum ad ſalutem referenda eſt animarum. Videndum, ait Carnotenſis Epiſcopus, an quæ ex hujuſmodi prohibitionibus ſcaturiunt, plus mali quàm boni parturiant: multò autem plus mali importare demonſtrat, quia hinc *innumera ſcandala oriuntur, diviſumque regnum & Sacerdotium, ſine quorum concordia res humanæ incolumes nullo modo eſſe poſſunt, &c. Duodecimò ait hæc ſe non eo animo ſcribere, quod velit adversùs Sedem Apoſtolicam caput erigere, vel ejus ſalutaribus diſpoſitionibus obviare, vel meliorum ſententiis præjudicium facere, ſi vivis nitantur rationibus & evidentioribus veterum Patrum auctoritatibus.* Ubi obſervas Ivonem rationes & Patrum auctoritates, non abſoluta Pontificum imperia quærere. Profectò ſuper eodem argumento ſcripſit ad Paſchalem II. Urbani II. ſucceſſorem, & Gregorii VII. placitorum vindicem acerrimum Epiſtolâ 190. ubi Radulphum Archiepiſcopum Rhemenſem, qui Inveſtituram à Rege accipere coactus fuerat, Paſchali probat & excuſat: eo quòd alia lege Rex illum ad exercitium regiminis Epiſcopatus admittere noluerat: *Sed reclamante Curiâ Regis* ait, *plenariam pacem impetrare nequivimus, niſi prædictus Metropolitanus per manum & Sacramentum eam Regi fidelitatem faceret, quam Prædeceſſoribus ſuis Regibus Francorum anteà fecerunt omnes Rhemenſes Archiepiſcopi, & cæteri regni Francorum quamlibet religioſi & ſancti Epiſcopi. Quod perſuadentibus & impellentibus totius Curiæ Optimatibus, etſi propter mandatorum rigorem minùs licebat, factum eſt tamen, quia Eccleſiaſticæ paci & fraternæ dilectioni ſic expediebat. Cùm enim plenitudo Legis ſit charitas, in hoc Legibus obtemperandum eſſe cognovimus. Petimus ergo flexis genibus cordis, ut hoc eodem intuitu charitatis & pacis veniale habeat paterna moderatio, quod illicitum facit non æterna lex, ſed intentione acquirendæ libertatis præſidentium ſola prohibitio. In exceſſibus*

Digitized by Google

ſibus ergo filiorum utili diſpenſatione & compenſatione contractis, ſufficiat Patri verbum pro verbere, & devota filiorum ſupplicatio pro ſummo deputetur ſupplicio. Si enim vult Apoſtolica auctoritas omnia quæ medicinali condeſcenſione diſpenſantur, diſtrictè judicare, oportebit penè omnes miniſtros adminiſtrationibus ſuis renunciare, aut de mundo exire, nec habebunt ubi ſeminentur ſpiritualia, niſi permittantur aliqua tolerare carnalia. Unde neceſſitati temporum cedendum eſſe Apoſtolica docet ſublimitas, & orthodoxorum conſulit auctoritas, dicens, quia ubi populorum ſtrages jacent, detrahendum eſt aliquid canonum ſeveritati, ut majoribus morbis ſanandis charitas ſincera ſubveniat. Hæc dicendo tamen doctam Paternitatem veſtram non docemus, ſed eamdem conſulendo & rogando monemus, ut ibi conſilii & pietatis ſtudeatis viſceribus abundare, ubi fas non eſt debitam fortitudinem exercere. Valete. Quæ Ivonis oratio iis omninò quadrat, quæ de cauſis eſſentialibus Eccleſiaſticæ auctoritatis libro ſuperiore diſſeruimus; putà eſſe poteſtatem miniſterialem, quæ pacem, unitatem, charitatem & dilectionem habet pro fine: & ideo cenſuras numquam diſtringi oportere, ubi periculum violandæ pacis publicæ imminet. Quocirca hinc claret quinam genuinus fuerit Ivonis ſenſus de abſolutis Gregorii VII. Urbani & Paſchalis II. imperiis contra inveſtituras; quas cùm Epiſcopus Carnotenſis abſolutè & ſimpliciter defendere non auderet: eo ipſo tempore quo tota Germania & Italia bello civili ſub Henrico IV. & V. patre & filio ardebat, & periculoſum erat canonem Adriani I. & Leonis VIII. conſtitutionem de jure Principum in inveſtiendis Prælatis laudare, nihilominùs aliâ viâ obliquè nimirum id tentavit, demonſtrando Reges tanquam Duces & capita populi atque Dominos Reipublicæ jus habere inveſtiendi Prælatos; ac proinde magnâ cum injuria univerſam Chriſtianitatem deſiderio obtinendæ libertatis electionum à Romanis Pontificibus conturbari. Hic enim quæſitus fuit color à Gregorio VII. ejuſque ſucceſſoribus, putà ut electiones liberæ fierent, & Eccleſiaſtici à Principibus politicis non penderent: Idque non obſcurè Carnotenſis Antiſtes deſignat: quod infrà clarius probabitur.

XV. At verò quantùm ex verbis Ivonis ſexto notabili conſignatis inire poſſumus: per corporalem inveſtituram, *ritum inveſtiendi per virgam & annulum deſignat:* quo Reges Epiſcopos titulo Epiſcopali ſic donabant, ut Cleri & populi electione nihil opus eſſet, ſed ſolâ dumtaxat conſecratione & ordinatione Epiſcoporum. Itaque ne dehinc

Digitized by Google

talis ritus obtineret & continuaret, Urbanus II. vetuit relictâ tantùm Principibus poteſtate ut concederent Epiſcopatus: cui conceſſioni ex Ivonis mente duo ineſſe cognoſcimus: Alterum ut Rex tanquam caput populi & Dominus Reipublicæ, Cleri atque populi votis, qui Epiſcopum liberè deligebant, annueret: id eſt quantùm in ſe eſſet Epiſcopo delecto materiam liberam ad exercendam poteſtatem Eccleſiaſticam permitteret, quâ ratione Rex ſeipſum Epiſcopo regendum ſubmittit. Nam ſicut in ferendis legibus actus ſecundus ſeu praxis & uſus legis ab ejuſdem legis receptione pendet: ita in Epiſcopis qui ſunt tanquam Lex animata Eccleſiæ, quamquam actus primus, id eſt inſtitutio & conſecratio Epiſcopi nullo modo à Principe pendeat; verumtamen actus ſecundus hoc eſt exercitium Epiſcopatus abſque Principis Chriſtiani auctoritate & conſenſu ante Gregorium VII. numquam fieri contigit: Alterum quod Epiſcopus Carnotenſis regiæ conceſſioni ineſſe obſervat, eſt bonorum Eccleſiaſticorum traditio ad plenam poſſeſſionem & uſum: quæ res in ſolius Principis manu ſita eſt, ut ſupra cùm de quadruplici titulo quem Reges in electione Prælatorum ſui Regni habent, diſſeruimus: & ipſe Ivo nono notabili ex Auguſtino obſervavit.

XVI. Quæ cùm ita ſint, exurgit Goffridum Abbatem Vindocinenſem Eccleſiæ Romanæ Cardinalem Ivonis contemporaneum, in opuſculo de ordinatione Epiſcoporum & inveſtitura Laicorum, non ex rei veritate, ſed ut Curiæ Romanæ gratificaretur, ſcripſiſſe, Reges nullum aliud jus habere inveſtiendi Epiſcopos, quàm rectione bonorum temporalium, quæ Epiſcopatui addicta ſunt. *Alia utique eſt inveſtitura, quæ Epiſcopum perficit: alia verò quæ Epiſcopum paſcit*, inquit; *illa ex divino jure habetur: iſta ex jure humano. Subſtrahe jus divinum, ſpiritualiter Epiſcopus non creatur: Subſtrahe jus humanum, poſſeſſiones amittit, quibus ipſe corporaliter ſuſtentatur. Non enim poſſeſſiones haberet Eccleſia, niſi ſibi à Regibus donarentur, & ab ipſis non quidem divinis ſacramentis ſed poſſeſſionibus terrenis inveſtirentur. Ex jure divino Regibus quidem & Imperatoribus dominamur: ipſis tamen ex eodem jure, quia Chriſti Domini ſunt, honorem debemus & reverentiam, ſicut dicit Apoſtolus: Regem reveremini. Ex jure autem humano tantùm illis debemus quantùm poſſeſſiones diligimus, quibus ab ipſis vel à parentibus ſuis Eccleſia ditata & inveſtita dignoſcitur: Unde B. Auguſtinus ſuper Joannem ſic loquitur. Noli dicere, quid mihi & Regi? Quid tibi & poſſeſſioni? &c. Poſſunt itaque ſine offenſione Reges poſt electionem cano-*

Digitized by Google

canonicam & conſecrationem per inveſtituram regalem in Eccleſiaſticis poſſeſſionibus conceſſionem, auxilium & defenſionem Epiſcopo dare: quod quolibet ſigno factum extiterit, Regi vel Pontifici ſeu Catholicæ fidei non nocebit: voluit bonus Dominus & Magiſter noſter Chriſtus ſpiritualem gladium & materialem eſſe in defenſione Eccleſiæ. Hactenus Cardinalis Sanctæ Priſcæ opuſculo ad Petrum Leonem etiam Cardinalem, quo de inveſtituris ex placitorum Curiæ Romanæ præjudicio ſtatuit. Tria autem in ejus ſcriptione reprehendenda occurrunt. Primum ait jus inveſtiendi Regibus tantùm propter bona temporalia competere: quod falſum eſſe liquet ex quadruplici titulo inveſtiendi ſuprà expoſito. Secundò etiam falſum eſt ſolam reverentiam Regibus ab Eccleſiaſticis deberi, in quantùm Reges ſunt Chriſti, id eſt uncti Domini. Hic enim Romanæ Curiæ Princeps Lectorem ludificat multipliciter ambiguitate harum vocum, *quia Chriſti Domini ſunt, debemus reverentiam & honorem.* Quoad primum: Si per Chriſtum Domini deſignare velit Reges debere neceſſariò ab Eccleſia inungi: ita ut nullum alioqui juſtum habeant titulum ad regnum, hoc abſolutè negatur, & aliàs examinabitur. Præterea, ſi per honorem & reverentiam intelligat cum Bellarmino Eccleſiaſticos ſolis directivis, non coactivis legibus Principum obſtringi: hoc planè erroneum eſt. Siquidem Bellarminus ſuprà refutatus docuit reverentiam & honorem ab Eccleſiaſticis exhiberi Regibus, dum pro eis orant; & ita ſubjectionem jure divino & naturali politicis poteſtatibus debitam eludere voluit, quaſi qui diceret liberos præcepto de honorandis parentibus ſatisfacere, orando pro illis, & non eis alia juſta atque neceſſaria adjumenta ſuppeditando. Tertiò falſum quoque & erroneum eſt Eccleſiaſticos ex jure ſolùm humano obnoxios eſſe Principibus quantùm habent poſſeſſionum, quoniam tanquam membra & cives Reipublicæ Regibus quoad perſonas ſuas etiam ſubjiciuntur, ut toto libro 2. & cap. 6. libri 3. demonſtravimus. Quartò falſum pariter atque erroneum Eccleſiaſticos ullum à Deo jus habere dominandi Regibus atque Imperatoribus, cùm tota eorum poteſtas miniſterialis ſpiritualis ſit, nuda omni dominatu & poteſtate abſolutè aut extrinſecè cogendi, ut toto libro tertio oſtenſum eſt. Cæterùm Curiæ Romanæ Principem verbo dominandi uſum, atque jus Regis in Epiſcoporum cooptatione tempore Gregorii VII. extenuaſſe nemini umquam qui temporum hiſtoriam calluerit, mirum videbitur.

XVII. Tranſeo ad Sigebertum qui in ſuo Chronico ad ann. 773.

 nar-

narrat *quod Adrianus I. Papa ad tuendas res Eccleſiæ Carolum Romam accerſivit, quò pergens Papiam obſedit, ibique relicto exercitu Romam pervenit, ſanctam Reſurrectionem ibi peregit: Poſtea rediens Papiam capit: Iterumque Romam rediit: Synodum conſtituit cum Adriano Papa: cum univerſali Synodo dedit ei jus eligendi Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam ſedem, dignitatem quoque Patriciatus. Inſuper Archiepiſcopos & Epiſcopos per ſingulas provincias ab eo inveſtituram accipere definivit, ut niſi à Rege laudetur & inveſtiatur Epiſcopus, à nemine conſecretur, omneſque huic decreto rebelles anathematiſavit, & niſi reſipiſcerent, bona eorum publicari.* Quod indubitatum Sigeberti teſtimonium Aubertus Miræus, ut Curiæ Romanæ gratiam aucuparetur, induxit atque expunxit ex Sigeberti Chronico, quod anno 1618. edi curavit & continuavit: ſic enim hodie ambiuntur Prælaturæ. Sed quotuſquiſque Auberto Miræo fidem in his quæ Sigeberto adjunxit habeat: quando certiſſimæ ac pervagatiſſimæ veritati ac fidei antiquorum ſcriptorum abſque ulla verecundia ſic auſus eſt detrahere. Quod autem paſſim Baronium quaſi Eccleſiaſticæ hiſtoriæ regulam laudat & ſequitur, paulò poſt convincemus Baronium hac in parte præ ſtudio & nimio amore placitorum Curiæ Romanæ cæcutire.

Suprà jam monui Gratianum, canones quos in hac re exhibet diſt. 63. verbum de verbo ex Ivonis Pannomia, ſicut & permultas alias regulas, non autem ex Sigeberto hauſiſſe: Et quoniam renuntiatio juris neceſſariò poſſeſſionem præcedentem ſupponit: Gratianus verò contendit Ludovicum Pium juri Inveſtiturarum & eligendi Pontificis Romani renuntiaſſe. *Can. Ego Ludovicus diſt.* 63. Conſurgit ex ipſius Gratiani collectione certiſſimum eſſe quod ſuprà ex Lupo Abbate Ferrarienſi, Ivone Carnotenſi, Sigeberto & Gratiano de jure Inveſtiturarum retulimus: idque inſuper comprobatur *can. Cùm Adrianus diſt.* 63. Ubi collector canonum memorat Legatos Ludovici Pii qui Romæ erant, cùm Adrianus II. eligeretur, graviter tuliſſe quòd ſe inſciis & inconſultis Adrianus portaretur ad Lateranenſe Patriarchium, ut conſecraretur; eamque ob cauſam expoſtulationem habuiſſe quòd ad electionem Pontificis nequaquam invitati fuiſſent. Si enim certò reſciviſſent Ludovicum Pium huic juri ſuo renuntiaſſe, non queſti fuiſſent ſe inſciis Pontificem deligi. Verùm dato quod Ludovicus Pius, ut fingitur, *can. Ego Ludovicus.* jus eligendi Romanum Pontificem ejuraſſet, nequaquam tamen Ludovici ſucceſſores huic ejurationi obſtricti fuiſſent. Ratio eſt quia & ſi invito Prin-

Digitized by Google

Principe creari poſſit Epiſcopus, tamen abſque Principis conſenſu non poteſt mitti in exercitium & poſſeſſionem Epiſcopatus: neque ante Baronium & aliquot recentiores obnoxios ullus umquam de hac re dubitavit.

XVIII. Verùm Onuphrii de hac controverſia ſententiam lubet exponere in vita Gregorii VII. quam ipſemet Gretſerus magno quidem Veritatis præjudicio evulgavit. *Ut omnia accuratius intelligantur*, ait Onuphrius, *& unde tot malorum & ſchiſmatum origo inchoaverit, cognoſcatur, eorum temporum conſuetudinem referam, ejuſque primordia paulò altius repetam. Erat tum conſuetudo à temporibus Caroli Magni Imperatoris primùm ex auctoritate Romani Pontificis Adriani introducta, ut alicujus urbis vel Abbatiæ Epiſcopo aut Abbate mortuis, ſtatim Clerus vel Monachi in unum congregati Legatos ad Imperatorem qui tunc erat, dirigerent, ad quem defuncti Prælati pedum pontificale & annulum deferentes, eum pro novo Antiſtite deligendo nomine ſui Collegii interpellabant, qui ſtatim ſenatu ſuo congregato, ex ipſius plerumque ſententia, vel ex ipſis collegis, vel ex amicis & capellanis, cæteriſque domeſticis & familiaribus ſuis juxta loci dignitatem, ut ei libitum erat, pro arbitrio à ſe electum annulo & virgâ paſtorali Prælati defuncti ad ſe tranſmiſſis, donabat: eumque de illo Sacerdotio diplomate ſuo Imperiali, ut tum dicebatur, inveſtitum, hoc eſt illâ dignitate donatum, in Epiſcopum vel Abbatem conſecrari mandabat abſque alia Cleri & Monachorum lectione. Hoc autem per Galliam, Germaniam & Italiam quæ tunc Latinus Orbis cenſebatur, uſurpari mos erat.* Deinde aliquantò poſt conformiter ad ea quæ ſcripta ſunt ex Lupo Abbate Ferrarienſi retulimus, narrat *Galliæ Reges, maximè Pipinum & Carolum Magnum ſuo ſanguine atque immenſis beneficiis erga Sedem Romanam hoc redemiſſe privilegium, exciſo Longobardorum regno, & parte magnâ ejuſdem attributâ Eccleſiæ Romanæ. Tot igitur tantorumque beneficiorum non immemor Papa Adrianus ſub quo tam magnificè de Romana Eccleſia benè meritus fuerat, Synodum* 153. *Epiſcoporum, Abbatum, aliorumque plurium Prælatorum anno ſalutis* 795. *Laterani in Baſilica S. Salvatoris quæ Conſtantiniana vocatur, congregavit: In qua ex totius Synodi conſenſu dedit ei jus & poteſtatem Pontificem eligendi & ordinandi Apoſtolicam Sedem, cùm eo tempore liberis Romani Cleri & populi ſuffragiis Romanum Pontificem creari mos eſſet. Inſuper Epiſcopos, Archiepiſcopos, & Abbates omnium provinciarum ei ſubditarum ab eo Inveſtituram accipere definivit, eorum quibus præerat Sacerdotiorum: ita ut niſi à Rege laudarentur & inveſtirentur Epiſcopus vel Abbas, à nemine*

conſecrari poſſent, & omnes qui contra hoc decretum egiſſent, anathemate notavit, & bona ejus proſcripſit. Cujus rei meminit Anaſtaſius Bibliothecarius in hiſtoria Eccleſiaſtica: quem locum Gratianus canonum collector 63. diſt. notavit. Imperatoribus autem qui Carolo Magno ſucceſſerunt, ad eam ignaviam delapſis, ut non ſolùm ejuſmodi privilegium tueri nollent, ſed nec ulla Imperii jura curarent; Eam occaſionem nactus Adrianus Papa III. ſub Imperatore Carolo III. anno ſalutis 894. *illud quidem quod ſub prioribus Pontificibus ſenſim exoleverat, congregatâ Synodo omnino antiquavit & abrogavit, inſtituens ut in Papæ electione Imperator ſe non intromitteret. Privilegium Adriani I. Imperatori ab Adriano III. ereptum Leo Papa VIII. Othoni I. Imperatori de Romana Eccleſia optimè merito, cùm eam ex Tyrannorum Berengarii & Adelberti manibus eruptam, & in libertatem quam amiſerat vendicaſſet anno Domini* 962. *in Synodo Lateranenſi congregatâ exemplo ejuſdem Adriani I. qui illud Carolo Regi conceſſerat, reſtituit, renovavit, & de novo confirmavit, ut patet ex eadem diſt.* 63. *apud Gratianum. Porrò autem contra hoc Leonis VIII. decretum nullus deinceps Romanorum Pontificum reclamavit vel apertè contradixit uſque ad Gregorium VII. qui Imperatorum ſimoniâ offenſus, in contrarium editis decretis, hæc duo Adriani I. & Leonis VIII. priviliga omnino abrogavit & induxit. Henricus enim IV. Imperator cùm multis & maximis bellorum occupationibus implicitus, ingenti pecunia vi indigeret, Epiſcopatus & Abbatias plerumque his qui plus ei offerebant, largiebatur, perſonarum conditionis nullâ habitâ ratione: quod factum hæreſis ſimoniacæ labem fugere non poterat. Quocirca anno* 1090. *Gregorius VII. Pontifex Concilio multorum Epiſcoporum & Abbatum habito, conſtitutionem illam tunc primum edidit, quâ Imperatorem non ſolùm auctoritate inſtituendi Romanum Pontificem, quam trecentis propè annis ante prædeceſſores ſui habuerant; ſed & omnibus etiam cæterorum Sacerdotiorum inveſtituris privare conatus eſt: omnemque Epiſcoporum & Abbatum inſtituendorum rationem ad electionis capitulorum & Monachorum formam reduxit, &c. His autem decretis in duobus potiſſimum majeſtas & Romani Imperii dignitas evertebatur: & quod longè pejus erat, ea fundamenta jaciebantur, quibus Romani Imperii poteſtas omnino labefactabatur. Primum erat, quod ex omnibus Orbis Latini partibus infinita propè hominum diverſarum conditionum millia aulam Imperialem frequentabant, ſpe ducti ut ab Imperatore Sacerdotia conſequi poſſent: quemadmodum nunc uſus eſt in Romana Curia. Imperator enim non ſolùm Epiſcopatus omnes, & Abbatias, minoraque omnia Sacerdotia, ut Præbendas, Canonicatus,*

Præ-

Digitized by Google

Præpoſituras, & Decanatus conferebat, ſed etiam ut jam viſum eſt, ipſum Romanum Pontificem deſignabat. Si igitur decretis Gregorii locus eſſet, illicò conſequebatur ut omnis hæc aulæ Imperialis majeſtas obſoleſceret, &c. Altera verò cauſa quæ multò majoris momenti exiſtimabatur, erat quòd ſi Cæſar Prælatorum inveſtituras, ita enim collationem appellabant, amitteret, majorem Imperii ſui, meliorem fortioremque partem deperderet: & maximarum calamitatum ſeminarium Imperio faceret. Nam quando privilegia Carolo Magno & Othoni I. Auguſtis, ab Apoſtolica ſede conceſſa fuere, Eccleſiæ & Epiſcopatus tenues tunc, pauperes, & ſine tot reditibus erant. Poſtquam verò juris Imperii facta eſt eorumdem Prælatorum electio. Quemadmodum & cæteri Principes ſæculares Imperii, tum Cæſares qui de Religione bene mereri volebant, ſine tamen Imperii præjudicio cœperunt Epiſcopos & Abbates ob Religionem tanquam potiora Imperii membra præ cæteris laicis Principibus honorare, profanâ ditione & ingentibus opibus honeſtare, arces, oppida, urbes, Marchias, Ducatus, Provincias, pedagia, telonia, vectigalia portoria, & multa alia quæ Imperii propria erant, Epiſcopatibus concedere. Quæ vel ex ſuis propriis bonis quæ ad Imperium pertinebant, vel ex alienis feudis erant: Nam laicis Principibus ſine legitimo hærede mortuis, eorum provincias quæ beneficiario jure ad Imperium pertinebant, non aliis amplius laicis Regulis, ſed Epiſcopis concedebant: atque hac ratione omnes Epiſcopatus & Abbatias Italiæ, Galliarum & Germaniæ, imò totius Orbis Latini, & denique ipſum Pontificem Romanum ex pauperibus ditiſſimos & maximos Principes jecerant: Ex his ſcilicet opibus quæ ante Imperii juris erant, in nulla re Imperialia propterea jura minui exiſtimantes, quippe quod certi eſſent eos omnes Prælatos à ſe deſignandos fore, & non niſi juſſu ſuo & voluntate Sacerdotia ipſa obtenturos. Gregorius igitur ſuis Decretis dimidium Imperii Cæſari tollebat. Nam Epiſcopi nullâ ratione adduci poterant ut quæ ab Imperatoribus antiquis obtinuerant, dimittere & Imperatori reſtituere vellent, cum ex ſua eruendi eſſent poteſtate: Id enim Cæſar ipſe quærebat, nec Imperator id agere poterat, ut Epiſcopi ea imperio reſtituerent, quæ ab Imperatoribus non ut Epiſcopi, ſed ut imperialia membra obtinuerant.

Hæc Onuphrius, cujus narratio octo potiſſimùm capit notabilia. Primum deſignat quo ritu, & quibus ceremoniis Inveſtituræ per annulum & pedum Pontificale fierent; quæ inſtrumenta erant corporalia. Unde ab Ivone ejuſmodi Inveſtituram corporalem vocitari ſuprà obſervavimus. Secundò non eſt leviter prætereundum quod memorat: Scilicet Anaſtaſium Bibliothecarium in hiſtoria Eccleſiaſtica memi-

meminiſſe hujus privilegii, & Gratianum *quæ refert diſt.* 63. *can. Adrianus*, ea ex Anaſtaſio ſumpſiſſe. Quâ ratione omnes Baronii, Bellarmini & aliorum cavillationes ac effugia obſtruuntur, qui perſuadere volunt Sigebertum impoſuiſſe Gratiano, quaſi eum, non Anaſtaſium ſequeretur. Onuphrius autem ea ſcribit quæ apud Anaſtaſium in ſcriniis Vaticanæ Bibliothecæ legit. Tertiò monet ignaviâ & ſocordia Principum, jura & privilegia quibus Majeſtas Imperii ſuſtinebatur, amiſſa, atque Eccleſiaſticos perſæpè ex ſtatus regnorum imbecillitate & Principum ignaviâ opportunam captaſſe occaſionem ſuas ampliandi fimbrias in rebus temporalibus: quod ab omnibus hiſtoriæ ſtudioſis debet diligenter notari. Et ne peregrina exempla quæramus, ipſemet Onuphrius in vita Gregorii VII. quam poſtea integram exhibebo, ait Gregorium nactâ & exploratâ temporis occaſione Henricum IV. cenſuris innodaſſe, *ubi illum bello Saxonico ita implicitum vidit, ut jam inde incolumem reverſurum minimè ſperaret idque Gregorii VII. ingenium & charitatem prodit.* Quartò obſervat Adrianus primùm Galliæ Regibus privilegium Inveſtiturarum conceſſiſſe, neqnis arbitretur hoc jus tributum noſtris Principibus tanquam Imperatoribus. Id enim teſtimonium Lupi Abbatis ſuprà laudatum amplè confirmat. Acceditque poſt regnum Longobardicum à Carolo Magno exciſum, & Romam in poteſtatem Regum Franciæ redactam, Adrianum Caroli Magni beneficiis cumulatum curaviſſe ut Carolus ejuſque ſucceſſores Patricii nominarentur, & illo ipſo jure quo antea Imperatores Romani in electione Romanorum Pontificum fruerentur: quod jus ſive privilegium Adrianus ampliavit jure nominandi atque inveſtiendi Epiſcopos & Abbates. His verò de cauſis Navarrus cap. 27. Enchyridii numero 70. *perhibet Gallos præſupponere Eccleſiæ Gallicanæ libertates, quas vocant eſſe remuneratorias obſequiorum à ſe magnis impenſis ſanguinis & fortunarum præſtitorum.* Cui pariter Onuphrius hac in parte aſſentitur. Quintò indicat Imperatores & Reges magnis opibus, proventibus ac feudis ideò Eccleſias locupletaſſe, quod jus inveſtiendi prælatos in jus imperii perpetuum tranſiiſſe ducerent, viderentque hoc ſtante privilegio Imperium inde nihil capturum incommodi. Quæ enim dabantur Eccleſiis tum, erant juris Regni atque Imperii. Porrò Guillelmus Malmesburienſis libro 5. de geſtis Regum Angliæ Caroli Magni & aliorum Principum, in ditanda Eccleſia Conſilium nobis ita referat: *Cum Urbano Papæ Paſchalis ſucceſſiſſet*, ait, *rurſus quæſtio de Inveſtituris Eccleſiarum, rurſus*

rurſus

Digitized by Google

rurſus bella, rurſus lites agitari, neutris partibus loco cedentibus. Imperator omnes Epiſcopos & Abbates regni ſui, quod citra montes eſt, fautores habebat, quia Carolus Magnus pro contuenda gentium illarum ferocia, omnes penè terras Eccleſiis contulerat conſilioſiſſimè perpendens, nolle ſacri Ordinis homines tam facilè quàm Laicos fidelitatem Domini rejicere. Præterea ſi Laici rebellarent, illos poſſe excommunicationis auctoritate & potentiæ ſeveritate compeſcere. Papa Ultramontanas Eccleſias ſuæ rationi ſubjecerat, parumque ſuſcipiebant urbes Italiæ Henrici dominium, ſervitio putantes ſe exutas poſt Conradi fratris ejus interitum, &c. Qui locus Malmesburienſis magnum nobis patefacit arcanum; ſcilicet Principes non tam propter Jeſum, quàm propter Lazarum, ut vulgò dicitur, hoc eſt humanâ ductos conſideratione, Eccleſias locupletaſſe; quia timerent à laicis Principibus rebellionem, & futurum cernerent ut Eccleſiaſtici, partim pietate ducti, partim etiam quia eſſent imbelles, fideliores Regibus forent, minuſque facilè jugum executerent. Quod conſilium malè quidem, atque in Imperii & Principum exitium ceſſit, quoniam inde ruina manavit; unde Imperatores robur & amplitudinem Imperii ſperabant. Profectò ſemper infortunatum nacti ſunt eventum quotquot Imperium in Eccleſiam, & mundanam ſapientiam in religionem effundere voluerunt: quaſi qui ſecuri januam aperire & clavo lignum findere moliretur. Nam Eccleſiaſtici locupletati, majorem multò curam rerum temporalium quàm ſpiritualium geſſerunt, ſicut experientia comprobavit. Quocirca Deus, ubi peccatorum noſtrorum cumulo & menſuræ nihil ſuperaddi potuit, Laicis quidem & Eccleſiaſticis meritò iratus, ut peccata hominum caſtigaret, tot immiſit mala, adeò ut Henricus IV. Princeps infeliciſſimus partim ſuorum, partim alienorum delictorum pœnas temporales luerit. Hinc autem patet undenam tantæ opes Eccleſiis accreverint. Sextò obſervat Gregorium ſuis decretis Cæſaribus dimidium Imperii abſtuliſſe, atque Majeſtatem ad illud tuendum neceſſariam funditùs labefactaſſe, & ex hac ruina Curiæ Romanæ ſplendorem ad eam quam videmus ſpeciem, pedetentim effulſiſſe, ac hominum ambitioſorum oculos captaſſe. Ab hoc enim tempore Collegium Cardinalium inſtitutum, & dignitas Cardinalatûs maximo ſapientiæ mundi arcano exteris nationibus communicari cœpit non quidem Epiſcopis, ut fit hodie, ſed Abbatibus, atque aliis viris doctis, quos Romani Pontifices ſuæ monarchiæ & dominatui propagando ſibi uſui eſſe poſſe cernebant.

Ita enim omnes provinciæ Chriſtianæ incogitantes oppigneratæ ſunt ad mordicùs defendendam abſolutam Papæ Monarchiam, & omnes Curiæ Romanæ abuſus, eo quòd Papa ab omnibus nationibus adoptaretur.

XIX. Septimò quod Onuphrius memorat Cæſarem à Papa petiiſſe ut jura & feuda Imperii reſtituerentur Imperio, neque umquam id conſequi valuiſſe. Hoc ipſum certè Henricus V. Henrici IV. filius explicat in quadam conſtitutione; quæ legitur tomo priore conſtitutionum Imperialium. *Cùm per nuntios noſtros à Domino Paſchali quæreremus quid de nobis fieret*, inquit, *in quo regnum noſtrum conſtat: quomodo ferè omnia Anteceſſores noſtri Eccleſiis conceſſerunt & tradiderunt, ſubjunxit Paſchalis, Fratres, Eccleſiæ decimis & oblationibus ſuis contenti ſint: Rex verò prædia & Regalia quæ à Carolo & Ludovico, Othone & Henrico Eccleſiis collata ſunt, ſibi & ſucceſſoribus ſuis recipiat & detineat. Ad hoc cùm noſtri reſponderent, nos quidem nolle violentiam Eccleſiis inferre, nec iſta ſubſtrahendo tot ſacrilegia incurrere: fiducialiter promiſit, & ſacramento pro eo firmavit. Dominica eſto mihi, ſe omnia hæc cum juſtitia & auctoritate reddere. Noſtris itidem firmantibus, ſi hoc ut præmiſſum eſt, ita compleſſet, quod tamen nullomodò fieri poſſe ſciebat, me quoque, uti quærebat Inveſtituras Eccleſiarum reſignaturum, ſicut in charta conventionis pleniùs poteritis videre.* Hucuſque Imperator: Deinde ſubjicit chartam memoratam, quam hîc exſcribere pretium operæ eſt. *Dominus Papa præcipiebat Epiſcopis præſentibus in die coronationis Regis, ut dimittant Regalia regno, quæ ad regnum pertinebant tempore Caroli, Henrici, & aliorum prædeceſſorum ejus, & ſcripto firmabit anathemate, ne quis eorum vel præſentium vel abſentium vel ſucceſſorum eorum intromittant ſe ullo modo, vel invadant eadem Regalia, id eſt civitates, Ducatus, Marchias, Comitatus, monetas, telonium, mercatum, advocatias, omnia jura centurionum, id eſt villicorum, turres & villas quæ regni erant cum omnibus pertinentiis ſuis, militiam & caſtra; nec ipſe Regem & regnum ſuper his ulterius inquietabit, ſed privilegio ſuo ſub anathemate confirmabit, ne poſteri ſui inquietare præſumant, Regem benignè & honorificè ſuſcipiet, & more prædeceſſorum ſuorum Catholicorum ſcienter non ſuſtractè coronabit, & ad tenendum regnum cum his omnibus officii ſui auxilio adjuvabit.* Cætera videbit Lector, quorum Baronius meminit etiam magna parte ad annum Chriſti 4. ſtatim initio, & nos capite ſequenti numero 4. uberius tractabimus.

XX. Porrò his de cauſis jam obſervavimus Othonem Epiſcopum Frin-

Frinſingenſem in prologo Libri ſeptimi Chronicorum ſic ingratitudinem Eccleſiaſticorum deflere. *Conſtat,* ait, *Eccleſiam non prius in tantum regnum humiliare potuiſſe, quàm ipſo regno ob amorem Sacerdotii eviſcerato, ac viribus exhauſto, illudque non ſpirituali tantùm, ſed ſuo proprio materiali ſcilicet gladio percuſſum deſtrueretur: videri tamen culpandos Sacerdotes per omnia, qui regnum ſuo gladio quem ipſi ex Regum habent gratia, ferire conentur.* Item Cardinalis Cuſanus lib. 3. de concordantia cap. 29. *notat prætextum tollendi jus Inveſtiturarum Imperatoribus quæſitum, eo quòd Imperatores acciperent pecunias à Prælatis: Sed Curiam Romanam tantùm exhaurire pecuniarum, ut omnes ſe deprædari clament. Temporalia Eccleſiarum quid proſunt Reipublicæ? quid Imperio? quid ſubditis? certè parum aut nihil. Mandabatur Othoni* 63. *diſt. in Synodo abſque pecunia inveſtituras Epiſcoporum dare. An ab ipſo Imperatore ſola inveſtitura ſublata ſit per Papam vidimus, quoniam non ſolum pura abſque acceptatione pecuniæ attracta eſt Inveſtitura per Romanum Pontificem: Sed etiam tantùm de pecunia, ut per Alemaniam omnes ſe non gravatos tantùm, ſed deſtructos etiam conquerantur. Rabidus appetitus ad ipſa terrena, Eccleſiis annexa dominia Epiſcopis ambitioſis hodie ineſt, ut ea videamus expreſſè agere dum promoti ſunt, quæ ante ambiebant: de temporalibus omnis cura, de ſpiritualibus nulla. Non fuit iſta Imperatorum intentio; non volebant ſpiritualia à temporalibus abſorberi, quæ pro eorum augmento, Eccleſiis dederent. Et hæc omnia, proh dolor! ex perverſo ordine eveniunt. Et quia nulli canones ſervantur, nulla coërcitio, diſciplina, nec punitio. Præterea illud temporalis dominii Eccleſiaſticorum regimen multùm Reipublicæ & ſubjectis obeſt: Dum vacant Eccleſiæ, ſemper in periculo ſchiſmatis exiſtunt, aut quòd exactionari plus debeant aliis ſub ſæcularibus exiſtentes. Quoniam ſi per electionem providendum eſt, ambitio procurat diviſionem votorum: ſi per Curiam, facilius perſuadetur pro plus offerente: Et omnia illa gravamina adveniunt pauperibus ſubditis. Curia attrahit quicquid pingue eſt: & id quod Imperium contulit & pro Dei cultu & bono publico ordinavit ſanctiſſimè, avaritiâ, & cupiditate exortâ, palliatis rationibus & novis adinventionibus totaliter pervertitur, & Imperiale efficitur Papale, & ſpirituale, temporale.* Hæc Cuſanus deſignans quot mala & incommoda nimiam dotationem Eccleſiarum ſubſequuta ſint: Et quòd ejuſmodi opes in ſolius Curiæ Romanæ commodum effundantur.

XXI. Sed ad Analyſim Collectionis Onuphrii regredior, qui octavò notat decretis Gregorii VII. effectum ut electiones ad ſola

Digitized by Google

Capitula aut Collegia Eccleſiarum Cathedralium & Monachorum reducerentur: cùm antea ex praxi Eccleſiæ primitivæ Nicænis canonibus conſecrata electiones à toto Clero Diœceſis & populo celebrari conſueviſſent: ut libro 2. defenſionis Libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate cap. 7. fusè oſtendimus. Porrò Gretſerus qui vitam Gregorii VII. ab Onuphrio concinnatam edidit, multa adversùs hanc Onuphrii narrationem hiſtoricam profert, quorum veram notitiam à Baronii Annalibus, tanquam ab hiſtoriæ Eccleſiaſticæ indubitata norma repeti debere contendit. Id autem quàm verum ſit, infrà probabimus, cùm Baronii argumentationes extricabimus.

XXII. At verò pretium hujus diſputationis facit Bonifacii VIII. Epiſtola ad Philippum Pulchrum Franciæ Regem, quam hîc exſcribam. *Bonifacius ſervus ſervorum Dei Philippo Francorum Regi: Deum time, & mandata ejus obſerva: ſcire te volumus quòd in ſpiritualibus & temporalibus nobis ſubes. Beneficiorum & Prabendarum ad te collatio nulla ſpectat, & ſi aliquorum vacantem cuſtodiam habeas, uſumfructum eorum ſucceſſoribus reſerves: Et ſi qua contuliſti, collationem haberi irritam decernimus, & quatenus praceſſerit, revocamus: oppoſitum ſentientes hareticos reputamus & declaramus. Datum Laterani IV. Nonas Decembris, Pontificatus noſtri anno 6.* Hæc Bonifacius, cui Franciæ Rex eodem anno ita reſpondit, ut Scriptores noſtri memorant. *Philippus Dei gratiâ Francorum Rex Bonifacio ſe gerenti pro ſummo Pontifice, ſalutem modicam ſive nullam: Sciat tua maxima fatuitas in temporalibus nos alicui non ſubeſſe, aliquarum Eccleſiarum & Prabendarum vacantem collationem ad nos jure Regio pertinere, & percipere fructus earum contra omnes poſſeſſores nos utiliter nos tueri: Secus autem credentes fatuos reputamus atque dementes. Datum, &c.* Tum temporis pro Philippo Pulchro ejuſque Regio jure aliquot Doctores Pariſienſes ſcripſerunt, ut jam ſuprà lib. 3. cap. 3. monui: quorum ſcriptorum Magiſter Joannes Surdi ſeu de Pariſiis Ordinis Dominicanorum Choriphæus eſt lib. de poteſtate Regiâ & Papali; cap. autem 21. diſſerit *utrum jus conferendi beneficia poſſit Laicis competere, quando jus illud habet quidpiam ſpirituale.* Summa autem illius ſententiæ eſt, *quod aliquid dicatur ſpirituale reſpectu & habitudine ad Spiritum Sanctum, qui eſt cauſa efficiens omnium Chariſmatum ſpiritualium, atque ratione hujus reſpectus & habitudinis aliquid tribus modis effici ſpirituale: nimirum per cauſalitatem aut concomitantiam: per conſequentiam & per antecedentiam: at ſpiritualia ſunt per cauſalitatem, ut ſacramenta eorumque admini-*

miniſtratio, quia gratiam ſpiritualem & conjunctam habent per modum cauſæ atque effectus & concomitantiæ: alter modus per conſequentiam eſt velut jus Decimarum, quod à ſpirituali officio manat; ideòque in Laicum cadere non poteſt. Ut enim officium ſpirituale non competit Laico: ita neque jus Decimarum: tametſi fructus corporales Decimarum ex Eccleſiæ conceſſione in Laicos transferri queant, ut contigit tempore expeditionis Hieroſolymitanæ: tum enim Eccleſiaſtici quidam jus percipiendi Decimas vendiderunt Laicis, ut bello ſacro ſubvenirent: unde hodierna die ejuſmodi Decimas infeodatas vocant. Itaque hinc liquet aliud eſſe habere jus & actionem Juris ad collectionem Decimarum, quia ut jam monui, ſolis Eccleſiaſticis jus propter ſui officii conſequentiam convenit. At actio juris non eſt directum & plenum jus, ſed quodammodo diminutum. Tertius modus ea complectitur quæ connexionem aut reſpectum habent ad ſpiritualia per antecedentiam, ſicut jus patronatûs conferendorum beneficiorum: quandoquidem non ita pendet à jure ſpirituali, ſicut duo priores modi. Et idcirco his titulis aut cauſis poteſt conferri Laicis, videlicet aut ex pacto & inſtitutione, aut ex permiſſione & conceſſione Eccleſiæ, aut ex inveterata conſuetudine: ex pacto ut ſi Laicus velit proventibus naceſſariis fundare Eccleſiam eâ lege ut, quando vacabit, provideat de Paſtore & Sacerdote. Ex permiſſione, ut ſi Eccleſia id ultro vel aliqua de cauſa concedat Laicis, &c. Adnectit Joannes Pariſienſis neque abſurdum neque detrimentoſum eſſe Eccleſiæ, ſi Regibus & Laicis jus conferendorum beneficiorum deferatur, cùm plus ſatis liqueat Reges & perſonas Laicas ex conſenſu & permiſſione Eccleſiæ illud ab inveterata conſuetudine poſſediſſe. Tametſi autem hoc videatur juri Ordinariorum derogare (quoniam jure communi collatio & diſtributio beneficiorum illis propria eſt) nihilominus juri publico & Eccleſiæ prodeſſe, quatenus Principes Laici hac viâ excitantur ad fundandas, locupletandas & propugnandas Eccleſias. Præterea cùm auctore Ariſtotele 8. *Ethicorum hoc ipſum facere exiſtimemur, quod per amicos facimus: Eccleſia dicitur conferre beneficia per Patronos, & Fundatores Laicos.* Hactenus Joannes Pariſienſis, cujus ſententia comprobatur canone 2. Concilii Toletani 9. *Pia compaſſione decernimus, ut quamdiu Eccleſiarum Fundatores in hac vita ſuperſtites extiterint, pro eiſdem locis curam permittatur habere ſollicitam & ſollicitudinem præcipuam; atque Rectores idoneos in eiſdem Baſilicis iidem ipſi offerant Epiſcopis ordinandos. Quòd ſi tales forſitan non inveniantur ab eis, tunc quos Epiſcopus probaverit Deo placitos, ſacris cultibus inſtituat cum eorum convenientia ſervituros. Quòd ſi ſuperſtitibus eiſdem Fundatoribus Rectores ibidem præſumpſerit ordinare*

 Epiſco-

Digitized by Google

Epiſcopus, & ordinationem ſuam irritam noverit eſſe, & ad verecundiam ſuam alios in eorum loco quos iidem ipſi Fundatores condignos eſſe elegerint ordinari. En Eccleſiaſticorum moderatio & charitas antequam Eccleſia ſummis eſſet impinguata opibus. Ad hæc facit quoque Novella Juſtiniani Auguſti 123. cap. 18. *Si quis oratorii domum fabricaverit, & voluerit in ea Clericos ordinare: aut ipſe aut ejus hæredes, ſi expenſas ipſis Clericis miniſtrant & dignos denominant, denominatos ordinari: Si verò qui ab eis eliguntur, tanquam indignos prohibent ſacræ regulæ ordinari: tunc Sanctiſſimus Epiſcopus quoſcumque putaverit meliores ordinandos procuret.*

XXIII. Summa hujus capitis eſt, Primò activam poteſtatem eligendi Paſtores idoneos, unà cum Sacerdotali aut Epiſcopali ordine conferri, & propriam eſſe Cleri, nihilominus per commiſſionem atque vicariatum, illius exercitium poſſe Laicis conferri, ſicut Juriſdictionem Eccleſiaſticam fori externi. Secundò paſſivam electionem, quâ ſe populus Paſtori electò regendum liberè ſubjicit, ita peculiarem eſſe populo, ut eâ nullo modo privari poſſit, quin unà jus divinum & naturale violetur. Tertiò Regibus conſtitutis hoc jus paſſivè eligendi lege regiâ in Reges & ſupremos Principes ita tranſmitti, ut invitis Regibus Epiſcopi mitti non poſſint in ſui Epiſcopatus exercitium. Quartò Prælatos ipſos non modò propter temporalia Eccleſiis quibus præſident, annexa, verùm etiam tanquam cives & membra Reipublicæ ſubditos eſſe politicis poteſtatibus: Ita ut ſi Regibus videatur, ſacramentum fidelitatis publicè edere teneantur. Quintò jus inveſtiendi Epiſcopos per ritum externum aut aliam proviſionem quàm Principes & Reges Chriſtiani pridem exercuerunt, aut etiam exèrcere continuant, nullo modo eſſe hæreticum, ſimoniacum aut erroneum, quicquid in contrarium Curiæ Romanæ homines detonent, ut ſuis commodis inſerviant. Ego autem hîc loquor de juſto & canonico uſu, non de abuſu. Sextò contendo, ſecluſis Concordatis Bononienſibus, ipſos Reges Galliæ multis juſtiſſimis titulis jus concedendi & conferendi beneficia poſſidere: atque inter alia jus *Regaliorum* quod vocant, videri originem ducere à ſacris electionibus: Siquidem conjicio durante Interepiſcopatu ex communi Eccleſiæ Gallicanæ conſenſu jus conferendorum beneficiorum & præbendarum caducarum Regi Chriſtianiſſimo delatum, ne fortè Clerici, ad quos jus eligendi jure ordinario ſpectabat, inter ſeſe digladiarentur: atque Epiſcoporum electionem de induſtria in longum tempus prorogarent,

Digitized by Google

rent, quò ſede vacante beneficia caduca pro animi ſui ſententia & privato commodo conferrent. Quamobrem opinor etiam hujuſmodi Regalia non priùs claudi conſueviſſe, quàm Epiſcopi privatim & cònfeſtim poſt adeptam conſecrationem ſeſe Sacramento noſtris Regibus obſtrinxiſſent. Ita enim cautum eſt ut Epiſcopi delecti diligentius & citius ſacros adirent Ordines, ſuoque officio peragendo excubarent, quod eſt permaximi momenti. Et utinam quamdiu abſque cauſa juſta & neceſſaria Epiſcopi diutius ab Eccleſiis ſuis peregrinantur, omnibus ſuis proventibus, aut jure conferendi caduca beneficia carerent. Hoc enim eos ad reſidendum cogeret.

CAPUT II.

I. *Argumenta Bellarmini contra populi & Regum electiones ſoluta.*
II. *Baronii argumenta contra Inveſtituras explauduntur.*
III. *Utrùm Ivo Carnotenſis abſolutè acta Gregorii VII. & ſucceſſorum ejuſdem contra Inveſtituras approbarit, ut narrat Baronius.*
IV. *Paſchalem II. Henrico V. Imperatori pollicitum fuiſſe ſe effecturum, ut Regalia aut ditio & opes temporales reſtituerentur Imperio, ſi modò Henricus inveſtituras ejuraret: Et quantùm odii ſibi Paſchalis ex hac ſua pollicitatione conciliaverit apud Ordinem Eccleſiaſticum.*
V. *Ivo docet Inveſtituras non poſſe dici hæreſim.*
VI. *Ipſe etiam Baronius, ubi multa tergiverſatus eſt, fatetur Inveſtituras hæreſim non eſſe contra Decretum Guidonis Viennenſis Archiepiſcopi, qui poſtea Pontifex tanquam magnus zelotes actorum Gregorii VII. creatus eſt.*

Theologi recentiores, ut Gregorii VII. cæteraque Curiæ Romanæ acta tanquam infallibilia aut nulli errori obnoxia propugnent, valde deſudant, atque omnem movent lapidem:

1. Bellarminus lib. priore de Clericis cap. 4. & 8. hanc propoſitionem tanquam certiſſimam defigit: ſcilicet *vocationem, ſeu miſſionem miniſtrorum Eccleſiæ, non ad populum, ſed ad Epiſcopos, & potiſſimum ad ſummum Pontificem pertinere.*
2. Ejus fundamentum eſt quòd Juriſdictio Eccleſiaſtica non ſit in ipſo cœtu fidelium, ſed in ſummo Pontifice, & à Pontifice in cæteros Epiſcopos derivetur.
3. Quod ut probet, hos textus tundit in omne latus. *Dabo tibi claves regni Cœlorum. Matth. 16.* Et *Paſce oves meas. Ioannis ultimo.* Item. *Ego mitto vos ſicut miſit me Pater. Joannis XX.*
4. Adjungit & praxim Eccleſiæ Actorum 14. ubi legitur Paulum & Barnabam conſtituiſſe Epiſcopos atque Presbyteros per civitates, eamdemque provinciam dari Tito cap. 1. ad Titum.
5. Item capite 7. ejuſdem libri de Clericis hanc aliam venditat propoſitionem: *Jus eligendi ſummum Pontificem, cæteroſque Eccleſiæ Paſtores & Miniſtros non convenire populo jure divino: ſed ſi aliquando in hac re populus aliquid potuit, id totum habuit ex conniventia vel conceſſione Pontificum.*
6. Hoc ut corroboret objicit ex cap. 5. ad Hebræos *neminem aſſumere ſibi debere honorem, niſi vocetur à Deo tanquam Aaron.* At, inquit, Aaron à ſolo Moſe ſine ullo populi conſenſu fuit electus.

7. Præ-

7. Præterea ſubnectit *Chriſtum voluiſſe ut Apoſtoli eâ poteſtate & ratione Eccleſiam gubernarent, quâ ipſe eam gubernarat eo tempore quo præſentiam ſuam mundo exhibuerat* Joannis 20. *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos, &c.* At Dominus ſine ullo conſilio *aut ſuffragio multitudinis Apoſtolos atque Diſcipulos elegit. Igitur Apoſtoli & Epiſcopi qui Apoſtolis ſuccedunt, debent ſine conſenſu aut ſuffragio populi Paſtores eligere.*
8. Adjungit Epiſcopos eſſe Paſtores populi, & populum oves. Joann. *ultimo* Actor. 20. 1 Petri 5. Sed rationi naturali repugnare, ut oves gubernent aut regant, id eſt ſibi Paſtores deligant, quia hoc ad regimen pertinet.
9. Unde ſemper Apoſtolos paſſim Epiſcopos ſine ullo multitudinis ſuffragio elegiſſe legimus.
10. Quocirca can. 13. Laodiceni Concilii primi prohibetur *ne turbis* permittatur electio Sacerdotum.
11. Et can. 3. ſecundi Nicæni Concilii. Electio Epiſcopi aut Presbyteri, vel Diaconi quæ fit à Magiſtratibus, declaratur irrita. Et can. 4. Synodi Conſtantinopopolitanæ edicitur ne Principes Laici ſeſe electioni Epiſcoporum immiſceant.
12. Certè D. Hieron. Epiſtolâ 95. ad Evagrium teſtatur Presbyteros ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominaſſe ac delegiſſe.
13. Attexit Bellarminus & magna incommoda, quæ popularem electionem concomitari ſolent, &c.

I. HÆc ſunt præcipua Bellarmini argumenta, quibus geſta Gregorii VII. contra Henricum IV. defendi poſſunt. Jam ea ſigillatim expendamus. Quoad primam propoſitionem de vocatione & miſſione Miniſtrorum. Reſpondeo hanc miſſionem duobus modis poſſe conſiderari, activè aut paſſivè, ut capite præcedenti docuimus: Et priori quidem modo ad ſolos Eccleſiaſticos ſpectare miniſtros idoneos deligere: poſteriori denique ad populum, cujus eſt Prælatos tanquam leges vivas atque animatas recipere, atque ex Legis gratiæ libertate videre utrum moribus ſuis ſint convenientes, ut eis ſe actualiter ſubjiciant.

Itaque hoc primum Bellarmini argumentum fallit æquivocatione vocis. *Miſſio Miniſtrorum pertinet ad Epiſcopos & ſummum Pontificem, &c.* Certè conſtans eſt doctrina omnium Theologorum, Leges minimè obligare niſi recipiantur, atque moribus utentium approbentur.

Ad ſecundum: quod Juriſdictio Eccleſiaſtica non ſit in ipſo cætu fidelium, ſed in ſummo Pontifice. Repono Juriſdictionem, ſicut & miſſionem duobus modis conſiderari, putà activè & formaliter, ſeu paſſivè & materialiter: ac priori modo propriam eſſe toti ordini hierarchico, non ſoli Pontifici, ut in defenſione Libelli de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate docuimus. Poſteriori autem modo, & quo-

Digitized by Google

quoad exercitium hoc ſpectare ad populum Chriſtianum, cujus eſt Prælatos recipere. Centies dixi Legem gratiæ & perfectæ libertatis non deſpoticè imperare, neque Religionem poſſe cogere, aut dominari fidei hominum, ut ex Apoſtolo probatum eſt lib. 3. Quapropter in electione Paſtorum ſemper explicitè aut implicitè, verè aut interpretativè requiritur populi conſenſus.

Tertiò de gemino ſenſu horum Textuum: *Tibi dabo claves: Paſce oves meas*, dictum eſt abundè in defenſione libri de Eccleſiaſtica & politica poteſtate lib. 2.

Quartò praxim quam Bellarminus adducit, nihil ejus cauſam juvat: quoniam diſtinguendum eſt inter jus ordinarium & extraordinarium, ſive inter jam fundatas & optimè conſtitutas, atque inter fundandas & conſtituendas Eccleſias. Cùm enim Apoſtoli miſſi fuerint immediatè à Chriſto, ut Legem Euangelicam per mundum univerſum publicarent, atque Eccleſias fundarent, non potuerunt conſenſum populi expoſcere in conſtituendis Miniſtris, cùm nullus tunc eſſet populus Chriſtianus. Quare rationes Bellarmini meræ ſunt argutiæ, quibus muſcas, non accipitres, id eſt ignaros, non doctos illaqueare poteſt. Lege caput 7. libri 2. defenſionis libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate, ubi de hoc jure ordinario & extraordinario fusè diſſeruimus.

Quintò quod ait jus eligendi Summum Pontificem cæteroſque Eccleſiæ Paſtores non convenire populo, &c. ſolutum eſt reſponſione ad primum & ſecundum.

Sextò de electione Aaron. Reſpondeo id factum expreſſo Dei mandato, cùm poteſtatem ſpiritualem à temporali Reipublicæ Judaicæ vellet ſecernere; magnumque diſcrimen inter Legem Moſaicam & Euangelicam intercedere: quarum hæc eſt perfectiſſimæ libertatis, ſuaque manſuetudine & ſuavitate omnes gentes ad ſui amorem allicere debet. Contrà Lex Moſaica eſt duriſſimæ ſeveritatis, ac unius tantùm populi. De qua differentia plura diſputabuntur libro quinto.

Ad ſeptimum quòd Chriſtus voluerit Apoſtolos ea formâ & ratione Eccleſiam gubernare, quâ ipſam rexerat, &c. Reſpondeo ut ad quartum ſcilicet diſtinguendum inter Eccleſias jam conſtitutas & conſtituendas, inter jus ordinarium, & extraordinarium mittendi Paſtores, atque magnam eſſe differentiam inter Chriſtum Deum hominem, & Apoſtolos purè miniſtros.

Octavò, planè abſurda eſt hominum cum beſtiis & brutis animan-

tibus comparatio. Item diſparata ſunt officia Eccleſiaſticorum & Paſtorum ruſticorum belluas paſcentium. Hi enim greges ſuos quocumque volunt, paſtum abigunt, & præterea ferro & armis arcere atque occidere poſſunt lupos, aut alias feras gregibus inſidiantes: Sed non ita Eccleſiæ Paſtores cùm hominibus ratione præditis præſint, & ſolâ poteſtate miniſteriali ſpirituali ad eam rem donentur, ut Chriſtianos conformiter ad naturam ſuam ſecundùm jus divinum naturale & canonicum gubernent.

Ad nonum, de praxi & uſu regiminis Apoſtolorum jam dictum eſt reſponſione ad quartum.

Ad decimum. Rectè quidem canon Laodicenus vetat, turbas Paſtorum electionibus ſeſe immiſcere, quoniam omnia clamoribus & tumultu complent, ac libertatem canonicis electionibus neceſſariam interturbant. Adnecto canonem hunc de activa electione intelligi: & longè aliud eſſe turbam adeſſe, aliud magiſtratum aut Principem politicum præeſſe electionibus. Hi enim ἐυταξίαν conſtituunt, dantque operam ut cuicumque jus ſuum ad normam canonum ſervetur juxta diſtinctionem activæ & paſſivæ electionis.

Undecimò canones 7. & 8. Synodi nullo modo paſſivam electionem populi & Principum politicorum prohibent, ſed dumtaxat cavent ne libera Cleri electio quam activam nominamus, corrumpatur, & ne *quid fiat per verſutiam & tyrannidem Principum.* Propria ſunt verba octavæ Synodi, quæ intelligenda ſunt ſalvo jure populi & Principum. Hìc vice corollarii adjungo tempore Hincmari neque ſeptimam neque octavam Synodum receptas fuiſſe in Galliis, ut docuimus libro 1. hiſtoriæ Conciliorum generalium.

Duodecimò Hieronymus ad Evagrium oſtendit activam electionem propriam & peculiarem eſſe Clero ſecundùm jus ordinarium: quâ de re nemo litem cuiquam faceſſit.

Decimo tertiò: ut turbæ & cætera incommoda quæ olim populus excire conſueverat, vitarentur in electionibus, jure meritoque jus populi in Reges & Principes Chriſtianos tranſmiſſum eſt. Addo ampliùs ipſos canones argumento Bellarmini planè ſatisfacere, dum perhibent in electionibus ducendum, non ſequendum populum. Ducitur autem quando Princeps & magiſtratus politicus præeſt ſacris electionibus, ut impediat nequid turbarum à quoquam edatur, & ne Epiſcopus non optatus detur populo.

Idem Bellarminus in recognitione operum ſuorum, ubi opuſculum

lum de tranſlatione Imperii recenſet lib. 1. cap. 13. canit Palinodiam eo quòd illos canones qui leguntur apud Gratianum *diſt. 63. can. Adrianus & can. in Synodo tanquam legitimos admiſiſſet*, aitque *ſe poſtea animadvertiſſe illos eſſe vel falſos vel certè dubiæ fidei, quia non nituntur auctoritate ullâ, niſi Sigeberti, qui ſuſpectus haberi poteſt ob nimiam propenſionem erga Imperatores, qui ſuo tempore cum Romanis Pontificibus de inveſtituris Epiſcoporum contendebant.* Inſuper objicit *reſponderi non poſſe hos duos canones niti auctoritate Ivonis Carnotenſis, qui Sigeberto fuit antiquior. Extant autem in Panormia ſive Pannomia Ivonis lib. 8. cap. 135. & 136. hoc, inquam, reſponderi non poteſt, quoniam auctor Panormiæ non fuit Ivo, ſed alius recentior & poſterior Ivone, ut colligitur ex lib. 8. Pannomiæ, ubi ponuntur multa decreta Innocentii II. qui ſedit poſt obitum Ivonis. Vide lib. 8. Pannomiæ cap. 141, 142, 143. &c.* His ſimilia quoad Panormiam Ivonis Bellarminus narrat lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ubi de Ivonis operibus tractat.

Quam ad Bellarmini collectionem quatuor dicenda habeo. 1. dum adverſarii in labefactandis duobus canonibus quaſi à Sigeberto confictis, omnem operam & ſollicitudinem impendunt; ſiquidem juſtum titulum Inveſtiturarum Chriſtianis Principibus eripere arbitrantur: ſed longè ſuâ falluntur opinione, quoniam Imperatores ex inveteratâ atque immemorabili conſuetudine hoc ipſo jure ab Eccleſiæ primitivæ primordiis pridem ante Adrianum I. & Leonem VIII. fruuntur: Ita ut nulli crearentur Epiſcopi, præſertim in claris urbibus, niſi prius laudarentur & probarentur ab Imperatoribus atque Regibus. Quæ ſumma eſt privilegii & declarationis quam duo canones memorati nobis exhibent: Et proinde nullum jus novum, ſed potius juris declarationem referunt, ſi Inveſtituras quoad rem & ſubſtantiam conſideremus. Quare fruſtrà hìc ſudat Bellarminus. Dato enim & non conceſſo præfatos canones eſſe à Sigeberto confictos, ſemper robur privilegii ex antiquiſſima conſuetudine, quæ canoni æquipollet, munitur: adeo ut quingentis annis ante Adrianum primum, Imperatores hoc jure uſi ſint, ut probavimus, & ipſemet S.Gregorius à Mauritio Imperatore *proviſionem ſuæ promotionis ad Pontificatum ſumpſerit.* Accedit etiam Nicolai I. & Joannis VIII. teſtimonium: atque Lupum Abbatem Ferrarienſem docere Reges Franciæ hoc uſos privilegio ex Zachariæ Pontificis conſtitutione, qui trecentis ampliùs annis Sigebertum præceſſit. Ergo hìc potiùs eſt quæſtio de nomine quàm de re ipſa. Hancque cùm certiſſimam habea-

mus, ſophiſticum planè & doloſi animi eſt de appellatione vitiligare, ac obtendere Sigebertum auctorem eſſe canonum ejuſmodi. Adde etiam illum nullam mentionem facere privilegii Leonis VIII. ſeu *canonis in Synodo diſt.* 63. Hoc enim ſolius Ivonis Pannomiæ proprium eſt. Hercle Onuphrius teſtis omni exceptione major, cui omnia Vaticanæ Bibliothecæ ſcrinia patuerunt, narrat Anaſtaſium Bibliothecarium in Eccleſiaſticâ hiſtoriâ meminiſſe hujus privilegii Synodicè facti, atque Gratianum inde *canonem Adrianus* in ſuam collectionem conjeciſſe. Scio quidem Gretſerum in Notis quas edidit, cùm vitam Gregorii VII. ab Onuphrio lucubratam vulgavit, dicere Anaſtaſium non meminiſſe hujus privilegii. Sed rependo potius fidem habendam Onuphrio quàm Gretſero, Bellarmino, aut Jeſuitis qui artem æquivocandi & expurgandi libros conſultò adinvenerunt, ut hoc miſerrimo ſæculo fucum veritati facerent, ſuaque placita de infallibili Papæ monarchia & abdicandis Regibus defigerent. Hinc fit ut ante illorum & Baronii ſcriptiones nemo umquam *canonem Adrianus* in dubium revocarit: nequidem Gregorius XIII. cujus juſſu decretum Gratiani ſuo nitori reſtitutum eſt. Profectò his minutis verſutiis atque mundanis fabricis Jeſuitæ putant ſe arcanum ante incognitum reperiſſe, unde oculos Lynceos doctiſſimorum configerent. Cæterùm Anaſtaſius Bibliothecarius trecentis fermè annis Sigebertum præceſſit.

Secundò quod Bellarminus cauſatur Sigebertum ob nimiam ſuam erga Imperatores propenſionem ſuſpectum haberi, nobis quidem haſtam amentatam ſuppeditat, quâ & eum & Baronium omneſque alios Curiales confodiamus. Vulgare eſt, qualis quiſque eſt, tales & alios eſſe ſuſpicari: unde cùm Scriptores Curiæ Romanæ à multis ſæculis nihil non comminiſcantur & ſupponant ut ſuam monarchiam ferruminent, hoc genere vitii alios immeritò ipſumque Sigebertum nominatim accuſant, ſed fruſtrà ut docuimus.

Tertiò de Ivonis Pannomiâ non me fugit quoſdam ſuſpicari Hugonem Cathalaunenſem illius auctorem eſſe, quæ conjectura eſt obſcuris & invalidis nixa radicibus. Contrà ratio ſcribendi & fama communis eam Ivoni aſſerit, quam texuiſſe videtur, quò compendium & locos communes canonum ſemper haberet ad manum.

Quartò fateor Ivonem eſſe antiquiorem Innocentio II. neque potuiſſe decreta Innocentii in ſuam Pannomiam referre. Sed, ut jam dixi, cùm Ivo in communes locos canones redegerit, aliquis, ut fieri

Digitized by Google

ti ſolet in locis communibus poſt Ivonem decreta Innocentii collegit, eaque in caput proprium conjecit, atque Ivonis Pannomiæ adjecit (quod ego ipſe ut plurimùm facere ſoleo in auctoribus quos lego.) Deinde cum Ivonis Ponnomia tandem Decreta Innocentii II. edita ſunt. Verùm ut jam dixi de Sigeberto, dato, & non conceſſo quòd alius quàm Ivo ſit auctor Pannomiæ, ſemper quæſtio eſt ſophiſtica de nomine, ut ad primum docuimus argumentum.

II. Baronius tomo 7. Annalium ad annum Chriſti 526. memorat Theodoricum Gothorum Regem Arrianum omnium primum ſibi tyrannicè auctoritatem ſuo aſſenſu confirmandi Romanum Pontificem arrogaſſe: atque Imperatores Orientis exemplo Theodorici ſibi idem jus uſurpaſſe, certamque pecuniæ ſummam pro cathedratico ſibi dependi voluiſſe, & Theodoricum propter tantum ſacrilegium divinitus periiſſe. Quæ quidem ſimiliter exaggerat tomo 8. anno 590. adjunctâ Gregorii Magni querelâ Commentariis in Pſalmum 5. pœnitentialem ad hunc verſum: *Et qui laudabant me, adverſùm me jurabant.* Nam Gregorius de ſimonia loquens, *concitavit adversùs Eccleſiam Dei non ſolùm innumerabilem multitudinem, verùm etiam regiam, ſi fas eſt dicere, poteſtatem*, inquit, *nulla enim ratio ſinit, ut inter Reges habeatur qui deſtruit potius quàm regit Imperium: & quoſcumque habere poteſt perverſitatis ſuæ ſocios, eos à conſortio Chriſti efficit alienos, qui turpiſſimi lucri cupiditate allectus ſponſam Chriſti captivam cupit abducere, & paſſionis Dominicæ Sacramentum auſu temerario contendit evacuare. Eccleſiam quippe quam ſui ſanguinis pretio redemptam Salvator noſter voluit eſſe liberam, hanc ipſe poteſtatis regiæ jura tranſcendens facere conatur ancillam. Quartò melius foret ſi Dominam ſuam agnoſceret, eique religioſorum Principum exemplo devotionis obſequium exhiberet, nec contra Deum faſtum extenderet dominationis, à quo ſuæ dominium accepit poteſtatis. Ipſe enim eſt qui ait: Per me Reges regnant, &c. In tantum ſuæ temeritatem extendit veſania, ut caput omnium Eccleſiarum Romanam Eccleſiam ſibi vendicet, & in Domina Gentium terrena jus poteſtatis uſurpet. Quod omnino ille fieri prohibuit, qui hanc Petro Apoſtolo ſpecialiter commiſit, dicens: Tibi dabo Eccleſiam, &c.* Hæc Baronius exiſtimans Gregorium voluiſſe Mauritium Cæſarem perſtringere.

Deinde tomo 9. ad annum Chriſti 752. notat *Zachariam Papam Pipino Regi Francorum conceſſiſſe nominationem Epiſcoporum pro Eccleſiis vacantibus in regno ſuo. Ut intelligas, cùm legis, à Regibus Epiſcopos*

datos Eccleſiis, totum id factum non jure proprio, quod nullum penitus in rebus Eccleſiaſticis Reges habent, ſed conceſſione Apoſtolicæ Sedis. Unde erubeſcant mentientes politici Novatores cùm Eccleſias ſubjiciunt Regibus. Hæc ille.

Dehinc ad annum 774. Paratragœdiat contra Sigebertum. *ô Scelus*, inquit, *ô Impoſtura, ô Fraus! &c.* Quaſi bonus & doctus religioſus fuiſſet artifex privilegii inveſtiturarum, ut cauſam Henrici IV. defenderet. Subjungit Baronius Gratianum cum aliis Scriptoribus Eccleſiaſticis nullâ factâ mentione impoſturæ Sigeberti, neque illâ examinatâ aut confutatâ, dumtaxat tempus & operam inſumpſiſſe, ut demonſtrarent memoratum Caroli Magni privilegium revocatum fuiſſe. Hoc enim Gratianus diſt. 63. can. Ego Ludovicus urget. Inſtat quoque Baronius Enguinardum domeſticum & familiarem Caroli Magni clarè ſcribere Carolum quater tantùm iviſſe Romam, ita ut primus illius adventus fuerit anno 773. quo poſt Ticinum expugnatum, Deſiderium Regem Longobardorum cœpit: Deinde celeriter in Gallias rediit ut adversùs Saxones rebellantes expeditionem inſtrueret. Quis ergo locus eſſe potuit induciis, & longiſſimæ moræ ad Concilium celebrandum neceſſariæ, cujus Concilii meminit Sigebertus, & in quo ait privilegium Inveſtiturarum Carolo indultum ab Adriano. Secundus adventus Caroli Romam fuit, ut votum ſolveret anno 786. Tertius contra Ducem Beneventanum anno 786. Quartus ad reſtituendum Leonem Papam anno 800. quo Carolus creatus eſt Imperator.

His expeditis tranſit ad oppugnationem decreti Leonis 8. cujus meminit Gratianus diſt. 63. *can. in Synodo.* Contenditque Baronius confictum à Sigeberto vel Sigeberti ſimillimo, nulliuſque prorsùs eſſe momenti, cùm Leo VIII. non fuerit legitimus Papa, ſed ſederit in Cathedra Petri Joanne XII. ſuperſtite, qui Papa erat legitimus. Cauſam Joannis XII. recoquit Baronius tomo 9. ad annum Domini 963. Cùm enim Joannes ob prodigioſas libidines, atque alia ſcelera notoria incorrigibiliter Eccleſiam ſcandaliſaret, vocatuſque ad Synodum, ſibi facinorum ſuorum conſcius venire detrectaſſet, voce atque ſuffragiis totius Cleri Romani & Epiſcoporum provinciæ exauctoratus, unoque conſenſu Leo VIII. in Joannis locum ſuffectus eſt. Sed Baronius hoc ipſo anno 963. Bellarminus libro 2. de Romano Pontifice cap. 29. ut ſua placita de abſoluta infallibili Papæ Monarchia propugnent, opponunt Joannem quanquam notoriè libidini

bidini addictum eſſetque incorrigibilis, tamen deponi minimè potuiſſe à Concilio, quia Papa ſolummodo deponibilis eſt, ſi peccet contra fidem; idque Baronius probat ex Marcellini hiſtoria, quem Synodus judicare noluit, quamquam idolis thurificaſſet. Verùm ex hoc diverſorio ad Baronium revertor, qui ad annum 774. narrat tantùm abeſſe ut Carolus ſibi arrogare voluerit Electiones Epiſcoporum, cùm potius eas liberas eſſe ex Sacrorum canonum præſcripto libro 1 Capitularium cap. 34. ita decreverit. *Aſſenſum Ordini Eccleſiaſtico præbuimus, ut ſcilicet Epiſcopi per electionem Clericorum & populi ſecundùm ſtatuta canonum de propria Diœceſi, remotâ perſonarum & munerum acceptione ob vitæ meritum, & ſapientiæ donum eligantur, ut exemplo & verbo ſibi ſubjectis uſquequaque prodeſſe valeant. diſt. 63. can. Sacrorum canonum.* Attexit decreta quæ Adriano I. & Leoni VIII. tribuuntur perhibere Inveſtituras Epiſcoporum Carolo Magno & Othoni fuiſſe attributas in Synodo. At ne tum quidem vivente Carolo Magno nomen Inveſtituræ erat in uſu, inquit Baronius.

Subjungit Legatos Ludovici Pii qui Romæ erant, dum Adrianus II. eligeretur, ac moleſtè ferrent ſe minimè vocatos ad ejuſmodi electionem, tum demum omnem poſuiſſe animi indignationem, ubi eſt eis reſponſum, conſultò non vocatos fuiſſe, ne Legati Principum Chriſtianorum ſibi aliquid juris in Pontificum Romanorum electione aſſumerent: Et Ludovicum Pium, ubi hæc accepit, valdè Clerum & populum Romanum laudaviſſe, quòd tam dignum elegiſſent Præſulem. diſt. 63. can. Adrianus.

Urget quoque canonem, *Ego Ludovicus diſt. 63.* quo perhibetur Ludovicum Pium memorato privilegio inveſtiendi Eccleſias renuntiaſſe: ideo adulterinum videri, quòd Ludovicus rem cui renuntiaverit, non expreſſerit.

Objicit Inſuper Adrianum II. in octava Synodo generali ſtatui curaviſſe, ut nullus Laicorum ſe penitùs Epiſcoporum electionibus immiſceret, neque ibi ullam fieri mentionem privilegii inveſtiendi, aut etiam revocationis ejuſdem, idque argumento eſſe memoratum privilegium, & ejuſdem revocationem omnino eſſe fictitia.

Item tom. 10. ad annum Chriſti 853. quædam Synodi Sueſſionenſis capita, atque inter alia hoc laudat, quo perſuadere vult Carolum Calvum liberam reliquiſſe Epiſcopis electionem Epiſcoporum. *Sciant etiam fideles noſtri*, inquit Rex, *quia conceſſimus in Synodo venerabilibus Epiſcopis, ne ſuper beneficia Eccleſiaſtica vel præſentatorias (etiamſi Epi-*

Digitized by Google

Epiſcopus aut quilibet Monaſteriorum Prælatus jura rationabiliter petierit) *præcepta confirmationis noſtræ ullo modo faciamus, & ideo ab irrationabili petitione ſe unuſquiſque compeſcat.* Quæ quidem ſæpè recoquit, inque omne latus verſat paſſim in ſuis Annalibus, quæſitâ ad eam rem occaſione.

Siquidem tom. 2. ad annum Chriſti 1091. Ivonem Carnotenſem graviter corripit quòd Epiſtolâ 60. ad Hugonem Archiepiſcopum Lugdunenſem, *nimis abjectè, imò deſpectè loquatur de Inveſtituris vetitis: quæ niſi Ivo correxiſſet in aliis Epiſtolis, famam ſuam & nomen glorioſum, quod ex defenſione Apoſtolicæ ſedis & Catholicæ veritatis ſibi digniſſimè comparaverat, in diſcrimen maximum adduxiſſet.*

Subjungit Urbanum II. quid paſſum humani his Ivonis litteris acceptis, ac vehementer Ivonem commotum, cujus iræ pondus ipſe Ivo non ferens, eò deſperationis adductus eſt, ut ſe ab Epiſcopatu abdicare ſtatuerit.

Inſuper ad annum 4. tom. 12. Annalium Epiſtolam 233. Ivonis ad Henricum Abbatem Angeliacenſem venditat, in qua illum ait damnare Inveſtituras, & acta Gregorii VII. atque Urbani II. ſtrenuè defendere his verbis: *De Inveſtituris Eccleſiarum quas Laici faciunt, ſententiam præcedentium Paſtorum Gregorii & Urbani quantum in me eſt, laudo atque confirmo. Quocumque autem nomine talis pervaſio propriè vocetur, eorum ſententiam qui Inveſtituras Laicorum defendere volunt, ſchiſmaticam judico. Nec iſta contra Dominum Papam dico, quia quibuſdam litteris mihi ſcripſit ſe coactum feciſſe quod fecit, & adhuc prohibere quod prohibuit: quamvis quædam nefanda quibuſdam nefandis ſcripta permiſerit* (*de Paſchali II. loquitur*). *Et quia verenda Patris debemus potiùs velare quàm nudare, familiaribus & charitatem redolentibus litteris admonendus mihi videtur ut ſe judicet, aut factum ſuum retractet. Quod ſi fecerit, referamus Deo gratias, & gaudeat nobiſcum omnis Eccleſia quæ graviter languet, dum caput ejus laborat tantâ debilitatum moleſtiâ. Si autem hoc languore inſanabiliter ægrotaverit, non eſt noſtrum de Summo Pontifice judicare. Habemus enim Euangelicam ſententiam quæ ſecuros nos facit. Super Cathedram Moſis ſederunt Scribæ & Phariſæi: quæ dicunt ſervate & facite: ſecundùm verò opera eorum nolite facere. Vult enim hæc ſententia præcepta præſidentium ad Cathedram pertinentia obedienter impleri, etiamſi tales ſunt quales erant Phariſæi, non eos factioſâ conſpiratione à ſuis ſedibus removeri. Si verò ea præcipiant quæ ſint contra doctrinam Euangelicam vel Apoſtolicam, ibi non eſſe eis obediendum exemplo docemur Pauli Apoſtoli, qui Petro ſibi prælato non rectè incedenti ad veritatem*

Digitized by Google

ritatem Euangelii in faciem reſtitit, non tamen eum abjecit. Ubi enim ſuccumbunt humana judicia, divina eſt expectanda miſericordia, quatenus inſitorum conſervanda pace ramorum, & ipſi qui præciſi ſunt, unitati Eccleſiæ ſtudeant reformari & inſitorum ramorum ſocietate lætari: alioqui nec præciſi insererentur, nec inſerti fruticare aut florere in tanta turbinum concuſſione permitterentur. Hæc de propoſita quæſtione reſpondeo majorum ſententiis non præjudicans, quæ paci Eccleſiæ conſulant & ædificationi.

Et Hæ ſunt collectiones unde Baronius argumenta promit contra jus Inveſtiturarum: quarum collectionum Analyſim ſigillatim & bona fide proponemus, & ad ſexdecim capita facilitatis gratiâ revocabimus. Primum: quod ad factum Theodorici Regis Gothorum attinet, profiteor ei me nolle patrocinari. Quòd verò Baronius perhibet illum omnium primum ſuo aſſenſu ſibi tyrannicè auctoritatem confirmandi Epiſcopum Romanum arrogaſſe, falſiſſimum eſt, ut ex cap. præcedenti liquet; neque verò ratio confirmandæ electionis per magiſtratum civilem tyrannis, ſed jus legitimum eſt, quia Rex tanquam caput populi dominusque Reipublicæ ſuo aſſenſu activam Cleri electionem debet comprobare: hîcque ut jam aliàs dixi de recto uſu, non de abuſu Principum diſputo, & ab hoc aut illo Principe Orthodoxo vel hæretico penitùs abſtraho atque ſuſpendo animum. Quoniam juxta morem Eccleſiæ primitivæ, Orthodoxos hæreticis Principibus ſæpe in illis obtemperaſſe legimus, quæ ad eorum jus temporale ſpectabant. Quòd ſi Theodoricus qui Arrianus erat, Clericos prohibuiſſet quominùs Epiſcopum Orthodoxum adoptarent, illos potiùs fortiter emori quàm id pati oportebat. Cùm autem id minimè impediret, ſed tantùm vellet Epiſcopum liberè ab Orthodoxis electum gratum habere, profectò id patienter ferre atque tempus expectare debebant Orthodoxi, quo Deus ſuâ immensâ miſericordiâ Eccleſiam ſub Orthodoxis Principibus florere vellet. Procul dubio omnes Imperatores tanquam urbis atque Imperii Domini, jure ſuo ſibi auctoritatem approbandæ electionis Romanorum Pontificum abſque ullo ſacrilegio aut tyrannide vendicare potuerunt, præſertim verò inclinante Imperii majeſtate; cùm longè à Roma abeſſe cogerentur propter gentium externarum invaſiones in Imperium, & periculum eſſet ne prætextu Religionis Seditiones in urbe foverentur. Enimverò Princeps jure divino naturali pacem & tranquillitatem publicam tueri, atque operam dare tenetur quo omnia ordinatè fiant: utque aliàs dixi, ſi Eccleſiaſtici

ſuas opponant libertates; & immunitates, viciſſim Principes ſuas aſſerant.

Secundò mirabile eſt Baronium repentinum Theodorici interitum ad hanc cauſam privatim referre, immemorem præcepti Dominici prohibentis ne de occultis & Deo reſervatis judicium feramus. Adde etiam Baronium innumera alia ſcelera Theodorici numerare, quibus mors ejuſdem potius adſcribenda foret; ut quòd Joannem III. Papam carceris acerbitate necaverit, plurimoſque ſenatores piiſſimos & integerrimos, atque inter alios Boëtium & Symmachum crudeliſſimo affecerit ſupplicio.

Tertiò, quam ob cauſam Imperatores Cathedraticum à Romanis Pontificibus exegerint, neſcio quidem, neque hoc oneris ut legitimè impoſitum probo. Tantùm dico Eccleſiaſticos teſte B. Thoma Commentariis in cap. 13. ad Rom. teneri ad tributum ſolvendum, & ex privilegio Principum dumtaxat liberos eſſe ab ejuſmodi oneribus. Quocirca neceſſitate exigente propter temporalia quæ poſſident, Principes tributa & Cathedraticum exigere poſſunt ab Eccleſiaſticis.

Quartò de querela S. Gregorii jam non ſemel dixi ad abuſum, non ad legitimum uſum eſſe referendam capite præcedenti in explicatione *Canonis Salonitanæ Eccleſiæ diſt.* 63. Porrò hæc Viri Sanctiſſimi verba: *quoſcumque habere poteſt perverſitatis ſuæ ſocios, eos à conſortio Chriſti efficit alienos.* Clarè demonſtrant illum non loqui de Mauritio Cæſare pio & maximè Catholico Imperatore, ſed potius de impio Longobardorum Rege Agilupho, qui ſtrictiſſimâ obſidione urbem affligebat. Cæterùm neſcio quidnam Sanctiſſimus Pontifex velit, dum ait Chriſtum dixiſſe B. Petro ſpecialiter: *Tibi dabo Eccleſiam meam.* Quoniam hæc à Chriſti oraculo valdè diſcrepant Matt. 16. *Tibi dabo claves regni Cœlorum.* Et blandiente Cathedrâ viro humillimo excidiſſe videntur, quandoquidem Petrus eſt tantùm Miniſter & paranymphus ſponſæ, ut ait S. Bernardus.

Quintò Baronius commemorans Zachariæ Papæ privilegium Pipino indultum, fruſtrà politicos Magiſtratus ſugillat, inducitque Reges nullum planè jus in rebus Eccleſiaſticis habere: quam in rem lege quæ capite præcedenti numero decimo obſervavimus de hoc Zachariæ privilegio.

Sextò hiſtoriæ veritas plus ſatis Sigebertum à calumniis Baronii vendicat: de qua veritate conſule quæ capite præcedenti, & hoc ipſo ad-

Digitized by Google

adverſùs argumenta Bellarmini lucubravimus. Cæterùm quis non ſtupeat de univerſi orbis Chriſtiani cæcitate: quandoquidem ſi fides Baronio & Jeſuitis, nullus ante hæc infelicia tempora, quibus *poteſtas Papæ in abdicandis & occidendis Regibus aſſeritur*, videre potuit *Canonem*, *Adrianus*, *& Canonem in Synodo diſt. 63. confictã eſſe à Sigeberto*. Ratio eſt quoniam Jeſuitarum conſpicillis carebamus, ſcilicet, ô monſtruoſa ocularia quibus mundus univerſus factionibus miſcetur, atque poteſtas politica jure divino conſtituta diruitur, ut abſoluta Papæ Monarchia contra Legem gratiæ exædificetur, ſicut infrà capite ſeptimo hujus libri probabitur.

Septimò fruſtrà eſt Baronius, dum ex Eguinardo efficere vult Carolum Magnum non potuiſſe Synodo intereſſe, qua memoratum privilegium ab Adriano I. conditum eſſe perhibetur. Enimverò omnia apprimè temporibus conveniunt, quoniam obſeſſio Ticini diuturna fuit, & Carolus Bernardum avunculum ſuum obſidioni præfecit, ut Paulus Æmilius teſtatur. Itaque Carolus ſuo primo adventu in urbem, tempore obſeſſionis Ticini, Synodum convocari & celebrari curavit, ut Scriptores Galli, atque inter alios Belloforetus omnium diligentiſſimus narrat. Nihil autem neceſſe fuit ut Carolus Synodo intereſſet, quando Canon, Adrianus, conditus eſt. Hercle in ratione temporum, quamquam unus aut alter annus hiſceret, id negligentiæ & incuriæ Scriptorum illius ſæculi barbari oporteret adſcribi: maximè verò quòd nullus auctor ſæculo Caroli Magni ejuſdem hiſtoriam accuratè ſecundùm omnes circonſtantias ſibi deſcribendam propoſuerit: Sed unus rem unam; alius aliam ſparſim & per modum Chronologiæ delibavit. Quamobrem ubi de re aliqua inter omnes conſtat, non eſt de circumſtantiis tantopere laborandum, præſertim in ratione Chronographiæ. Procul dubio Baronius meminiſſe debuit ſe ut plurimùm antiquos erroris & negligentiæ arguere in ratione temporum ſubducenda; & nihilominus de rebus ipſis quæ narrantur planè cum aliis conſentire. Præterea attexendum eò faciliorem fuiſſe ejuſmodi Concilii convocationem, quòd tempore Caroli Magni mos eſſet ut multi Epiſcopi & Abbates frequentes eſſent in comitatu Regum Franciæ, atque bellicas expeditiones ſequerentur, & angarias bellicas perſolverent, poſtquam beneficio Regum Eccleſiæ ditione temporali locupletatæ ſunt: veriſimileque eſt etiam frequentiorem hunc numerum fuiſſe Clericorum propter Italicam expeditionem: quoniam permultos vi-

Digitized by Google

dendæ urbis & ſalutandæ ſedis Apoſtolicæ ſtudium ſollicitos habebat.

Octavò jam docui ſuprà falsò Sigebertum accuſari à Bellarmino & Baronio, quaſi auctor eſſet Decreti Leonis VIII. cùm nullam mentionem Leonis fecerit, atque ejuſmodi Decretum extet in ſola Ivonis Pannomia, &c.

Nonò, quòd Baronius prætexit Leonem VIII. non fuiſſe legitimum Pontificem, id argumento eſt illum cenſere reverà Leonem, non Sigebertum auctorem eſſe memorati canonis *in Synodo*. Verùm nullus antequam eſſet Bellarmini & Baronii conſpicillis excæcatus, videre potuit Leonem VIII. non fuiſſe legitimum Pontificem: quod ipſum Ciaconius Scriptor obnoxius non obſcurè indicat in vita Joannis XII. ubi enim narravit illum à nemine judicari, aut abdicari potuiſſe, quamquàm eſſet prodigioſæ libidinis, tandem hæc ſubnectit: *Illud tamen advertendum*, ait, *licèt Leo Schiſmaticus Papa fuerit, tamen ab ejus nominis & numeri notâ rationem haberi ab hiſtoricis in recenſendis aliis Pontificibus, qui Leonis nomine ſunt vocati.* Item Bellarminus libro 2. de Romano Pontifice cap. 29. nominatim ait multos Doctores ſenſiſſe Joannem XII. deponi potuiſſe. Debebat autem dicere omnes Doctores & Scriptores id ſenſiſſe ante Cardinales Turrecrematam, & Cajetanum, qui ut abſolutam Papæ Monarchiam fulcirent, ſcripſerunt Papam ob ſolam hæreſim poſſe deponi. At verò qua facilitate ab hominibus obnoxiis aſſeritur, Papam à nemine judicari, eadem quoque negatur: quam in rem diſputavi in defenſione libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate, & axiomate 17. Apologiæ.

Decimò. caput 84. Libri prioris Capitulariorum Caroli Magni, quod Baronius habet oſtentui, ut demonſtret Carolum liberam reliquiſſe electionem Prælatorum, &c. Poteſt quidem optimè ſtare cum privilegio, quando liquet ex Lupi Abbatis epiſtola, nec non ex Hincmaro capite præcedenti laudato Franciæ Reges aliquando liberam permiſiſſe electionem Clero & populo, & aliquando uti voluiſſe ſuo jure & privilegio. Nam ſæpè uſu eveniebat ut Princeps illos ipſos quos Clerus & populus elegiſſet, gratos haberet, atque electionem confirmaret. Itaque hoc Capitulum à Baronio laudatum de communi & ordinario jure debet intelligi: privilegium autem ad jus extraordinarium ſpectat, quia eſt Lex prima.

Undecimò. Quod urget nomen Inveſtituræ non uſitatum fuiſſe Ca-

Digitized by Google

Caroli Magni tempore, de nomine, non de re diſputat, & ſibi ipſi contradicit, ut Franciſcus Pithæus auctor eſt in gloſſario ſuper Caroli Magni Capitularia, verbo *veſtitura*, ubi ait *ſe valdè mirari virum multæ & variæ lectionis aſſerere, ne ipſum quidem nomen Inveſtituræ temporibus Caroli Magni fuiſſe in uſu: ſaltem meminiſſe potuit canonis quem ex Synodo Lypſinenſi ad annum* 743. *ipſe exſcripſit, qui ſic habet: Eccleſia cum propria pecunia reveſtita ſit: extatque apud Benedictum Levitam lib.* 5. *Capitularium cap.* 3. Hæc Pithæus.

Duodecimò: quæ Baronius poſt Gratianum de expoſtulatione Legatorum Ludovici Pii commemorat, clarè praxim anteactis ſæculis ſervatam in electione Romanorum Pontificum demonſtrant. Quæ autem de Legatorum memoratorum, atque de Imperatoris placatione & reſponſione ſubjiciuntur à Gratiano duce partium, non carent quidem ſuſpicione commenti: quia Gratianus ſarcinator decreti in eo totus laborat ut probet privilegium Inveſtiturarum à Ludovico Pio abrogatum fuiſſe: quocirca memoratam Ludovici renunciationem prædicto canoni, *Cum Adrianus*, ſubnexuit, & quæcumque ad hanc rem conducere putat, artificiosè effingit. Porrò querela hæc Legatorum Ludovici Pii convincit numquam Ludovicum abrogaſſe illud privilegium, quo Reges Franciæ & Imperatores in Pontificum Romanorum electionibus potiebantur, & conſequenter canonem: *Ego Ludovicus*, eſſe fictitium.

Decimò tertiò dum aſſerit canonem, *Ego Ludovicus diſt.* 63. eſſe ſuppoſititium, quia Ludovicus non declaravit rem cui renuntiavit. Fallit quidem à non cauſa pro cauſa. Quod enim allegat Baronius, non valida & neceſſaria eſt cauſa ad probandum fictionem canonis: Sed aliud quod non eſt premendum ſilentio: putà à multis ſæculis hoc curiæ Romanæ ſcriptoribus propoſitum, ut fingant & ſupponant quæcumque facere arbitrantur ad abſolutam infallibilem Papæ monarchiam conſtituendam. Ex quo fit ut omnes tomi Conciliorum innumeris ejuſmodi commentis & ſcriptis fabuloſis ſcateant, quæ à Jeſuitis & Baronio mordicùs tanquam vera & indubitata defenduntur, ut aliàs dicetur.

Decimò quartò, dum obtendit Adrianum II. in octàva Synodo Generali ſtatim curaviſſe, ut nullus Laicorum ſe electioni Epiſcoporum immiſceret, &c. Cauſam ſuam nihil promovet, quia decretum octàvæ Synodi optimè poteſt ſtare cum privilegio, ut docuimus in ſolutione argumentorum Bellarmini: ſiquidem octava Synodus paſ-

Digitized by Google

ſivam electionem populi & Principum politicorum non prohibet; ſed duntaxat cavet ne libera Cleri electio vitietur, *& ne quid fiat per verſutiam atque tyrannidem Principum.* Sicut à Michaële Imperatore factum fuerat in causâ B. Ignatii, ut Phocius ad Epiſcopatum Conſtantinopolitanum contra regulas Patrum eveheretur.

Decimò quintò, Capitulum Synodi Sueſſionenſis, quo Rex prohibet Eccleſiaſticis, ne ſuper beneficia Eccleſiaſtica præſentatorias litteras ſibi offerant ad præceptum confirmationis regiæ obtinendum: poteſt etiam rectè cum privilegio cohærere; ita ut ſenſus ſit Regem nolle quemquam à ſe poſtulare aliquo inveſtiri aut donari beneficio, aut etiam confirmationem aliquam, niſi prius canonica electio præiverit: quia ut demonſtratum eſt, Reges plerumque jus ordinarium decurrere patiebantur. Vide reſponſionem ad decimum argumentum Baronii. Cùm ergo Reges jure privilegii Inveſtiturarum, id habuiſſent ab Adriano I. ut ad eorum ſolam nominationem & commendationem, Epiſcopi aut Abbates quos laudaverant, ſtatim conſecrarentur & ordinarentur abſque ulla prævia Cleri & populi electione: hoc capite Synodi Sueſſionenſis prohibent ne quiſquam à Rege petat aliquod ſibi concedi beneficium, niſi electio canonica præceſſerit. Vel etiam cavere voluit Synodus, ne quis à Rege prælaturas ambiret, ſed libera nominatio Regis permaneret.

III. Decimò ſextò ex Epiſtolis Ivonis quatuor præſertim argumenta promit Baronius contra Inveſtituras: Primùm, quod ait Ivonem indignè atque abjectè loquutum de Inveſtituris Epiſtolâ 60. ad Hugonem Lugdunenſem Archiepiſcopum, atque ejuſmodi ſcriptione famam & nomen glorioſum, quod anteà conſecutum erat ex defenſione Catholicæ veritatis & Sedis Apoſtolicæ commaculaſſe, &c. Hoc ipſo nos edocet quidnam ſit apud Baronium, ejuſque Aſſeclas Catholicam veritatem & Sedem Apoſtolicam defendere: nimirum omnia ejus imperata, quamvis publicam Eccleſiæ & regnorum omnium pacem & unionem conturbent, perfractè tanquam fidei Catholicæ decreta defendere: hoc enim Gregorii VII. decretis ſuper Inveſtituras agebatur, ut capite ſequenti clariſſimè patebit. Cæterùm quas Ivo rationes pro Inveſtituris protulit in Epiſtola memorata ad Lugdunenſem Archiepiſcopum ejuſmodi ſunt, ut expugnari nequeant. Conſule, Lector, caput præcedens, ubi habes analyſim Epiſtolæ Ivonis.

Secundò quod perhibet Baronius Urbanum propter defenſionem Inve-

Inveſtiturarum gravius in Ivonem commotum, vix fidem ei habeo, quia Ivo Epiſtolâ 60. ad Hugonem Archiepiſcopum Lugdunenſem nominatim aſſerit *Domnum Urbanum Reges tantùm à corporali Inveſtitura excludere, non ab electione, in quantum ſunt caput populi, vel etiam à conceſſione Epiſcopatûs*, ut capite præcedenti pluribus oſtenſum eſt. Cùm ergo Carnotenſis Epiſcopus hîc de Inveſtituris loquatur ex Urbani ſententia, id argumento eſt Urbanum non eam ob cauſam ſimpliciter adversùs Ivonem excanduiſſe: Sed quia Archiepiſcopo Lugdunenſi quædam reſcripſiſſet adversùs Primatum ſuum in cauſa Senonenſis Archiepiſcopi quem ſibi præſentari volebat, antequam conſecraretur, idque adversùm canones & morem uſitatum, eamque ob rem canonem Zozimi Papæ Curiæ quidem Romanæ formidoloſum laudaſſet, *contra ſtatuta Patrum condere aliquid, vel mutare ne quidem hujus Sedis Apoſtolicæ poteſt auctoritas. Apud nos enim inconvulſis radicibus vivit Antiquitas, cui decreta Patrum ſanxere reverentiam* 25. *quæſt*. 5. *canone contra ſtatuta.* En igitur præcipua cauſa fermenti Urbani Papæ erga Ivonem, quòdque etiam de nonnullis Eccleſiæ Romanæ corruptelis liberius loqueretur.

Tertiò non aliquâ ductus deſperatione, ut fingit Baronius, Ivo Epiſcopatum ejurare voluit, ſed animo excelſo & verè Chriſtiano. Unde Urbano Gallicâ libertate ſic reſcribit Epiſtolâ 67. *Se litteris quas ad Lugdunenſem Archiepiſcopum miſerat, nihil aliud intendiſſe, niſi quòd propter crebras invectiones ac murmurationes adversùs Romanam Eccleſiam, quibus quotidie tinniunt aures meæ, per Dominum Archiepiſcopum Lugdunenſem veſtra ſollicitudo præmuniretur, quatenus cum vicariis Romanæ Eccleſiæ ſic veſtra decreta libraretis, ut Eccleſia non gravaretur, & eorumdem decretorum tranſgreſſor ſuâ ſententiâ mulctatus, aliis ſe corrigendi exemplum præberetur, & fama veſtra illibata ſervaretur, &c. Ego*, inquit, *de me ſic ſentio, quod non eſt aliqua perſona tranſmontana, quæ pro fidelitate veſtra, pro aſſertione præceptorum veſtrorum tot contumelias pertulerit; tot injurias acceperit: Sed quia illa verba, quæcumque occaſione animum veſtrum exacerbaverunt, non eſt meum adversùm vos intrare in judicium: malo enim Epiſcopatui renuntiare, quàm iram veſtram juſtè vel injuſtè ſuſtinere. Hæc ſatisfactio ſi placuerit Veſtræ Paternitati, placet & meæ parvitati, hanc ſi placet, accipite: Si plus placet, plus addite. Si deſiſto eſſe veſter ſervus, non deſiſtam veſter eſſe filius. Et ſicut expertus ſum ante Epiſcopatum, plus potero prodeſſe in Eccleſia Dei exemplo privatus quàm verbo prælatus. Gratiſſimum enim mihi eſt nudum nudam Chri-*

Chriſti crucem portare, &c. Quæ verba oſtendunt cauſam ob quam Urbanus in Ivonem exarſit, non eam eſſe quam fingit Baronius, ſed quia de Romanæ Eccleſiæ corruptelis verba feciſſet. Verùm ſæpe aliàs Ivo meditatus eſt ejurationem Epiſcopatûs ob difficultates quas in eo adminiſtrando experiebatur.

Quartò notandum Ivonem Epiſtolâ 60. ad Hugonem Lugdunenſem Archiepiſcopum, & 190. ad Paſchalem II. jus Inveſtiturarum ex rei veritate propugnare, ut capite præcedenti oſtendimus. In Epiſtola verò 233. ad Henricum Abbatem Angeliacenſem, diſputationem de Inveſtituris tanquam ad ſtatum politicum Eccleſiæ ſpectantibus texere.

IV. Quod ut intelligatur, operæ pretium eſt ſcire Henricum V. Henrici IV. Imperatoris filium, quem Curia Romana adversùs proprium patrem armaverat, patre mortuo, etiam jura Imperii ſtrenuè propugnaſſe, atque vi armatâ Urbem invaſiſſe, & à Paſchali II. petiiſſe ut coronaretur. Inſuper etiam declaraſſe quòd non tam pro Inveſtituris retinendis, quàm pro Majeſtate Imperii vindicanda laboraret, omnibuſque compertum eſſe Carolum Magnum, Ludovicum Pium, Othonem, atque alios Imperatores ingentibus opibus, Provinciis, Ducatibus, Marchionatibus, Urbibus, Caſtellis, &c. quæ juris erant imperialis, Eccleſias certatim colocupletaſſe, eo ipſo quòd potirentur jure Inveſtiturarum. Quare jam planè iniquum eſſe, ſi Inveſtituras ejuraret, illas opes cum tanta Imperii ruina penès Eccleſiaſticos remanere. Quibus rationibus, aut potius armis Cæſaris, Paſchalis cum Clero Romano permoti hoc ſciverunt decretum, quo pollicentur ſe omnia Regalia quæ Eccleſia ab Imperatoribus habuerat, Imperio reſtituturos: atque viciſſim Imperator ſe jus Inveſtiturarum ejuraturum ſpondet. *Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Dilecto filio Henrico Regi, & ejus ſucceſſoribus Imperatoribus, &c. Divinæ legis inſtitutionibus ſancitum eſt, & ſacris canonibus interdictum, ne Sacerdotes curis ſæcularibus occupentur, neve ad comitatum, niſi pro damnatis eruendis, atque pro aliis qui injuriam patiuntur, accedant. Unde & Apoſtolus Paulus inquit: Judicia ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum. In veſtris autem regni partibus, Epiſcopi vel Abbates adeò curis ſæcularibus occupantur, ut comitatum veſtrum, aſſiduè frequentare & militiam exercere cogantur, quæ nimirum aut vix, aut nullomodo ſine rapinis, Sacrilegiis, incendiis, aut homicidiis exhibetur: Miniſtri verò Altaris, miniſtri Curiæ facti ſunt, quia civitates,*

Digitized by Google

tes, Ducatus, Marchionatus, monetas, turres & cætera ad regni ſervitium pertinentia à Regibus acceperunt. Unde etiam mos Eccleſiæ intolerabilis inolevit, ut electi Epiſcopi nullo modo conſecrationem acciperent, niſi priùs per manum regiam inveſtirentur: aliquando etiam vivis Epiſcopis inveſtiti ſunt. His & aliis plurimis malis, quæ per Inveſtituram plerumque contigerant, Prædeceſſores noſtri Gregorius VII. & Urbanus II. felicis memoriæ Pontifices excitati, collectis frequenter Epiſcopalibus conciliis, Inveſtituras illas manûs laicæ damnaverunt. Et ſiqui Clericorum per eam tenuiſſent Eccleſias, deponendos; Datores quoque communione privandos percenſuerunt juxta illud Apoſtolorum canonum capitulum, quod ſe ita habet: Siquis Epiſcopus ſæculi poteſtatibus uſus, Eccleſiam per ipſas obtineat, deponatur, & ſegregetur, omneſque qui illi communicant, quorum veſtigia ſequentes & nos eorum ſententiam Epiſcopali concilio confirmamus. Tibi itaque, fili chariſſime, Henrice Rex, & nunc per officium noſtrum Dei gratiâ Romanorum Imperatori & regno Regalia illa dimittenda præcipimus, quæ ad regnum manifeſtè pertinebant tempore Caroli, Ludovici, Othonis, & cæterorum Prædeceſſorum tuorum interdicimus, etiam & ſub anathematis diſtrictione prohibemus, nequis Epiſcoporum, ſeu Abbatum præſentium vel futurorum eadem Regalia invadant, id eſt Civitates, Ducatus, Marchias, Comitatus, Monetas, Telonium, Mercatum, Advocatias, jura centurionum, & turres quæ regni erant cum pertinentiis ſuis, militiam & caſtra; & ne ſeſe deinceps niſi per gratiam Regis de ipſis Regalibus intromittant. Sed nec poſteris noſtris liceat, qui poſt nos in Apoſtolica Sede ſeſſuri erunt, aut te, aut regnum ſuper hoc inquietare negotio. Porrò Eccleſias cum oblationibus & hæreditariis poſſeſſionibus quæ ad regnum non manifeſtè pertinebunt, liberas manere decernimus, ſicut in die coronationis tuæ Omnipotenti Domino in conſpectu totius Eccleſiæ promiſiſti. Oportet enim Epiſcopos curis ſæcularibus expeditos, curam ſuorum agere populorum, nec Eccleſiis ſuis abeſſe diutiùs: Ipſi enim juxta Paulum Apoſtolum pervigilant. Tanquam rationem pro animabus eorum reddituri, &c.
Quod decretum Paſchalis Cæſar extorſit captâ urbe; ejuſque meminit Otho Friſingenſis lib. 7. cap. 14. Chronici: vixque credibile eſt quantùm odii concitarit Paſchali apud totum Ordinem Eccleſiaſticum, qui neque Regalia Imperio reddere, neque Imperatorem Inveſtituris frui volebat: dolebatque Clerum ex opulentiſſimo ſtatu ad ſummam tenuitatem, ne dicam paupertatem Apoſtolicam redigi. Ipſe Imperator qui optimè cernebat ejuſmodi decretum non poſſe mitti in rem judicatam, tandem Pontificem adegit, ut aliud pactum

Digitized by Google

ſecum iniret, atque liberas Inveſtituras Cæſari permitteret ut anteà: cujus quidem pacti Baronius meminit tomo 12. ad annum Chriſti 1112. Et Franciſcus Juretus Commentariis in Epiſtolam 236. ad Joannem Lugdunenſem Archiepiſcopum. Summa hujus Concordati fuit, *ut liberâ factâ à populo & Clero Electione, ſine vi & ſimoniâ de conſenſu Regis, ipſe Rex facultatem haberet inveſtiendi per virgam & annulum, atque electus à Clero non conſecraretur, niſi prius à Rege inveſtiatur.* Propria ſunt verba Baronii. His ergo de cauſis Paſchalis II. cùm magno flagraret odio apud totum Ordinem Eccleſiaſticum, hoc retractavit & abrogavit privilegium, quamprimum evaſit liber ex Imperatoris cuſtodia; idque hac Epiſtolâ ſignificavit Guidoni Archiepiſcopo Viennenſi Sedis Apoſtolicæ Legato: *Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Viennenſi Archiepiſcopo Guidoni, & Apoſtolicæ Sedis Legato ſalutem & Apoſtolicam benedictionem: Si conſtantiam tuam ſæva illa barbaries minis, blandimentis, aut aliis modis tentat inflecti, prudentia tua immobilis perſeveret: Si enim in viridi ligno factum eſt, quid fiet in aliis? Si in capite ſic perpetratum eſt, quid fiet in membris? Igitur, frater chariſſime, in tuo bono incepto conſtanter & viriliter Deo præſtante maneas. Minæ vel blandimenta, vel alii ſuaſionis aut diſſuaſionis modi providentiam tuam non moveant, ſed ita Domino auxiliante perdura, ut aliis tua conſtantia ſalutaris perſeverantia ſit exemplum. Quæ cognoſcere poſtulaſti hæc ſunt: ſcripta quæ in tentoriis, in quibus cum multitudine Clericorum & civium urbis & totius provinciæ cuſtodiebantur pro libertate Eccleſiæ, & pro abſolutione captivorum omnium, & pro exilio quod Eccleſiæ, urbi, & univerſæ provinciæ ſuperincumbente undique gladio imminere videbatur de electione ſeu de Inveſtituris perſonarum facta ſunt; videlicet ut electione liberâ factâ ſine vi & ſimonia, conſenſu Regis, facultatem habeat Rex inveſtiendi per virgam & annulum; & electus à Clero & populo non conſecretur, niſi à Rege inveſtiatur: Ego canonicâ cenſurâ caſſa omninò & irrita judico, & ſub damnatione perpetua permanere decerno, ut nullius umquam auctoritatis ſint, & nullius bonæ memoriæ: Ea verò quæ ſacri Apoſtolorum canones, & Antiochenum ac univerſa Concilia & prædeceſſores noſtri, & præcipuè felicis memoriæ Domnus Gregorius & Urbanus de his prohibuerunt, damnaverunt, ſtatuerunt & confirmaverunt, illorum Sanctiones profiteor ſervaturum.* Quam Epiſtolam leges apud Baronium tom. 12. initio anni 1112. nec non apud Franciſcum Juretum Commentariis in Epiſtolam Ivonis 236. hoc igitur tempore quo Clerus univerſus contra Paſchalem fremebat,

Galli-

Digitized by Google

Gallicana Eccleſia in Ivonem tanquam in ſolem oculos conjiciebat, ab eoque petebat quidnam de ejuſmodi controverſia ſentiret. Hic autem cùm videret omnes prætextu aſſerendæ libertatis Eccleſiaſticæ vehementer laudare geſta & conſtantiam Gregorii VII. atque Urbani II. Contrà autem Paſchalem levitatis & inconſtantiæ accuſari. Hanc quidem viam & rationem ſibi ineundam cenſuit, ut prudenter tempori inſerviret, atque Paſchalem excuſaret juxta regulam juris de iis quæ vi, metuſque causâ fiunt. Quam obrem in Epiſtola 233. ad Abbatem Angeliacenſem, ubi primùm Geſta Gregorii VII. & Urbani II. quantùm in ſe eſt laudavit, *Reſpondet Inveſtituras laicas, nullâ factâ diſtinctione, ſi ante vel poſt electionem liberam Cleri & populi fierent, eſſe ſimoniacas, concluditque in hac quæſtione ſe non præjudicare ſententiis Majorum, quæ paci Eccleſiæ conſulant & ædificationi.* Quæ prudens eſt & generalis ſententia tempori accommodata: ſicut & quæ narrat Epiſtolâ 236. ad Joannem Archiepiſcopum Lugdunenſem, quam ei nomine Epiſcoporum Senonenſis provinciæ ſcripſit, cùm Lugdunenſis tanquam primæ Sedis Epiſcopus Synodum generalem Epiſcoporum Galliæ cogere vellet, ut de facto Paſchalis ſanciretur: Imprimis autem monet non eſſe in more poſitum, ut primæ ſedis Epiſcopus Epiſcopos aliarum Metropolium extra provinciam aut Metropolim ſuam evocet ad Concilium, niſi hoc Sedes Apoſtolica imperaret, aut niſi una ex provincialibus Eccleſiis primæ ſedis audientiam appellaret pro cauſis quas intra provinciam & Metropolim propriam terminare non poſſet. Quam in rem Nicolai Papæ Epiſtolam laudat: *de qua can. conqueſtus 9. quæſt. 3. &c.*

V. Secundò docet abſtinendum ab ejuſmodi celebratione Concilii, quando vulgaret pudenda Paſchalis Papæ. Tertiò quoniam videbatur propoſitum Archiepiſcopo Lugdunenſi aliquid adversùs Paſchalem & Henricum Imperatorem in eo Concilio decernere: Ivo prudenter hoc declinat demonſtrans Paſchalem adversùs Cæſarem cenſuras minimè diſtrinxiſſe, quia id fieri non poſſet, quin pax Eccleſiæ violaretur. Quam in rem citat libros Auguſtini contra Parmenianum, de quibus ſuprà actum eſt lib. 3. cap. 4. *His Catholicorum Patrum terminis contenti, quæ poſſumus,* inquit, *ſecundùm decreta Patrum ſalvo pacis vinculo corrigere volumus: quæ autem corrigere non poſſumus, uſque ad meſſem, ſi neceſſe ſit, Domino docente tolerare decrevimus. His verbis excuſatos nos credimus, quòd à laceratione Domini Papæ linguas noſtras reprimimus. Et ſi quid contra ſententiam ſuam ſuorumque prædeceſſo-*

Digitized by Google

ceſſorum de remiſſis Germanico Regi Inveſtituris feciſſe videtur, filiali charitate excuſamus, &c. Unde hunc exceſſum ejus non tantùm non accuſamus, ſed dictante ratione approbamus: Si imminente ſtrage populi, paternâ charitate cum nonnullo vulnere ſuo, ſe tantis periculis voluit objicere, ut majoribus morbis poſſet ſincerâ charitate ſubvenire, &c. Nam zelotes Pontificem damnabant, quòd cenſuris non verberaret Cæſarem: qua de cauſa Epiſcopus Carnotenſis excuſat Paſchalem. Quartò de Inveſtituris hæc ipſa ſubjicit, quæ non diſſimilia ſunt concluſioni Epiſtolæ 233. ad Abbatem Angeliacenſem: *Poſtremò, Quòd quidam Inveſtituram hæreſim vocant, cum hæreſis non ſit niſi error in fide. Sicut enim fides cordis eſt ad juſtitiam: Oris autem confeſſio ad ſalutem: Ita hæreſis error eſt ad impietatem: Profeſſio verò erroris eſt ad perniciem: Et fides & error ex corde procedunt. Inveſtitura verò illa de qua tantus eſt motus, in ſolis eſt manibus dantis & accipientis, quæ bona & mala agere poſſunt; credere vel errare in fide non poſſunt: Adhæc; ſi Inveſtitura hæc hæreſis eſſet, ei renuncians ſine vulnere ad eam redire non poſſet. Videmus autem in partibus Germaniarum & Galliarum multas honeſtas perſonas purgato iſto nævo per quamlibet ſatisfactionem paſtorales virgas reddidiſſe, & per manum Apoſtolicam refutatas inveſtituras recepiſſe, quod Summi Pontifices minimè feciſſent, ſi in tali Inveſtitura hæreſim & peccatum in Spiritum Sanctum latere cognoviſſent. Cùm ergo ea quæ æternâ lege ſancita non ſunt, ſed pro honeſtate & utilitate Eccleſiæ inſtituta vel prohibita, pro eadem occaſione ad tempus remittuntur pro qua inventa ſunt, non eſt Inſtitutorum damnoſa prævaricatio, ſed laudabilis & ſaluberrima diſpenſatio. Quod cùm multi minùs ſtudioſi minimè attendant, ante tempus judicant: Spiritus mobilis & ſpiritus immobilis non intelligentes differentiam. Siquis verò laicus ad hanc prorumpit inſaniam, ut in datione & acceptione virgæ putet ſe poſſe tribuere ſacramentum, vel rem ſacramenti Eccleſiaſtici, illum prorſus judicamus hæreticum, non propter manualem Inveſtituram, ſed propter præſumptionem diabolicam. Si verò congrua volumus nomina dare, poſſumus dicere quòd manualis illa Inveſtitura per laicos facta, alieni juris eſt pervaſio & ſacrilega præſumptio, quæ pro libertate Eccleſiæ & honeſtate, ſalvo pacis vinculo, ſi fieri poſſet, funditus abſcindenda eſt. Ubi ergo ſine ſchiſmate auferri poteſt, auferatur: ubi ſine ſchiſmate auferri non poteſt, cum diſcretâ reclamatione differatur. Nihil enim tali pervaſione demitur Sacramentis Eccleſiaſticis, quominus ſancta ſint, quia apud quoſcumque ſint, ſive apud eos qui intùs, ſive apud eos qui foris ſunt, eadem ipſa ſunt. Hæc ſcripſimus dilectioni veſtræ, parati*

reſel-

Digitized by Google

refelli ſine contumacia, ſi melius his quæ ſcripſimus nos docuerit prudentia veſtra, quod munitum ſit Scripturâ Canonicâ. Valete. Quæ poſtrema clauſula Epiſtolæ Epiſcoporum Senonenſis Provinciæ hæc capit Notabilia. Primum, Inveſtituras neque propriè, neque impropriè dici poſſe hæreticas, cùm hæreſis ſit error mentis qui voce effertur ac enuntiatur: Inveſtituræ autem manu tradentis & accipientis peragantur. Ex qua manuali traditione benè aut malè facta ſolummodo virtus aut peccatum, non hæreſis naſcitur. Secundum: *Inveſtituras non prohiberi aut inſtitui ſpiritu Eccleſiæ immobili.* Hoc eſt Lege divinâ, æternâ & invariabili; *ſed tantùm ſpiritu Eccleſiæ mobili:* id eſt jure humano variabili. Ex quo inſurgit illas, in quantum Eccleſiæ proſunt aut nocent, tolerari vel prohiberi poſſe. Quæ ratio iis planè quadrat quæ leguntur Epiſtolâ 60. Ivonis ad Hugonem Lugdunenſem Archiepiſcopum, ſcilicet *Inveſtituram maximè illicitam fieri prohibitione Præſidentium.* Senſus ergo eſt malas non eſſe ſimpliciter, ſed tantum quia prohibitæ ſunt. Quare Epiſcopi Senonenſes hîc narrant Paſchalem eas in Rege Germaniæ tolerare, & hanc ob cauſam Pontificem excuſant. *Siquid*, inquiunt, *contra ſententiam ſuam ſuorumque Prædeceſſorum de remiſſis Germanico Regi Inveſtituris feciſſe videtur, filiali charitate excuſamus, &c. Unde hunc exceſſum ejus non tantùm non accuſamus, ſed dictante ratione approbamus, ſi imminente ſtrage populi paternâ charitate cum nonnullo vulnere ſuo ſe tantis periculis voluit objicere, &c.* Quæ quidem huic Auguſtini ſententiæ quam Ivo ibidem laudat, planè conformia ſunt: *Siquis frater in aliquo cæteris diſſimili crimine nominatur, & re vera ſi contagio peccandi multitudinem invaſerit, divinæ diſciplinæ ſevera miſericordia neceſſaria eſt: Nam conſilia ſeparationis & inania ſunt & pernicioſa atque ſacrilega; quia & impia & ſuperba fiunt, & plus turbant infirmos bonos, quam corrigunt animoſos malos, &c.* Quare Ivo ibidem hæc alia defigit: *Inveſtitura pro libertate Eccleſiæ & honeſtate ſalvo pacis vinculo, ſi fieri poteſt penitùs abſcindenda eſt. Ubi ergo ſine ſchiſmate auferri poteſt, auferatur: Ubi ſine ſchiſmate auferri non poteſt, cum diſcretâ reclamatione differatur. Nihil enim tali pervaſione demitur ſacramentis Eccleſiaſticis, quominus ſancta ſint, &c.* Quæ clauſula huic alii Epiſtolæ 233. ad Abbatem Angeliacenſem conſentit: *De Inveſtituris Eccleſiarum quas laici faciunt, ſententiam præcedentium Patrum Gregorii & Urbani, quantum in me eſt, laudo atque confirmo.* Item extremâ periodo ejuſdem Epiſtolæ *hac de propoſita quæſtione reſpondeo, majorum ſententiis non præjudicans*

Digitized by Google

quæ paci Eccleſiæ conſulant. Quibus accuratè ponderatis liquet Ivonem & cæteros Senonenſis Provinciæ Epiſcopos magis in ſpeciem, quam ex rei veritate Gregorii VII. geſta violentiſſima laudare, quia tum temporis nemo aliter loqui audebat inter Eccleſiaſticos animosè & perfractè decertantes ut opes Eccleſiaſticas & Regalia cum Inveſtituris prætextu honeſtatis & libertatis Eccleſiaſticæ retinerent. At re verâ illi acta Gregorii VII. eo ipſo damnant quòd pacem Reipublicæ Chriſtianæ turbarent, magnamque populorum lanienam ederent, ac viam certiſſimam ſchiſmati periculoſiſſimo munirent. Quandoquidem finis omnium legum & præceptorum eſt pax & charitas. Rom. 13. vel ut ait Ivo Epiſtolâ 60. tam ſæpè laudatâ: *Omnis inſtitutio Eccleſiaſticarum legum ad ſalutem referenda eſt animarum.*

Tertium notabile eſt, hæreſim eſſe: ſi quis contenderet Laicos cum Inveſtituris ſacramentum, aut rem ſacramenti conferre poſſe. Verùm Carnotenſis Epiſcopus Epiſtolâ 60. clarè oſtendit Reges aut Imperatores hoc non ſibi aſſumere, & continuò hæreſim non contrahere, aut hæreticos non eſſe inveſtiendo Prælatos. Quartò ſtatuunt Inveſtituram manualem Laicorum eſſe juris alieni pervaſionem & ſacrilegam præſumptionem: quæ intelligenda ſunt de abuſu, non de recto, & canonico uſu: aut etiam quia Senonenſes Epiſcopi tempori volunt inſervire, eo quòd tum nullus apertè ſenſum ſuum de Inveſtituris reſerare auderet. Hæcque niſi ita capiantur, ſibiipſis contradicerent, quia paulò ante aſſeruerunt *Inveſtituras non prohiberi ſpiritu immobili Eccleſiæ*, ut ſecundo notabili dictum eſt.

VI. At Viennenſis Archiepiſcopus Guido Legatus Sedis Apoſtolicæ magnus zelotes actorum Gregorii VII. anno 1112. habuit Concilium Viennenſe contra Paſchalis geſta, ut Baronius tom. 12. teſtatur: quo in Concilio decerni curat *Inveſtituram Epiſcopatuum & Abbatiarum & omnium Eccleſiaſticarum rerum de manu laica hæreſim eſſe juxta S. R. E. auctoritatem, quam ſe ſequi dictitat. Item Henricum V. Imperatorem excommunicat, anathematiſat, & à gremio ſanctæ matris Eccleſiæ ſequeſtrat: donec iis omnibus renuntiatis plenam ſatisfactionem Eccleſiæ exhibeat.* Quem Epiſcopi Viennenſis zelum ubi Baronius in Cœlum uſque extulit, tandem rei veritate victus, quaſi cùm zeli imprudentis Archiepiſcopi Viennenſis puderet, hæc ſcribit: *Cæterùm quod audiſti in Viennenſi Concilio ſtatutum hereſim eſſe de manu laica inveſtituram accipere, ſic intelliges ſecundùm ea quæ ex Epiſtola Ivonis ad Joannem Archiepiſcopum Lugdunenſem ſunt ſuperiùs recitata: non ſcilicet quòd ſit*

Digitized by Google

ſit hæreſis ipſas Inveſtituras diſpenſando concedere; ſed aſſerere atque defendere de jure eſſe, & debere fieri per Laicos Inveſtituras, id hæreſim eſſe; cùm ſit falſum dogma bonis moribus & ſacris Patrum inſtitutionibus repugnans. Senſus ergo Baronii, ſicut & Ivonis eſt, *modò Principes diſpenſationem habeant à Papa faciendi Inveſtituras, has eſſe licitas.* Quæ dum apud me reputo, hominum obnoxiorum conatus ſatis vituperare nequeo: quoniam ſingulari veritatis præjudicio illa ipſa quæ magno ſtudio tanquam hæretica impugnarunt, tandem comprobant, atque Romanam Eccleſiam, quæ Inveſtituras velut hæreticas ſub Gregorio VII. damnavit (ut ſequenti capite demonſtrabitur, & Guidonis Viennenſis Archiepiſcopi ſtatutum declarat) erroris manifeſti, ac zeli imprudentis & ſchiſmatis revinciunt. Dic, Baroni, *ſi non eſt hæreſis Inveſtituras diſpenſando concedere, ſed aſſerere & defendere de jure debere fieri per Laicos, ut contendis.* Cur ſexaginta annorum lapſu, igne, ferro, populatione, vaſtitate provinciarum, ſtrage populorum, & peſtilentiſſimo ſchiſmate belligeratum, aut potius cauponaum eſt adversùm Inveſtituras tanquam hæreticas: cùm nullus Principum, nequidem Henricus IV. alio umquam ſibi jure Inveſtituras aſſumpſerit, quàm ex Eccleſiæ conceſſione aut diſpenſatione? Cur tantùm ſanguinis Chriſtiani effuſum, atque Imperium Romanum Reipublicæ Chriſtiani propugnaculum, quæſito atque affićto colore hæreſeos Inveſtituris funditùs dilapidatum & everſum eſt? Cur etiam, Baroni, tu ipſe tribus ingentibus tomis Annalium tantùm operæ atque olei inſumpſiſti, ut Acta Gregorii VII. tanquam infallibilia defenderes: ut poſtremo conatu tuo unâque clauſulâ quæcumque anteà in hanc rem ſcripſeras, damnares? ô magna vis veritatis! Hercle, niſi hîc Romanam Eccleſiam more Patrum antiquorum, ut ſingularem & privatam capiamus, fateri oportet Catholicam Eccleſiam ſeſe Eccleſiæ Romanæ errori implicuiſſe, quòd abſit: cùm Ivonis Epiſtolæ ſupra laudatæ clariſſimè teſtentur Gallicanam Eccleſiam huic ſeſe Camarinæ non immerſiſſe? Quid memorem ipſum Guidonem Archiepiſcopum Viennenſem, poſtquam eſt factus Pontifex anno Chriſti 1122. (nam eum zelus ſuus contra Inveſtituras ad Cathedram Apoſtolicam poſt Paſchalem evexit) hanc conſtitutionem in Henrici V. gratiam edidiſſe, quæ tom. 4. Conciliorum Romæ editorum, & primo Conſtitutionum Imperialium legitur: *Ego Callixtus ſervus ſervorum Dei dilecto filio ſuo Henrico Dei gratiâ Romanorum Imperatori Auguſto, concedo electiones Epiſcoporum & Abbatum Teu-*

Teutonici regni qui ad regnum pertinent in præſentia tua fieri abſque ſimonia & aliqua violentia, ut ſiqua inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani & provincialium conſilio vel judicio ſaniori parti aſſenſum & auxilium præbeas. Electus autem Regalia per ſceptrum à te recipiat, exceptis omnibus quæ ad Romanam Eccleſiam pertinere noſcuntur: Et quæ ex his jure tibi debet, faciat, ex aliis verò partibus Imperii, conſecratus intra ſex menſes Regalia per ſceptrum à te recipiat. De quibus verò mihi querimoniam feceris, ſecundùm officii mei debitum, auxilium meum præſtabo. Do tibi veram pacem, & omnibus qui in pace tuâ ſunt vel fuerunt tempore hujus diſcordiæ. Data anno 1122. *nono Calendas Octobris.* Hactenùs Calixti II. Conſtitutio facta pacis inter Eccleſiam & Imperium ſarciendæ gratiâ. Cæterùm hîc mirâ ſubtilitate tollitur Imperatori *jus Inveſtiendi per virgam & annulum, tanquam per res ad Eccleſiam ſpectantes, quarum loco regium ſceptrum ſubſtituitur.* Equidem pacis obtinendæ deſiderium in cauſa fuit, ut Imperatores jure ſuo in multis cederent: quamquam autem Papa concedat Imperatori, ut conferat Epiſcopis Regalia, quæ Imperii fuerunt, tamen nominatim ea excipit quæ ad Romanam pertinent Eccleſiam: quo nomine urbem, & quod vulgò appellant Patrimonium ſancti Petri intelligit Pontifex. Hæc autem ad Imperium pertinuiſſe nemo tam rudis eſt litterarum qui ignorare poſſit. Quid enim umquam tam Imperii quàm Roma & Italia fuit? En ergo populi & Principum Chriſtianorum pietas, ut ſtudio unionis Eccleſiæ, quam Romana Eccleſia ſub Gregorio VII. diſcerpſerat, ſeſe exuerent: utque Otho Frinſingenſis Epiſcopus loquitur, *eviſcerarent.* Certè præclara vox Gerſonii aliàs à me uſurpata mihi nunc ſuccurrit ex dialogo Apologetico pro actis Synodi Conſtantienſis: *Hoc unum ſcio*, inquit vir piiſſimus, *quod zelus habendæ unionis in ſchiſmate tam deſperato, tantique temporis, fecit multa tolerari quæ fuiſſent aliunde nec tolerabilia nec toleranda.* Cæterùm Guidonis Viennenſis zelus à Sede Apoſtolica obtinuit ut Archiepiſcopi Viennenſes, Primates omnium Primatuum dehinc nominarentur: cùm antea more aliorum Primates tantùm vocarentur. Sed de Gregorii VII. geſtis videamus.

Digitized by Google

CAPUT III.

I. *Geſta Gregorii VII. qui primus auctor doctrinà Regum deponendorum extitit, deprompta ex ejuſdem Epiſtolis analyticè examinantur.*

II. *Qua & quanta molitus ſit adversùs Henricum IV. Imperatorem, etiam antequam conſecratus eſſet Pontifex.*

III. *De ejus confidentia & formulis loquendi ac decernendi anteactis ſaculis inauditâ.*

IV. *Quantùm curæ poſuerit ut ſibi Reges & Regna feudataria efficeret.*

V. *De Juramenti formulis quas Epiſcopis, Principibus, Regibus, atque Imperatoribus tanquam Dominus & Monarcha abſolutus in temporalibus & ſpiritualibus præſcripſit.*

VI. *Imperatorem militem S. Petri & Papæ efficit.*

VII. *Quantis horrendis malis & calamitatibus vehemens Gregorii VII. ingenium, & vincendi ſtudium cauſam præbuerit: quæ mala illum ut aliqua ſua decreta revocaret, impulerunt.*

VIII. *Niſi Galliæ Epiſcopi ejus imperatis obſtitiſſent, totum Franciæ Regnum ſub Interdicto poſuiſſet.*

IX. *Quâ vi & ratione ſibi viam fecerit ad Henrici IV. abdicationem.*

X. *Viginti ſeptem illius Dictatus dogmaticè examinantur.*

XI. *Analyſis Epiſtolæ Gregorii VII. ad Herimanum Metenſem Epiſcopum, in qua ſexdecim argumentis efficere vult Papam præditum auctoritate abdicandi Reges.*

XII. *Octavo argumento perſuadere nititur regiam poteſtatem eſſe à Diabolo.*

XIII. *Nova Judicii forma ante inaudita ad Henricum exauctorandum utitur, eamque iterat.*

XIV. *Imperator quamquam victor ex bello Saxonico rediret, tamen humillimè Gregorio paruit: Et de Gregorii feritate in Cæſarem, cui cauſam obdureſcendi atque arma capiendi præbuit, ut ſeſe & Majeſtatem Imperii tueretur: unde ſchiſma & incredibilis ſtrages ac laniena Chriſtianorum ſequuta eſt.*

XV. *Gregorius excommunicationem ad pœnas temporales & corporales, atque etiam ad felices & infelices vitæ humanæ ſucceſſus refert contra Chriſti inſtitutum.*

XVI. *Tertia forma excommunicationis in Cæſarem duabus prioribus longè terribilior, quâ Gregorius Prophetam agit, polliceturque Henricum IV. falſum Regem intra annum moriturum; ſed eum de falſo Rege vaticinium fefellit: quoniam Rodolphus Sueviæ Rex Cæſari inimiciſſimus, quem Gregorius in Regem Romanorum deligi curaverat, in bello adversùs Henricum Dominum ſuum occubuit.*

XVII. *Objectio Bellarmini ab Epiſtola Stephani Alberſtatenſis petita enucleatur ac diluitur.*

XVIII. *Fruſtrà Baronium & Gretſerum niti, ut Gregorii VII. falſam prophetiam excuſent.*

XIX. *Rodolphi falſi Regis reſipiſcentia in articulo mortis, eò quòd arma in Dominum ſuum Henricum ſumpſiſſet, ejuſque exhortatio ad Epiſcopos qui eum ad hoc facinus exciverant, & Gregorii VII. in eam rem teſtimonium.*

XX. *De Gregorii VII. morte, & utrum geſtorum à ſe in Henricum Imperatorem pœnituerit.*

XXI. *Sigebertum æquiorem eſſe erga Gregorium, dum illum ait pœnituiſſe, quàm alios qui contrarium aſſerunt.*

XXII. *Ratio à Curia Romana Pontificibus inita, ut odium & bellum adverſus Imperatorem continuaretur, & de victoriis Urbani III. & Paſchalis II. ex Ordine S. Benedicti electione ad Papatum.*

XXIII. *Hæc verba Sigeberti de actis Gregorii, Novitas ne dicam hæreſis dogmaticè perpenduntur.*

XXIV. *De Gregorii VII. miraculis à Baronio & Bellarmino relatis: quodque de hominum vita ex convenientia aut diſconvenientia quam cum lege divina & naturali habet, judicandum ſit.*

XXV. *Fructus Actorum Gregorii VII.*

I. PRocul dubio illud ipſum hominibus præventis opinionum præjudiciis, quod Arquatis ſeu regio morbo laborantibus accidere, compertum eſt: hi enim ſicut omnia quæ intuentur, flava; & quæ guſtant, ſubamara eſſe putant: Ita illis veritas quacumque facie & penicillo adumbretur, magnam ſemper nauſeam & faſtidium ingenerat. Quòd ſi ullâ umquam in re aliâ uſu evenit, maximè in controverſia de auctoritate Pontificis Romani: de illa enim, omni relictâ animi moderatione, quaſi de totius Legis Euangelicæ operæ pretio homines obnoxii quæ ſua, non quæ ſunt Chriſti quærentes ab aliquot ſæculis decertant: atque in auctores quos ſibi confutandos proponunt, potiùs conviciis quàm veris & probabilibus argumentis decernunt. Et quoniam in defenſione Libelli Eccleſiaſticæ & politicæ poteſtatis de ſpirituali auctoritate Pontificis: hoc autem opere libro præſertim ſecundo & tertio de poteſtate temporali juxta cauſas eſſentiales & Catholicam ſententiam, ac traditionem Patrum antiquorum diſſeruimus: ſupereſt hoc lib. 4. acta & zelum Gregorii VII. (qui omnium primus poteſtatis temporalis Papæ aſſertor acerrimus extitit) cum cauſis eſſentialibus Legis gratiæ & poteſtatis Eccleſiaſticæ componamus, ut veritas ſibi contrariis oppoſita magis ac magis eluceſcat. Porrò ne hæc noſtra de Gregorio Hildebrando Lucubratio à quoquam falſitatis aut ullius vitii jure argui poſſit, eam ex Gregorii VII. Epiſtolis fideliſſimè depromam. Quæ Epiſtolæ anno 1590. Romæ primùm editæ ſunt, captâ occaſione ex bellis civilibus, quibus poſt execrabilem Henrici III. cædem totum regnum Gallicanum flagrabat, & ſæpè Henrico IV. nex ab parricidiis intentabatur.

II. Ut igitur à principiis ordiamur, Gregorius VII. qui anteà Hildebrandus vocabatur, in Cluniacenſi Cœnobio tum viris pietate, eruditione atque opibus refertiſſimo ſub Odilone Abbate vitam monaſticam profeſſus, & aliquantò poſt miſſus eſt Romam ab eodem Abba-

Digitized by Google

Abbate, quo monaſterii, totiuſque Ordinis Cluniacenſis negotia apud S. S. Apoſtolicam procuraret. Quo in munere obeundo magnum quidem & ingenii & propenſionis ſuæ ſpecimen in Eccleſiaſticâ libertate tuendâ edidit, eamque ob rem ſibi Curiæ Romanæ gratiam altiſſimè comparavit. Nam cùm à multis ſæculis hæc inoleviſſet conſuetudo, ut nullus ad Petri Cathedram abſque Imperatoris conſenſu & proviſione adoptaretur, ſicut Capite 1. hujus libri docuimus: Hildebrandus ſpecioſo prætextu Eccleſiæ in libertatem aſſerendæ, crebris ſermonibus atque exhortamentis Leonem IX. Pontificem, & Cleri Romani Anteſignanos non ceſſabat exſtimulare, quò Inveſtituras Laicorum Principum excuterent; hoc frequenter uſurpans: Indignum quidem & à Patrum inſtitutis penitùs alienum eſſe, ut Pontifex Maximus ad Eccleſiæ Catholicæ regimen Laicorum Principum arbitrio vocaretur. Quod ejus conſtans ſtudium & conſilium effecit, ut à Leone IX. Cardinalis Subdiaconus crearetur. Deinde verò Alexandro II. vitâ functo, ut ſumma omnium Cardinalium & Cleri ac populi Romani conſenſione, non quæſitâ aut expectatâ Imperatoris voluntate Kalendis Maji anno 1073. Romanus Pontifex deligeretur. Verumtamen ne hæc ejus electio contra morem uſitatum facta aliquando in dubium venire, aut etiam iis quæ in Henricum IV. meditabatur, aliquam injicere remoram poſſet, ante conſecrari in Papam noluit, quàm Imperatoris & Principum ac Epiſcoporum Imperii conſenſum & voluntatem ſuper ſuâ electione quæſiviſſet ac impetraſſet. Qua in re curanda & obtinenda novem circiter menſes decurrerunt: quoniam Imperator & cæteri Principes, quibus Hildebrandi ingenium formidoloſum erat, ſatis gravatè ejuſmodi electionem ſuo aſſenſu probabant. Ubi autem Gregorius voti ſui compos factus eſt, ſuæ legitimæ promotionis ad Pontificatum confidentiâ nixus: videlicet quòd more prædeceſſorum ſuorum, commendatione aut gratiâ Laicorum Principum Apoſtolicam ſedem minimè conſcendiſſet, nihil non molitus eſt, ut totum Orbem Latinæ Eccleſiæ adversùs Henricum IV. exciret: ſibi certiſſimè perſuadens quæcunque ageret, ſancta eſſe atque erroris expertia, ut articulo 23. ſuorum Dictatuum aſſerit: *nimirum Pontificem canonicè ordinatum meritis Sancti Petri indubitanter Sanctum effici.* De qua re ſtatim videbimus. Tum Reſpublica Chriſtiana ob depravatos Eccleſiaſticorum & Laicorum Principum mores graviter affligebatur, dubiumque eſt à quibuſdam in munere defungendo, nequid alii aliis vertant impro-

 perio,

perio, minùs peccaretur. Procul dubio mihi innumera & incredibilia mala, vaſtitates provinciàrum, excidia urbium, hominum interneciones, quæ hoc ſchiſmate ſexaginta annorum decurſu contigerunt accuratius conſideranti, Deum & Sacerdotio & Imperio vehementer iratum, has peſtes ob ſcelera hominum immiſiſſe arbitror. Nam quos vult Deus populos caſtigare, Reges illis pueros dare conſuevit. *Væ terra, cujus Rex puer eſt*. Eccleſiaſtici 10. Henricus enim IV. quinquennis, Patre orbatus, Imperio Germaniæ, quod tum Reges jure hæreditario poſſidebant, moderatus eſt. Adoleſcentiam, ut ſolent Principes nullo parentis metu, quaſi fræno cohibiti exegit: adeò quidem ut quæ ejus regno anteà deformitates & confuſiones inerant, non modò incrementum cœperint; verùm etiam plures multò intolerabiliores, eorum culpâ qui ſub ætate pupillari Henrici Rempublicam capeſſebant, in Ordinem Eccleſiaſticum & politicum irrepſerint, ſingulis privatum commodum, ut mos eſt ſub pupillis Regibus, quærentibus. Idque in cauſa fuit ut Henricus nôn modò propriis delictis, verùm etiam miniſtrorum ſuorum vitiis nimiùm quantùm premeretur, atque in populi odium raperetur, multis Imperii Principibus in Italia præſertim & Saxonia novis rebus ſtudentibus, ac jugum excutere annitentibus. Cui perficiundo operi Gregorius noſter claſſicum perſonuit, ut ex ejus ſcriptis facilè convincam. Numquam certè iverim inficias Gregorium vehementem zelum, imò etiam juſtiſſimam habuiſſe cauſam & graviter conquerendi, & innumeris abuſibus conſulendi, ac ſcelera quæ Eccleſiam inquinabant ac populabantur, exſcindendi: Sed hoc illum debuiſſe peragere conformiter ad cauſas eſſentiales poteſtatis Eccleſiaſticæ, & normam eorum, quæ Auguſtinus tribus libris adverſùs Parmenianum lucubravit, contendo: de quibus ſupra capite 4. lib. 3. Si enim quæ in vitæ civilis commercio cum magna difficultate & publicæ tranquillitatis periculo fiunt, viri prudentes ea impoſſibilibus adnumerant, cenſentque Principem quempiam contra Dei & naturæ propoſitum facere, ſi aliquam legem aut edictum ſciſcat, quod proprio marte nativiſque opibus, id eſt cauſis eſſentialibus ſuæ Inſtitutionis & auctoritatis in rem judicatam mittere non poteſt: quantò magis id locum habere debet in Lege gratiæ & perfectæ libertatis, quæ animis hominum actibus tantùm hierarchicis præeſt; neque umquam patitur mala fieri, ut bona eveniant. Rom. 13. Cæterùm Gregorius VII. æmulatione S. Gregorii Magni videtur juxta

juxta duodecim annos ſui Pontificatus duodecim Regeſta aut libros Epiſtolarum quibus acta ſui Pontificatus complecteretur texere voluiſſe: Et quidem priori libro imitatione Gregorii Magni, inquam, Epiſtolis ſuis Epiſcopos, Principes, Duces, aliosque Magnates certiores facit ſuæ legitimæ promotionis ad Pontificatum: in hoc tamen Sancto Gregorio valdè diſſimilis, quòd illorum exploret animos quibus ſcribit, & quaſi ad bellum contra Imperatorem ſenſim incendat. Quo in opere perficiendo totum primum annum, & magnam partem ſecundi anni ſui Pontificatus impendit: Paternum quidem & paſtoralem animum erga Imperatorem in ſpeciem gerens, ſed re verâ hos atque illos ad armandum inflammans. Toto ſui Pontificatus tempore duodecim aut circiter habuit Romæ Synodos, quas potiſſimùm ex Italiæ Epiſcopis & Abbatibus Ordinis Sancti Benedicti conflavit: Omnes fuerunt particulares, non generales, quicquid in contrarium Onuphrius & Bellarminus venditent, falsò aſſerentes Henricum Imperatorem à Gregorio excommunicatum & depoſitum in Synodo generali. At verò prioris Synodi meminit lib. 1. Epiſtolâ 42. & 43. Secundæ autem lib. 2. Epiſtolâ 1. Tertiam Synodum indixit circa feſtum S. Andreæ lib. 2. Epiſtolâ 33. Quartam habuit prima hebdomade Quadrageſimæ, ejusque meminit libro 2. Epiſtolâ 21. 23. 35. & paſſim toto libro 2. qua in Synodo Gregorius ſuos imperioſos DICTATUS edixit. Quintæ mentionem facit libro 3. Epiſtolâ 8. Sextæ libro 5. Epiſtolâ 13. Septimæ libro 6. poſt quintam Epiſtolam. Octavæ libro 6. Epiſtolâ 17. Nonæ lib. 7. poſt Epiſtolam 14. Decimæ lib. 8. poſt Epiſtolam vigeſimam. Undecimæ libro 10. Epiſtolâ 28. Duodecimæ libro undecimo ſtatim initio. Quibus in Synodis atque Epiſtolis nihil aliud legas aut videas præter Epiſcoporum evocationes Romam, graviſſimas interminationes, cenſuras Epiſcoporum, Regum & Principum depoſitiones: Regnorum atque Provinciarum, aut urbium Interdicta, Ducum bellicorum ac militum delectus, Sacramenta fidelitatis, bellorum denunciationes, atque alia ejuſmodi militaria ab manſuetudine Legis gratiæ, & poteſtate miniſteriali ſpirituali Eccleſiæ omninò abhorrentia. Ego quidem confiteor: aliis ſuum eſto ſincerum & liberum judicium, poſtquam ejuſmodi Epiſtolas legi, & cum B. Gregorii Epiſtolis, quem hic noſter æmulari vult, contuli, magnam me ſtatus Eccleſiaſtici cœpiſſe commiſerationem, & graviſſimo doloris morſu fuiſſe commotum. Lambertus Scafnaburgenſis verax

Gregorii VII. Hiſtoriæ ſcriptor, ut cenſet Bellarminus, memorat Henricum Patrem & filium Cæſares ſemper valdè ſuſpectam habuiſſe potentiam & ſtudia Beatricis ejuſque filiæ Mathildis potentiſſimarum Comitiſſarum Italiæ: atque Beatricem primo conjuge mortuo cum Gotofredo Duce Italiæ ſecundas inivíſſe nuptias inſcio atque inconſulto Imperatore, Gothofredus autem vehementer infenſus erat Cæſari. Verùm Gregorius quamprimum eſt electus, etiam ante ſuam conſecrationem, Gothofredi & Comitiſſarum illarum amicitiam ſedulò excoluit. Unde libro 1. Epiſtolâ 9. ſic Ducem Gothofredum adversùs Cæſarem acuit: *Caterùm quia fidei & conſtantia virtutem donante Deo in te ſitam eſſe cognovimus, omnem quam oportet in chariſſimo S. Petri filio in te fiduciam habentes, animum tuum de noſtrâ itidem conſtantiſſimâ dilectione, & erga honores tuos promptiſſimâ voluntate nequaquam dubitare volumus. De Rege verò mentem noſtram & deſiderium planè cognoſcere potes, quòd quantum in Domino ſapimus, neminem de ejus præſenti & futurâ gloriâ aut ſollicitiorem, aut copioſiori deſiderio à nobis præferri credimus, &c. Quæ ſi nos audierit, non aliter de ejus quam de noſtrâ ſalute gaudebimus, quam tunc ſibi certiſſimè lucrari poterit, ſi in tuenda juſtitia noſtris monitis & conſiliis acquieverit. Sin verò, quod non optamus, nobis odium pro dilectione, omnipotenti autem Deo pro tanto honore ſibi collato, diſſimulando juſtitiam ejus contemptum non ex æquo reddiderit, interminatio ſuper nos Deo providente non veniet, &c. Neque enim liberum nobis eſt alicujus perſonali gratiâ legem Dei poſtponere, aut à tramite rectitudinis pro humano favore recedere, dicente Apoſtolo: ſi hominibus placere vellem, ſervus Dei non eſſem. Datum Romæ ſecundo Nonas Maji, indictione undecimâ.* Hoc eſt 16. die poſt ſuam electionem & octo ampliùs menſibus antequam coronaretur, aut Imperatoris conſenſum obtinuiſſet, quod eſt apprimè notandum. Eodem quoque ſenſu & argumento menſe Junio ſequenti blandiſſimas litteras ſcripſit ad Beatricem ejuſque filiam Comitiſſas libro 1. Epiſtolâ undecimâ. Quibus Litteris has mulieres, ſicut anteà Gotofredum *S. Petri filium*; ita & *B. Petri filias* ſuaviſſimè nuncupat. Deinde ut muliebria ingenia contra vaſtationes & calamitates quas Bellum quod in Henricum meditabatur allaturum erat, præmuniret, & præoccuparet, ſic illas affatur: *Nobilitatem veſtram hortamur & valdè rogamus, ut communionem ſimoniacorum evitare & declinare ſtudeat, nec factionibus eorum conſilia, vel adjumenta præbeat. Neque verò in hac re aliqua hujus mundi ratio, quæ quidem vana, tranſitoria & deceptiva eſt,*

vos

vos commoveat: quoniam per miſericordiam Dei & S. Petri nulla vos inimicorum verſutia lædere poterit ſi mentem veſtram libera conſcientia defendat, &c. Et certè tutius eſt defendendo veritatem pro ſui ipſius ſalute ad uſque ſanguinem noſtrum ſibi reſiſtere: quàm ad explendam ejus voluntatem iniquitati conſentiendo, ſecum, quod abſit, ad interitum ruere. Quæ Gregorii Epiſtola adversùs Henricum, ejusque fautores concepta eſt, & clariſſimè demonſtrat, quamprimùm eſt electus, animum ad bellica ſtudia adjunxiſſe, utque proclivius fœminas in ſuam ſententiam pertraheret, illis perſuaſiſſe quòd nullum eſſent detrimentum percepturæ, modò puram haberent conſcientiam. Quaſi verò mala pœnæ etiam viros ſanctiſſimos & integerrimos non peſſumdare ſoleant temporaliter & corporaliter: verùm muliebres animi hac erant arte demulcendi & obvallandi. Lambertus Schafnaburgenſis Monachus Ordinis S. Benedicti refert *Mathildem Beatricis filiam vivente adhuc viro ſuo Gozelone Duce Lotharingiæ, quamdam viduitatis ſpeciem, longiſſimis ab marito ſpatiis excluſam duxiſſe, cùm nec ipſa maritum in Lotharingiam extra natale ſolum ſequi vellet: & ille, Ducatus quem in Lotharingia adminiſtrabat, negotiis implicitus, vix poſt tertium vel quartum annum ſemel Marcham Italicam inviſeret. Poſt cujus mortem Romani Pontificis lateri penè comes individua adhærebat, eumque miro colebat affectu. Cùmque magna pars Italiæ ejus pareret imperio, & omnibus quæ prima mortales ducunt, ſupra cæteros terræ illius Principes abundaret, ubicumque operâ ejus Papa indiguiſſet, ocyus aderat, & tanquam Patri vel Domino ſedulum exhibebat officium: unde nec evadere potuit inceſti amoris ſuſpicionem, paſſim jactantibus Regis fautoribus, & præcipuè Clericis, quibus illicita & contra ſcita canonum contracta conjugia prohibebat, &c. Sed apud omnes ſanum aliquid ſapientes luce clarius conſtabat falſa eſſe quæ dicebantur, nam & Papa tam eximiè tamque Apoſtolicè vitam inſtituebat, ut nec minimam ſiniſtri rumoris maculam converſationis ejus ſublimitas admitteret: & illa in urbe celeberrima, atque in tanta obſequentium frequentia obſcœnum aliquid latere nequaquam potuiſſet.* Hæc Scafnaburgenſis, quæ indicant quantâ ſe mundanâ prudentiâ Gregorius contra Imperatorem obfirmaret. Ego quidem ut facilè animum induco permultos rumores qui de Gregorio ab inimicis ſpargebantur, falſos eſſe: ita contendo Gregorium ex officio obſtrictum ad præcipiendum Mathildi, quatenus maritum ſuum congruenter ad præceptum Domini ſequeretur, eam tamen juxta ſe tanquam paratiſſimum auxilium adversùs Imperatorem retinere maluiſſe, ut in ejus opes ac di-

tiones

Digitized by Google

tiones invaderet, quemadmodum Onuphrius in vita Gregorii ſcribit: *Mathildis illuſtris, & totâ Italiâ celeberrima fœmina, Bonifacii Maximi per Italiam Principis filia & hæres, Imperatoris Henrici IV. vim timens, Longobardiæ, Thuſciæ & Liguriæ aliquot urbes jure hæreditario ad ſe pertinentes Gregorio Papæ, & S. R. E. donavit; hincque odii inter Imperatorem & Pontificem ſeminarium, cùm Imperator donationem illam in Imperii (cujus Mathildis beneficiaria erat) præjudicium approbare nulla ratione voluiſſet: imò ea omnia occupare tanquam ad ſe devoluta tentaret. Tunc enim Pontifex opportunitatem nactus, quod Imperator ſibi jura vendicaret Eccleſiæ, poſtea eum excommunicavit, &c.* Et hactenus de Mathilde cujus geſta mihi ea in memoriam revocant, quæ Joannes ſine terra Angliæ Rex geſſit, ut ſe adversùs Philippum Auguſtum muniret: ſiquidem Regnum ſuum feudatarium Innocentio III. ſubdidit. Mirum etiam, quod Normaniam & Aquitaniam, quas velut regni Franciæ beneficium occupabat, non dederit Mathildis imitatione. Certè hac viâ facilè eſſet Romanis Pontificibus Regum omnium opes, fortunas & Dynaſtias uſurpare. ô fruſtrà hanc divinam vocem ab Auguſtino enunciatam 17. quæſt. 4. can. *Quicumque vult exhæredato filio, hæredem facere Eccleſiam, quærat alterum qui ſuſcipiat, non Auguſtinum. Imò Deo propitio nullum inveniet.* Hercle multò periculoſius majeſtas alicujus regni aut Imperii quàm hominis privati exhæredantur, & exſpoliantur: & hinc illæ vaſtationes atque populationes Turcarum propter Imperium Ramanum exarmatum. Sed revertor ad Gregorii prenſationes contra Henricum Imperatorem. Nam libro 1. Epiſtolâ 19. Kalendis Septembris, id eſt, quinto menſe poſt ſuam electionem, antequam eſſet conſecratus, Rodolpho Duci Sueviæ, quem Imperatori infeſtiſſimum noverat, in hæc verba ſcribit: *Sicut duobus oculis humanum corpus temporali lumine regitur: Ita dignitate Sacerdotali & Imperiali in pura religione concordantibus, &c. De his diligentius tractemus, quatenùs voluntate noſtrâ bene à vobis cognitâ, ſi relationes noſtras juſtas eſſe probaveritis, nobiſcum conſentiatis: ſi verò rationi noſtræ aliquid addendum vel ſubſtrahendum eſſe vobis viſum fuerit, conſiliis veſtris Deo conſentiente parati erimus aſſenſum præbere. Quapropter prudentiam tuam rogamus ut in fidelitate B. Petri ſemper ſtudeas creſcere, & ad limina ejus tum causâ orationis, tum conſideratione tantæ utilitatis non pigeat te venire: quatenus ſic te in utroque B. Petro debitorem facias, ut & in præſenti & in futura vita ejus ſemper interceſſione gaudeas.*

Cæte-

Digitized by Google

Cæterùm hic eſt ille Rodolphus quem Gregorius Henrico exauctorato in Henrici locum eligi curavit. Scafnaburgenſis memorat Rodolphum ſæpè novis rebus ſtuduiſſe adversùs Henricum multò ante quàm Gregorius VII. eſſet Pontifex: unde proclive eſt conjicere quo fine Gregorius eum paulò poſt ſuam electionem Romam evocet: nempe ut illum participem conſiliorum arcanorum, quæ contra Imperatorem agitabat, efficeret. His etiam de cauſis eodem libro primo poſt Epiſtolam 18. habes juramentum fidelitatis Landulphi Ducis Beneventani. Et poſt Epiſtolam 21. Richardi Principis Italiæ octavo Kal. Octobris, id eſt quinto menſe peſt electionem Hildebrandi: quo pariter menſe, quinto Kalend. Octobris Epiſtolâ 25. ſcribit Herlembaldo militi Mediolanenſi in hæc verba, ut eum ſibi conciliaret: *Henricum Regem præterea ſcias dulcedinis & obedientiæ plena nobis verba miſiſſe, & talia qualia neque ipſum, neque Anteceſſores ſuos recordamur Romanis Pontificibus miſiſſe. Quidam etiam ex majoribus fidelibus ſuis promittunt nobis ex parte ſui, eum de cauſa Mediolanenſis Eccleſiæ ſine dubio conſilio noſtro obedire. Quantùm enim ſibi poſſimus prodeſſe, vel quantùm ſi adjutorii manum ſubſtrahimus obeſſe citò te ſperamus apertiſſimè cogniturum & Deum nobiſcum eſſe, & nobiſcum operari evidenter probaturum. De Comitiſſa Beatrice nullomodo dubitandum putamus, quin ipſa & ejus Mathildis filia in his quæ ad Deum pertinent & Religionem Sanctæ Eccleſiæ fideliter ſe erga nos habeant. Tu igitur omnino confidens in Domino, & in matre tua Romana Eccleſia viriliter age confortatus in Domino, & in potentia virtutis ejus: ſciens quia quantò vobis gravius nunc inſurgit perturbationis tempeſtas, tantò poſtmodum Deo favente jucundius arridebit ſerenitas.* Porrò die Purificationis B. Mariæ, hoc eſt novem circiter menſes poſt ſuam electionem eſt conſecratus, ſtatim atque Imperatoris conſenſum obtinuit: à quo tempore totus in ſollicitudinem non dicam negotiorum ſæcularium, ſed rerum bellicarum incubuit. Quamobrem Epiſtolâ 46. Libri primi Guillelmo Comiti Burgundiæ mandat, *ut non obliviſcatur promiſſionis, quâ ſe Deo ante corpus Apoſtolorum Principis Petri obligavit, ut quacumque horâ neceſſe fuiſſet ad dimicandum pro defenſione rerum Sancti Petri non deeſſet, ſi requiſitus fuiſſet. Unde memores nobilitatis veſtræ fidei rogamus quatenus præparetis veſtræ militiæ fortitudinem ad ſuccurrendum Romanæ Eccleſiæ libertati; ſcilicet ſi neceſſe fuerit veniatis hûc cum exercitu veſtro in ſervitio S. Petri: & hoc idem rogamus vos monere Comitem S. Oegidii, & ſocerum Richardi Principis Capuani, &c.* Quam epiſtolam quarto Nonas Februa-

Digitized by Google

bruarii primi anni ſui Pontificatus ſcripſit. Nam menſe Aprili anno 1073. electus eſt Pontifex. Eodem libro 1. Epiſtolâ 72. acriter Gothofridum reprehendit, *quod mente ſtabili in Apoſtolorum Principis fidelitate non maneat, & milites quos ad honorem & ſubſidium S. Petri ſe ducturum promiſerat, non miſerit, &c.* Libro 2. quo res ſecundi anni ſui Pontificatus continentur Epiſtolâ 49. ad Hugonem Abbatem Cluniacenſem eidem ſic injungit ut conſcribat milites: *Et quia utraque manu debemus uti pro dextera ad comprimendam impiorum ſævitiam, oportet nos, quandoquidem non eſt Princeps qui talia curet, religioſorum tueri vitam: fraterna te monemus charitate, in quantum potes vigilanti ſtudio manum præbeas eos monendo, rogando, exhortando qui B. Petrum diligunt, ut ſi verè illius volunt eſſe filii & milites, non habeant illo chariores ſæculares Principes: quia illi miſera & tranſitoria vix tribuunt: iſte verò beata & æterna à cunctis peccatis ſolvendo promittit, & in cæleſtem Patriam poteſtate ſibi traditâ perducit. Volo quidem luce clarius intelligere qui re verâ ſint illi fideles, & qui eumdem cæleſtem Principem non minùs pro cæleſti gloria diligunt, quàm eos quibus pro ſpe terrena & miſera ſubjiciuntur.* Vides quâ arte rudi ſæculo homines ad bellum inflammabantur. Cæterùm quod ait *ſe utraque manu debere uti pro dextera*, ad hiſtoriam Aod qui Regem Moabitarum confodit cap. 3. Judicum alludit: quam hiſtoriam tempore bellorum civilium Ligæ poſt Henricum III. impiè trucidatum noſtri concionatores frequenter in ore habebant. Monendus autem Lector Gregorium qui in Monaſterio Cluniacenſi inſtitutus fuerat, magnum ab Ordine S. Benedicti, imo etiam ab omnibus Ordinibus Monachorum collegiſſe ſubſidium contra Henricum Imperatorem. Ex quo nihil mirum videri debet Eccleſiaſticos, & præſertim Monachos, penès quos tum erat eruditio illius ſæculi, tam multa pro Gregorio adversùs Cæſarem ſcripturiiſſe: cauſæ enim ſuæ, quam Eccleſiæ libertatem indigetant, velificabantur; adeò ut toto fermè tempore iſtius ſchiſmatis non alii Pontifices quàm ex Cluniacenſi conventu & Ordine S. Benedicti crearentur: Erant enim ad acta Gregorii propaganda ardentiſſimi zelotæ. At eodem libro 2. Epiſtolâ 52. Gregorius ſic Daniæ Regem interpellat: *Præterea ſi Sancta Romana mater Eccleſia contra profanos & inimicos Dei tuo auxilio in militibus & militari gladio opus habuerit, quæ ſpes nobis de te habenda ſit, itidem tuâ certâ legatione cognoſcere cupimus.* Vide Epiſtolam 75. ejuſdem Libri ad eumdem Daniæ Regem argumenti ſimillimi. Et hæc à Gregorio vulgata ſunt, priuſquam Imperatorem cen-

cenſuris illaquearet: demonſtrantque illum non tam de ſervanda & conſtituenda pace, quàm de bello inſtaurando cogitaſſe; idque argumento eſt certiſſimo Bellarminum & alios falli, aut fallere voluiſſe, dum perhibent *Gregorium mitiſſimo & paterno animo erga Henricum extitiſſe antequam excommunicaretur:* Hæc enim præludia ejus Pontificatus contrarium convincunt. Quod ſi quiſpiam ſubtilitatibus & argutiis ſcholæ horum actorum veritatem declinare, aut aliò detorquere, ut Jeſuitæ conſueverunt, moliatur: Rependam hæc planè eſſe moralia & politica, ac proinde, ut verba ſonant, & ex eventu geſtorum Gregorii ſtrictè capi oportere: cùm certiſſimum ſit res morales & politicas non debere ſicut Metaphyſicas tractari, ac cane pejus & angue ſubtilitates odio habere.

III. At verò reliqua quæ in Gregorii Epiſtolis notabilia & ante inaudita occurrunt, ſi placet, evolvamus. Libro 2. Epiſtolâ 3. Comitem Pictavienſem laudat, *quod promptam habeat voluntatem ad ſervitium S. Petri.* Et libro 8. poſt Epiſtolam primam de Regalibus S. Petri ſtatuit. Item libro 1. Epiſtolâ 68. Nemoſenſi Epiſcopo, qui Abbatem quempiam ſuæ Diœceſis excommunicaverat, reſcribit, *Abbatem illum juri B. Petri traditum, & Abbatis contumelias Romanæ majeſtati fuiſſe illatas.* Libro 2. Epiſtolâ 30. ait *Imperatorem ſibi per Legatos Apoſtolicos congruæ ſalutationis, & devotæ ſervitutis exhibitionem tranſmiſiſſe.* Hæc autem ab illo dicuntur, quoniam ſibi certò perſuaſerat Chriſtum eam poteſtatem, quam in cœlo & in terra tanquam Deus & homo habuit, ad S. Petrum tranſmiſiſſe velut ad abſolutum, & infallibilem Monarcham Eccleſiæ, quod planè confirmat in ſuis imperioſis Dictatibus: Et hoc ipſum eſt quod S. Bernardus reprehendit. *Totum tribui majeſtati, nihil veritati.* Libro 4. cap. 2. de conſideratione ad Eugenium. *Anteactis ſæculis Epiſcopi Romani Imperatores Dominos ſuos, ſeque illorum ſervos nuncupabant:* ſic D. Gregorius Libro 2. Epiſtolâ 61. Mauritium, & Agatho PP. actione 4. Sextæ Synodi in Epiſtola ad Conſtantinum Pogonatum. Jam vice mutatâ Gregorius VII. contra naturam poteſtatis miniſterialis ſpiritualis, quam ſolam Chriſtus Eccleſiæ reliquit, Imperatorem quaſi ſervum habet, idque infrà magis exſplendeſcet. Quid dicere opus illum in Synodis quas Romæ habuit, tam confidenter loqui, ac ſi ea ipſa quæ etiam in rebus purè facti decernit non ab homine ulli obnoxio errori, *ſed ab ipſo Spiritu ſancto, aut ab ore B. Petri immediatè promanaſſent? Quâ arte imbecillos animos præoccupare & percellere,*

atque in ſuas partes abſtrahere conabatur libro 4. Epiſtolâ 3. *inſcripta ad omnes ſervos Dei tum Clericos, cùm Duces Laicos fidem Chriſtianam in regno Teutonico habitantibus & defendentibus, ſi Litteras quibus Henricus dictus Rex in Sancta Synodo judicio Sancti Spiritus excommunicatus eſt, diligenter perpenditis, quid de eo debeat fieri indubitanter cognoſcetis.* Item libro 5. Epiſtolâ 15. ad reprimenda etiam mala ingenia & illicitos conatus *judicio S. Spiritus & auctoritate Apoſtolicæ ſedis anathematizavimus & anathematizamus, quicumque ſive Rex, ſive Archiepiſcopus, ſive Epiſcopus, ſive Dux, ſive Marchio, &c.* Ubi vides bellum quod pro abrogandis Inveſtituris fiebat, defenſioni fidei Chriſtianæ, atque cenſuras eam ob cauſam latas attribui Sancto Spiritui: quaſi verò Inveſtituræ ad fidem pertinerent. De qua re eſt capite præcedenti abundè diſputatum. Item lib. 6. Epiſtolâ 1. *Judicio Sancti Spiritus decrevimus & præcepimus ut in regno Teutonico conventus fieret omnium Epiſcoporum & Laicorum qui Deum timent, & inter vos pacem deſiderant.* At nulli magis pacem Eccleſiæ infeſtabant, quàm qui agendo, non patiendo auctores erant ſchiſmatis. Ibidem Epiſtolâ 14. *Perpendite quod Sanctus Spiritus per nos licèt indignos dignatus eſt in Sancta Synodo ſtatuere.* Et Libro 9. Epiſtolâ 34. de quodam Comite Flandrenſi: *ſi nollet obedire, ſegregatus & excommunicatus foret à corpore & communione Sanctæ Eccleſiæ, auctoritate Dei & judicio Sancti Spiritus.* Hæc ille: ſed longè modeſtiores Apoſtoli, quamquam afflatu & ductu Spiritus Sancti certiſſimè regerentur. *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis.* Actorum 15. & 1 Corinth. 7. *Puto*, inquit Paulus, *quod Spiritum Dei habeam.* Iſthùc & occurrunt aliæ decernendi formulæ lib. 1. Epiſtolâ 35. ad Cabillonenſem Epiſcopum adversùs Franciæ Regem ſcriptâ menſe Decembri, antequam conſecratus in Pontificem: *Nam aut Rex ipſe Franciæ repudiato turpi ſimoniacæ hæreſis mercimonio, idoneas ad ſacrum regimen perſonas promoveri permittet, aut Franci profectò, niſi fidem Chriſtianam abjicere maluerint, generalis anathematis mucrone percuſſi, illi ulterius obtemperare recuſabunt.* Verùm quid, amabo, eſt *Franci profectò niſi fidem Chriſtianam abjicere maluerint, &c.* Aliud quàm decernere idem eſſe feralibus edictis Gregorii non parere, atque fidem Chriſtianam abjurare? Profectò ſic homines territare mundo ſummis ignorantiæ tenebris ſepulto conſueverat. Nihilominus Franci hac in parte nequaquam Gregorio obtemperarunt, neque propterea fidem Chriſtianam abjecerunt: Imò verò eam cum pace & publica tranquillitate conſervarunt. Epiſtolâ 5. libri 3.

Qua-

Digitized by Google

Quapropter vos ſcire volumus nos huic petitioni Legatorum Henrici Imperatoris nullatenus conſenſuros: quoniam quod modò inventum eſt, non videtur B. Petro, ac nobis honorabile. Quæ forma loquendi aut aliquid præcipiendi (quaſi à B. Petro immediatè procederet) frequentiſſima eſt in Gregorii VII. Epiſtolis, ut Libro 1. Ep. 17. ad Ducem Bohemiæ conqueritur de Larmirio Pragenſi Epiſcopo, quem ſignificat *Simonis magi veſtigia contra Apoſtolorum Principem imitatum videri, eo quòd Legatos Sedis Apoſtolicæ non liberaliter excepiſſet*, aitque niſi Legatis pareat, *ſe durius ſcilicet uſque ad internecionem gladium Apoſtolicæ indignationis evaginaturum; ſicque per ipſum plures alios experturos, quantum hujus Sedis auctoritas valeat.* Quæ ab illo ſcripta ſunt quarto circiter menſe poſt ſuam electionem, potius veterum Romanorum, quàm Chriſti imitatione. Illi enim ob Legatos ſuos parùm comiter habitos Corinthi, urbem opulentiſſimam totius Achaiæ ſolo æquarunt. Chriſtus verò Lucæ 9. graviter Apoſtolos increpat quòd Samaritanos qui eos recipere noluerant, igne cœleſti impetrato ulciſci geſtirent. *Neſcitis*, ait, *cujus ſpiritûs eſtis: filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare.* Porrò dum hæc ſcribebat Gregorius; Ego arbitror alludere voluiſſe ad locum Deuter. 7. ubi Dominus præcipit Judæis *ut Amorræos, Cananæos, Jebuſæos & cætera percutiant uſque ad internecionem:* vide caput 34. Exodi eodem libro primo Epiſtolâ ſexageſimâ ad Sigefridum Moguntinenſem Archiepiſcopum, qui ſecundùm jus commune voluerat de diſſidio duorum Epiſcoporum Metropoli ſuæ ſubjectorum cognoſcere: *Apoſtolica judicia non dico tibi, ſed nec ulli Patriarcharum aut Primatum retractandi licentiam fore exiſtimes, nec contra Sanctam Romanam Eccleſiam quicquam tibi attribuere vel moliri cogites, ſine cujus abundanti clementia nec loco quidem tuo, ut ipſe noſti, ſubſiſtere potes.* Cujus clauſulæ hæc poſtrema verba: *ſine cujus abundanti clementia, &c.* Ab illo uſurpantur, ac ſi haberet à Chriſto clavem abſolutæ poteſtatis, non puri miniſterii Spiritualis, adeò ut Epiſcopos tanquam Legatos abdicare poſſet: quam in rem infrà diſputabimus in analyſi ſeptimi articuli Dictatuum Gregorii. Ejuſdem pariter generis eſt quod legitur libro 6. Epiſtolâ 4. ubi Leodienſi Epiſcopo hæc ſcribit: *Tanquam Apoſtolicæ Sedis non eſſet auctoritas, quoſcumque & ubicumque vult ligare & ſolvere.* Item libro 8. Epiſtolâ 21. ad Herimanum Epiſcopum Metenſem, obtendit *Pontificem habere poteſtatem ſingulari privilegio conceſſam aperire & claudere januas regni cœleſtis quibus voluerit: cui ergo*, inquit, *aperiendi, claudendi-*

Digitized by Google

dendique cœli data poteſtas eſt, de terra judicare non licet? Item lib. 7. poſt Epiſtolam 14. ubi de Henrici IV. excommunicatione ſtatuit, abſolutè quidem indulgentias & peccatorum remiſſionem omnibus concedit, qui Rodolpho Regi fideliter adhærebunt: Ex parte Apoſtolorum dono largior, & omnibus Rodolpho adhærentibus *concedo abſolutionem omnium peccatorum, veſtramque benedictionem in hac vita & in futura veſtra fretus fiduciâ largior, &c.* Sed procul dubio Patribus primitivæ Eccleſiæ longè alia mens fuit, qui ſanxerunt ſingulis Eccleſiis ſua ſervari oportere jura & privilegia ſecundùm canones & antiquam conſuetudinem: neque ante neque poſt Gregorium VII. ullus extitit qui poteſtatem claudendi & aperiendi cœlum ſibi abſolutè arrogaret: & ſi unquam arrogavit, ſuperbia eſt intoleranda. Unde S. Hieronymus in Caput 16. Matthæi ad hæc verba: *Tibi dabo claves*, & *quodcumque ligaveris, &c. Iſtum locum*, ait, *Epiſcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid ſibi de Phariſæorum aſſumunt ſupercilio, vel ut damnent innocentes, & ſolvere ſe noxios arbitrentur, cùm apud Deum non ſententia Sacerdotum ſed reorum vita quæratur. Legimus in Levitico de leproſis, ubi jubentur ut oſtendant ſe Sacerdotibus, & ſi lepram habuerint, tunc à Sacerdote immundi fiant, non quò Sacerdotes leproſos faciant aut immundos, ſed quo habeant notitiam leproſi & non leproſi, & poſſint diſcernere qui mundus, quive immundus ſit. Quomodo ergo ibi leproſum Sacerdos mundum vel immundum facit, ſic & hìc alligat vel ſolvit Epiſcopus & Presbyter, non eos qui inſontes ſunt vel noxii, ſed pro officio ſuo, cùm peccatorum audierit varietates, ſcit qui ligandus ſit, quive ſolvendus.* At libro ſecundo Epiſtolâ 54. Dionyſium Placentinæ Eccleſiæ Epiſcopum *immutabili ſententiâ Sanctæ Synodi, & irrevocabili conſenſu omnium circumſedentium fratrum abſque ulla umquam ſpe reconciliationis, & ab omni Epiſcopali honore deponit, atque inſuper eidem in perpetuum negandam audientiam decernit.* Propria ſunt verba Legi gratiæ omnino contraria, quæ neminem umquam immutabili & irrevocabili ſententiâ ligavit, aut eum ab audientia excluſit. Quocircà B. Petro quærenti quoties fratri peccanti indulgeret, Dominus reſpondit, *ſeptuagies ſepties*, hoc eſt infinities, numerus enim certus pro incerto uſurpatur.

Prætereà libro 8. Epiſtolâ 7. partes agit militis, non Epiſcopi, dum perhibet *armatâ manu ſe petiturum Ravennam, ut Epiſcopum Ravennatenſem qui Henricum Imperatorem tuebatur, ejiceret: Partes*, inquit, *illas armatâ manu petemus, ac per auxilium Dei liberaturos haud dubiè*

dubiè credimus. Quapropter audaciam eorum qui in nos, imò in B. Petrum ſe erexerunt, machinationes pro nihilo ducentes volumus, &c. Libro 2. Epiſtolâ 38. tanquam Princeps politicus pœnas infligit temporales Firmanis, id eſt Marcæ Anconitanæ incolis: *Quod ſi quâ temeritate neglexerit aliquis emendare quæ injurioſè commiſit contra Eccleſiam Firmanam, ſciat ſe ex Apoſtolica auctoritate in bannum caſurum eſſe, ſi dives eſt, centum librarum: ſin verò de mediocribus, in detrimentum totius ſubſtantiæ ſuæ.* Audis hîc Apoſtolicâ auctoritate formaliter pœnas indicere temporales, quod eſt erroneum.

IV. Paſſim omnes Reges & regna *ſibi quaſi beneficiarios ac feudatarios in temporalibus efficere annititur lib. 1. Epiſtolâ 7.* Sic Principes Hiſpaniarum affatur: *Non latere vos credimus regnum Hiſpaniæ ab antiquo proprii juris S. Petri fuiſſe, & adhuc licèt diu à Paganis ſit occupatum, lege tamen juſtitiæ non evacuatâ nulli mortalium, ſed ſoli Apoſtolicæ Sedi ex æquo pertinere, &c. Itaque Comes de Roccio, cujus famam apud vos haud obſcuram eſſe putamus, terram illam ad honorem S. Petri ingredi, & paganorum manibus eripere cupiens, hanc conceſſionem ab Apoſtolica ſede obtinuit, ut partem illam unde paganos ſuo ſtudio & adjuncto ſibi aliorum auxilio depellere poſſet, ſub conditione inter nos factæ pactionis ex parte S. Petri poſſideret, &c. Hoc enim neminem veſtrûm ignorare volumus, quoniam niſi æquâ pactione perſolvendi juris S. Petri in regnum illud animadvertere ſtatueritis, potius vobis Apoſtolica auctoritate, ne illuc tendatis, interdicendo contrà feremur, quàm ſancta & univerſalis mater Eccleſia idem à filiis ſuis, quod ab hoſtibus patiendo non jam proprietatis ſuæ, ſed filiorum detrimento ſancietur.* Lector totam illam Epiſtolam perlegat, & conſideret utrum hoc ſit potius ſalutis animarum quàm rerum temporalium curam habere, nimirum prohibere quominus aliquis Princeps Chriſtianus bellum inferat Paganis & infidelibus qui in Hiſpanias invaſerant, niſi jura temporalia & feudataria S. Petro perſolvere; hoc eſt illud regnum tanquam Eccleſiæ Romanæ beneficiarium addicere velit. Iſtis quoque ſimilia habes libro 4. Epiſtolâ 28. *Præterea notum vobis fieri volumus*, ait, *quod nobis quidem tacere non eſt liberum: vobis autem non ſolùm ad futuram, ſed etiam ad præſentem gloriam valde neceſſarium videlicet regnum Hiſpaniæ ex antiquis conſtitutionibus B. Petro & S. Romanæ Eccleſiæ in jus & proprietatem eſſe traditum. Quod nimirum hactenus & præteritorum malorum incommoda, & aliqua prædeceſſorum noſtrorum occultavit negligentia, &c.* En quo artificio homines rudibus ſæculis captarentur, ut ſeſe

Digitized by Google

ſeſe & ſua Romanæ Eccleſiæ in feudum dederent; quia nimirum *hoc non ſolùm ad futuram, ſed etiam ad præſentem gloriam valde neceſſarium eſſet.* At libro 1. Epiſtolâ 63. Regem Arragoniæ, propterea quòd Romanum officium tota ſua ditione celebrari juſſiſſet, ſic alloquitur: *Eſto itaque conſtans & fiduciam firmam habeas, & quod cœpiſti perficias, quia in Domino Jeſu Chriſto confidimus quia B. Petrus Apoſtolus, quem Dominus Jeſus Chriſtus Rex gloriæ Principem ſuper regna mundi conſtituit, cui te fidelem exhibes, te ad honorem deſiderii tui adducet, te ipſe victorem de adverſariis tuis efficiet, &c.* Quibus aureis montibus ſæculo barbaro Principes in ſtudia ſua allicere tentabat. De Angliæ regno lib. 1. Epiſtolâ 70. ad Angliæ Regem: *Rebus verò S. Petri quæ in Anglia colliguntur, ſic te ut tuis invigilare admonemus, liberalitati tuæ ut tua committimus, ut pium & propitium debitorem B. Petrum reperias, & eum tibi ex debito ſubvenire admoneas, quem ſibi multa tribuiſſe non latebit.* Certè Angliæ Regem exſtimulat, ut cum B. Petro quaſi ex Syngrapha agat, quod eſt mirabile, & tamen ad hominum ignarorum proclivius illaqueanda ingenia uſurpatum, quæ illorum ſæculorum facies erat. Verùm libro 2. Epiſtolâ 7. ad Ducem Bohemiæ: *Pervenit ad nos Nuncius veſter, qui magnæ devotionis & fidelitatis veſtræ exhibitionem nobis retulit, & quæ B. Petro ſub nomine censûs miſiſti, videlicet centum marchas argenti ad menſuram veſtri ponderis fideliter præſentavit, &c.* Quo loco debet attendere Lector aliquid pietatis & devotionis ergò S. S. Apoſtolicæ offerre, *hoc eſſe eidem fidelitatem in temporalibus ſpondere & cenſum dependere.* Quæ verba paſſim aggeruntur in Gregorii VII. Epiſtolis, *& plane feudataria atque vaſſalia ſunt:* his autem formulis loquendi voluit oſtendere Papam non modò ſpiritualem, verùm etiam temporalem eſſe Monarcham: quoniam ut paulò ante docuit, *Chriſtus conſtituit S. Petrum Principem ſuper omnia regna mundi.* Hîc autem æquè de temporalibus ac ſpiritualibus ſtatuit. Eodem Libro 2. Epiſtolâ 13. ad Hungariæ Regem: *Narrat illum à Majoribus patriæ ſuæ cognoſcere poſſe regnum Hungariæ S. R. E. proprium eſſe, & à Stephano Rege olim S. Petro cum omni jure & poteſtate ſuâ oblatum & devotè traditum. Præterea Henricum III. Patrem Henrici IV. qui tum regnabat, ad honorem S. Petri regnum illud expugnantem victo Rege & factâ victoria, ad corpus S. Petri lanceam, coronamque tranſmiſiſſe, & pro gloria triumphi ſui illuc regni direxiſſe inſignia, quò principatum dignitatis ejus attinere cognovit. Quæ cùm ita ſint, jus & honorem S. Petri quantùm ad te imminuiſti & alienaſti, dum ejus regnum à Rege*

Rege Teutonico in beneficium ſuſcepiſti. Quòd ſi verum eſt qualiter gratiam S. Petri aut noſtram benevolentiam ſperare debeas, tu ipſe ſi juſtitiam vis attendere, non ignoras, videlicet te non aliter eam habiturum, nec ſine Apoſtolica animadverſione diu regnaturum, niſi ſceptrum regni quod tenes correcto errore tuo, Apoſtolicæ, non regiæ majeſtatis beneficio recognoſcas, &c. Hìc æquus rerum æſtimator perpendat quantâ facilitate ſibi regna feudataria faciat, & impedire conetur, ne Hungariæ Rex Imperatorem qui armis Hungariam devicerat, pro ſuperiore & Domino recognoſcat. Herclè Romam mittere aliquid devotionis causâ, putà lanceam aut coronam in gratiarum actionem ob victoriam ex hoſtibus reportatam, eſt regnum Eccleſiæ Romanæ manceps facere. A qua pariter ſententia non recedit Baronius tomo 6. Annalium, dum perhibet Clodovæum Francorum Regem coronam ſuam dono miſiſſe Pontifici Maximo Hormiſdæ. Porrò ut ad Gregorium redeamus lib. 2. Epiſtolâ 74. ad Ruſcorum Regem : *Filius veſter* ait *limina Apoſtolorum viſitans ad nos venit, & quòd regnum illud dono S. Petri per manus noſtras vellet obtinere, eidem B. Petro Apoſtolorum Principi debita fidelitate exhibita devotis precibus poſtulavit, indubitanter aſſeverans illam ſuam petitionem veſtro conſenſu ratam fore ac ſtabilem, ſi Apoſtolicæ auctoritatis gratia ac munimine donaretur: cujus votis & petitionibus, quia juſta videbantur, tum ex conſenſu veſtro, tum ex devotione poſcentis tandem aſſenſum præbuimus, & regni veſtri gubernacula ſibi ex parte B. Petri tradidimus, ea videlicet intentione atque deſiderio Charitatis, ut B. Petrus vos & regnum veſtrum, omniaque veſtra bona ſua apud Deum interceſſione cuſtodiat, & cum omni pace & honore quoque & gloria idem regnum uſque in finem vitæ veſtræ tenere vos faciat, & hujus militiæ finito curſu impetret vobis apud ſupremum Regem gloriam ſempiternam.* Hîc obſervas Ruſcorum Principem cùm ex ſæculi illius devotione voluiſſet filium ſuum conſecrari in Regem à Romano Pontifice, ſicut Rex Franciæ ab Archiepiſcopo Rhemenſi conſecratur. Gregorium VII. hoc in eam partem capere, ut Regnum Ruſciæ Eccleſiæ Romanæ efficiatur beneficium, & Rex ſit Apoſtolicus & Papæ beneficiarius. Herclè ne quidem Gregorius à Franciæ regno avidiſſimas manus abſtinuit. Libro 8. Epiſtolâ vigeſima ad Philippum Franciæ Regem, ubi aſſerit *& regnum & animam Regis eſſe in B. Petri poteſtate, eumque poſſe in cœlo & in terra ligare & abſolvere.* Quam formulam juxta ſua ordinaria placita intelligit, & maximè congruenter ad 27. articulum ſuorum Dictatuum quos confeſtim evolvemus. Item Epiſtolâ 23.

Digitized by Google

ejuſdem Libri 8. Legatis quos in Galliam miſerat, injungit, *ut dicant omnibus Gallis, & per veram obedientiam præcipiant, ut unaquaque domus ſaltem unum denarium annuatim ſolvat B. Petro, ſi eum recognoſcant Patrem & Paſtorem ſuo more antiquo. Nam Carolus Imperator ſicut legitur in tomo ejus qui in Archivo S. Petri habetur in tribus locis annuatim colligebat mille & ducentas libras ad ſervitium Apoſtolicæ ſedis, id eſt Aquiſgrani, apud Podium S. Mariæ, & apud S. Ægidium: Excepto hoc quod unuſquiſque pro ſua devotione offerebat. Idem verò magnus Imperator Saxoniam obtulit B. Petro, cujus eam devicit adjutorio: & poſuit ſignum devotionis & libertatis, ſicut ipſi Saxones habent ſcriptum, & prudentes illorum ſatis ſciunt.* Hæc Gregorius. At forſan cauſabitur aliquis apud S. Gregorium paſſim mentionem fieri Patrimonii S. Petri quod in Galliis colligebatur lib. 5. ep. 10. 53. & 55. Reſpondebis longè aliud eſſe collectas ex mera devotione, vel ex Principis temporalis mandato facere, aut eaſdem tanquam jus atque onus aliquod debitum exigere, ſicut his verbis imperantur à Gregorio VII. *Dicant omnibus Gallis, & per veram obedientiam præcipiant, &c.* Accedit illum argumentari à ſimili, putà quod Carolus Magnus Saxoniam fecerit beneficiariam S. Petro. De his collectis vide librum primum hiſtoriæ noſtræ Conciliorum cap. 9. n. 6.

V. Sanè ut ad abſolutam Monarchiam in ſpiritualibus & temporalibus conſtituendam nihil prætermitteret, ſolemnes etiam formulas juramenti fidelitatis tum Epiſcopis, tum Principibus atque Imperatoribus & Regibus præſcripſit: *ſicque illos homines ligeos atque beneficiarios Curiæ Romanæ primus omnium efficere conatur.* Ut autem de Sacramento Epiſcoporum priùs dicamus. libro 6. poſt Epiſtolam 17. Sacramentum Archiepiſcopi Aquilegienſis his conceptum verbis leges: *Ab hac hora & in anteà fidelis ero B. Petro & Papæ Gregorio, ſuiſque ſucceſſoribus qui per meliores Cardinales intraverint: non ero in conſilio neque in facto, ut vitam aut membra, aut Papatum perdant, aut capti ſint malâ captione. Ad Synodum ad quam me vocabunt, vel per ſe vel per ſuos Nuncios, vel per ſuas litteras, veniam & canonicè obediam, aut ſi non potero, Legatos meos mittam. Papatum Romanum & Regalia S. Petri adjutor ero ad retinendum, & defendendum ſalvo meo ordine. Conſilium verò quod mihi crediderint per ſe aut per Nuncios ſuos, ſive per litteras, nulli pandam, me ſciente ad eorum damnum: Legatum Romanum eundo & redeundo honorificè tractabo, & in neceſſitatibus ſuis adjuvabo: his quos nominatim excommunicaverint ſcienter non communicabo; Romanam Eccle-*

Eccleſiam per ſecularem militiam fideliter adjuvabo cùm invitatus fuero. Hæc omnia obſervabo, niſi quantum ſuâ certâ licentiâ remanſerit. Quam formulam juramenti ſchiſmata introduxerunt, tranſiitque in jus ordinarium, atque Curiam in Eccleſiam Romanam, hoc eſt factiones innumeras in Catholicam Religionem effudit, legiturque penè ad verbum in *Decretalibus, titulo de Jurejurando*, CAP. EGO. N. Hæc autem clauſula juramenti: *Romanam Eccleſiam per ſecularem militiam fideliter juvabo*; demonſtrat quantùm Gregorius de rebus bellicis ſollicitus fuerit. Hoc autem quàm ſit alienum à paſtorali officio ſpirituali, res ipſa me tacente clamat, atque Petrus Damianus Cardinalis ſuprà lib. 3. cap. 3. prolatus meritò deflet Epiſtolâ 9. libri 4. ad Oldericum Firmanum Epiſcopum. Paſchalis II. qui tertius à Gregorio in cathedra S. Petri Sedit. *cap. ſignificaſti, de electione & electi poteſtate* in Decretalibus declarat *Reges & Regni majores admiratione permotos, quòd pallium Epiſcopis tali conditione offerretur, ſi nimirum Sacramentum quod ejuſdem Apocriſarii detulerant ederetur ab Epiſcopis. At*, inquit Paſchalis, *mirentur in hac cauſa Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui cùm ovium ſuarum curam Petro committeret, conditionem poſuit, dicens: ſi diligis me, paſce oves meas: ſi conſcientiarum factor & cognitor ſecretorum conditione hac uſus eſt, nec ſemel tantùm, ſed & ſecundò, & uſque ad contriſtationem; qua nos ſollicitudine oportet tantam Eccleſiæ prælationem imponere fratribus quorum conſcientias non videmus, &c. Ajunt in Conciliis ſtatutum non inveniri, quaſi Romanæ Eccleſiæ legem Concilia ulla præfixerint: cùm omnia Concilia per Romani Pontificis auctoritatem & facta ſint, & robur acceperint, & in eorum ſtatutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas.* Quæ Paſchalis Papæ reſponſio clarè oſtendit quantùm operæ Gregorii VII. ſæculo Curia Romana impenderit, ut abſolutam poteſtatem ſuper omnes Eccleſias ſibi compararet, atque omnes Epiſcopos haud aliter quàm Legatos & Commiſſarios quoſdam à nutu ſuo pendere efficeret, ut hodie præſertim in Italia uſu evenit. Quibus fabricis jugum inſupportabile Eccleſiis, imò omnibus Principibus Chriſtianis impoſitum eſt: dum officium paſtorale ſpirituale, quod liberrimum totiuſque Eccleſiæ proprium eſt, ad unius Papæ dominatum attraxit. Quocirca Principes qui ejuſmodi Sacramentum à Paſchali exigi videbant, non abſque cauſa querebantur id contra morem & canones patrari. Quòd autem Paſchalis hoc ſuum incœptum Chriſti exemplo tueri nititur, qui ter Petrum interrogavit, utrum ſe amaret, dum eidem curam ovium ſuarum

Digitized by Google

rum credidit? res eſt penitùs diſparata, atque in uſum violentum ſophiſticè detorta. Quoniam Chriſtus eſt Dominus abſolutus gregis: Petrus autem & alii Apoſtoli, quibus Epiſcopi & Romani Pontifices ſucceſſerunt, ſolummodò ſunt Miniſtri. Quare Auguſtinus hunc Joannis textum explicans: *Paſce oves meas*, ait *Epiſcopos teneri oves, ut Chriſti, non ut ſuas proprias paſcere, & gloriam Dei, non ſuam, Domini lucra, non ſua propria quærere*. Quemadmodum Paſchalis hoc in loco proprium dominatum ambit, dum ab aliis Epiſcopis, non tanquam à Comminiſtris, ſed velut vaſſalico atque feudatario jure ſibi ſubditis Sacramentum exigit: unde reſpondet *omnia Concilia per Romani Pontificis auctoritatem & facta eſſe & robur accepiſſe, & in eorum ſtatutis Romani Pontificis auctoritatem patenter excipit*. Hoc autem quem ad ſenſum capi oporteat lib. 1. Hiſtoriæ Conciliorum cap. ultimo, & infrà art. 17. Dictatuum Gregorii explicabitur. Procul dubio nihil opportunius potuit excogitari hac formulâ juramenti, ut diviſio, odium & ſtudia partium foverentur, & propagarentur in Clero. Quem in finem Gregorius VII. atque Urbanus II. Hugonem Lugdunenſem Archiepiſcopum Galliarum Primatem, & Guidonem Viennenſem Primatem Primatuum jure extraordinario conſtituerunt, hacque ratione ſibi privatim addixerunt, ut jam paulò ante diximus.

Jam tranſeo ad formulam Sacramenti Principum Laicorum, quæ eodem libro 6. poſt. Epiſtolam 17. legitur, ubi Nuncii Henrici IV. his conceptis vocibus pro Domino ſuo jurant: *Quòd Legati Domini ſui Regis ad Gregorium venient infra terminum Aſcenſionis Domini exceptis legitimis ſoniis, id eſt morte vel gravi infirmitate, vel captione abſque dolo, qui Legatos Romanæ Sedis ſecurè ducent & reducent: & Dominus Rex obediens erit illis omnibus ſecundùm juſtitiam & judicium illorum: & hæc omnia obſervabit abſque dolo, niſi quantum ex illuſione veſtra remanſerit: Et hæc juro ex præcepto Domini mei Henrici Regis. At verò Nuncii Rodolphi, quem Gregorius in locum Henrici Regem deligi curavit, ſic edunt Sacramentum coram Gregorio: ſi colloquium ex veſtro præcepto conſtitutum fuerit: In partibus Teutonicis, loco & tempore vobis definito ante præſentiam veſtram, vel Legatorum veſtrorum, Dominus noſter Rex Rodolphus vel ipſe veniet, vel Epiſcopos & fideles ſuos mittet, paratuſque erit judicium quod Sancta Romana Eccleſia decreverit de cauſa regni ſubire, nulloque malo ingenio conventum à vobis ſive à Legatis veſtris conſtitutum impediet; & poſtquam certum inde veſtrum Nuncium videbit de pace in regno conſtituenda & confirmanda, ſtudebit ut Legatio veſtra pervenire*

venire

Digitized by Google

venire ad pacem regni & concordiam poſſit. Hæc omnia obſervabuntur, niſi quantum ex certa veſtra licentia remanſerit, vel ex impedimento legitimo, ſcilicet morte vel gravi infirmitate, vel captione ſine dolo. Verum lib. 9. poſt tertiam Epiſtolam Gregorius Rodolpho Regi hanc juramenti formulam præſcribit. *Ab hac hora & deinceps fidelis ero per rectam fidem B. Petro Apoſtolo, ejuſque vicario P. P. Gregorio, qui nunc in carne vivit: & quodcumque mihi ipſe Papa præceperit ſub his videlicet verbis; per veram obedientiam fideliter, ſicut oportet Chriſtianum, obſervabo. De ordinatione verò Eccleſiarum, & de terris vel cenſu quæ Conſtantinus Imperator, vel Carolus S. Petro dederunt, & de omnibus Eccleſiis vel prædiis, quæ Apoſtolicæ Sedi ab aliquibus viris vel mulieribus aliquo tempore ſunt oblata vel conceſſa, & in mea ſunt, vel fuerint poteſtate, ita conveniam cum Papa, ut periculum ſacrilegii, & perditionem animæ meæ non incurram, & Deo ſanctoque Petro, adjuvante Chriſto dignum honorem & utilitatem impendam, ut illo die quando illum primitùs videro, fideliter per manus meas miles S. Petri & illius efficiar.* En formula Sacramenti à Rodolpho editi, quam Gregorius his ſolemnibus verbis ibidem recipit. *Verùm quoniam religionem tuam Apoſtolicæ Sedi fidelem & promiſſis tenemus & experimentis non dubitamus: de his ſi quid minuendum vel augendum cenſueris, non tamen prætermiſſo integro fidelitatis modo, & obedientiæ promiſſione, poteſtati tuæ & fidei quam B. Petro debes, committimus. Quòd verò de Sacerdotibus interrogaſtis, placet nobis ut in præſentiarum tum propter populorum turbationes, tum etiam propter bonorum inopiam Sacerdotum: Scilicet quia pauciſſimi ſunt qui fidelibus Chriſtianis officia religionis perſolvant, pro tempore rigorem canonicum temperando debeatis ſufferre. De his namque pacis & tranquillitatis tempore quod Domino miſerante citò futurum credimus, convenientius tractari, pleniuſque poterit canonicus Ordo ſervari, &c.*

Hucuſque Gregorius, non quidem Epiſcopi, ſed abſoluti Monarchæ perſonam in omnibus ſuis actis capeſcens. Hæc autem ejus reſponſio & formulæ Sacramenti quas præſcripſit, quatuor digna obſervatione capiunt. Primum eſt quod florente Romano Imperio Pontifices Romani Imperatoribus tanquam Dominis ſuis legitimis parerent in temporalibus: turbatis verò rebus, & Principibus Imrii inter ſeſe altercantibus, ſummam rerum collegerint, atque ex animi arbitrio ipſis Principibus legem fixerint. Nam Gregorius quæcumque vult, onera novo Regi imponit, atque Imperii Majeſtatem totam ad ſe pertrahit. Rodolphus autem tanquam regni invaſor & uſur-

Digitized by Google

uſurpator non recuſat fieri Papæ beneficiarius & homo ligeus: ſicque de alieno corio luditur, ut hinc mortales ſapere diſcant. Quæ quidem mihi ea in memoriam revocant quæ in Galliis tempore bellorum civilium Ligæ fieri vidimus, cùm Dux Meduanus bonus quidem, aliàs Princeps ſub Curiæ Romanæ atque Hiſpanorum Imperatis, & ſuam & regni Gallicani conditionem gemeret. Profectò qui ejuſmodi diſſidia ad hoc Caſſiani pronuntiatum, cui bono, expenderit; proclivè cognoſcet ecquibuſnam Imperii atque regnorum conturbatio & dilapidatio fructuoſa aut detrimentoſa ſit; & quinam res temporales turbatas aut pacatas volunt, ut ſuum augeant dominatum. Quod etiam exemplo regni Franciæ afflictiſſimi ſub imbecilla Ludovici XIII. ætate poteſt illuſtrari. Quid enim poſt Henrici Magni interitum prætextu Religionis & pietatis aſſerendæ Curia Romana non eſt molita? Quantus & qualis Cardinalium ac Jeſuitarum in ea potentatus; adeò quidem ut non tantùm intereſſent; verùm & etiam Regis imbecillæ ætatis conſilio præeſſent? Hercle cauſis eſſentialibus poteſtatis Eccleſiaſticæ æque repugnat Clericos ſeſe negotiis ſæcularibus dedere, quàm piſces volare, aut aves natare. Unde nihil cauſæ eſt mirari & politica & Eccleſiaſtica tam malè habere, quando naturæ ordine perverſo omnia conturbantur. Profectò Curia Romana ejuſque clientelæ numquam in aliquo regno aut principatu moderatiores exiſtunt, quàm dum ſtatus Reipublicæ potens atque pacatus eſt: Et hactenùs de primo notabili. Secundum eſt Gregorium hac juramenti formulâ nominatim excipere terras & ditiones quas Eccleſia à Conſtantini & Caroli Magni liberalitate, aut ab aliis viris & mulieribus poſſidet: ubi per mulieres Mathildem deſignat, quæ, ut ſuprà notavit Onuphrius, *aliquot urbes Longobardiæ, Tuſciæ & Liguriæ hæreditario jure ad ſe pertinentes, Gregorio & S. R. E. donavit, quas Henricus IV. ad ſe devolutas ideo contendebat, quòd eſſent beneficiariæ Imperii, &c.*

VI. Tertium notabile eſt, eumdem Rodolphum *militem S. Petri & Papæ effici:* quam clauſulam illi qui Gregorii Epiſtolas Romæ edi curaverunt, tanti quidem (ô tempora: ô mores à legis gratiæ manſuetudine abhorrentes!) fecerunt, ut ad oram & marginem libri hæc minutiori caractere exprimi voluerint: *Imperator efficitur miles Sancti Petri & Papæ.* Quæ aliaque permulta, quorum mentionem obiter faciemus, dum apud me perpendo, mundanæ ſapientiæ cæcitatem ſatis mirari nequeo, & niſi vidiſſem ac legiſſem Hildebrandi Epiſto-

las

Digitized by Google

las Romæ editas, multa ab Eccleſiæ hoſtibus conficta eſſe putaſſem: quoniam Curia Romana paſſim inde laudem aucupatur; unde pudore ſuffundi deberet: maximè verò ex negotiorum ſæcularium & rerum bellicarum ſtudio. Jam illos rogatos velim dicant ingenuè, *quonam jure Imperator miles Papæ efficiatur*; divino, an naturali? Certè non alio quàm quia Rodolphus regni & Imperii alieni prædo atque uſurpator erat; & Gregorii VII. imperata, qui cum ad invaſionem hanc pepulerat, perferre cogebatur. Eadem hîc certè ratio decurrit, ac ſi poſt Henricum III. Gallorum Regem extinctum parricidio Gregorius XIV. aliquem in Franciæ Regem eâ lege cooptari voluiſſet, ut jure feudatario & vaſſalico miles Sancti Petri & Papæ efficeretur: de hoc enim agitur inpræſentiarum; nequis argutulus ſophiſta cauſetur hæc in eam partem capi oportere, quòd Principes arma pro Eccleſiæ defenſione expedire debeant: ſic enim Rodolphus non fuiſſet magis Papæ miles, quàm quivis alius Princeps Chriſtianus.

VII. Quarto notabili Gregorius anno nono ſui Pontificatus tandem agnoſcit pacem, unitatem, concordiam, & charitatem eſſe finem omnium legum, præceptorum, cenſurarum, atque Inſtitutorum; & quando periculum turbandæ pacis impendet, parabolam de zizaniis non extirpandis præcepto negativo æquipollere, quod ad ſemper & pro ſemper obligat, conſequenterque numquam cenſuras in aliquem diſtringi oportere cum pacis & tranquillitatis publicæ diſpendio, ut pluribus eſt ſuprà obſervatum lib. 3. cap. 4. in quam doctrinam ſalutarem & indubitatam Gregorius ſe impegiſſe fatetur: Rogatus enim à Rodolpho & aliis quidnam cenſeret, velletque fieri adversùs Sacerdotes uxoratos & ſimoniacos, quos generatim excommunicatione involverat (nam de aliis quos nominatim excommunicaverat nihil relaxari vult) reſpondet *propter populorum turbationes & bonorum Sacerdotum inopiam ad tempus aliquod canonicum rigorem temperari debere, quoniam pacis & tranquillitatis tempore de his convenientius tractari, pleniuſque Ordo canonicus ſervari poterit*. Hæc ibi: verùm certiſſimis atque evidentiſſimis divinæ & naturalis legis principiis, cauſiſque eſſentialibus poteſtatis Eccleſiaſticæ nixus etiam juxta Gregorii VII. teſtimonium contendo *longè ſatius fuiſſe malum quod rectè jacebat non movere*, ut communi fertur adagio, quàm rebus turbatis & patrato ſchiſmate ſacrilego, per innumeras populorum ſtrages, quæ ab Gregorii cenſuris tanquam à cauſa certiſſima profectæ ſunt, mandare ut ſuperſederetur à rigore canonico.

Harum

Harum autem turbarum & ſeditionum Hildebrandus libro. 4. Epiſtolâ 20 ad Pariſienſem Epiſcopum non eſt obſcurus narrator. *De cætero, ait, Rogamus te, & multum admonemus & omnibus confratribus & coëpiſcopis tuis per totam Franciam ex Apoſtolica auctoritate ſignifices quatenus & illis Sacerdotibus, qui à turpitudine fornicationis ceſſare noluerint, omne officium ſacris Altaribus miniſtrandi penitùs interdicant: & tu ipſe omni loco & conventu id prædicare non ceſſes: & ſi hac in re aut Epiſcopos tepidos, aut illos qui Sacrorum Ordinum nomen & officium indignè pro ſupradictis criminibus uſurpare præſumunt, rebelles eſſe cognoveris, omni populo, ne eorum ulterius officium ſuſcipiat, ex parte B. Petri, & noſtrâ Apoſtolicâ auctoritate ubique interdicas, &c.* Quam Epiſtolam quarto anno ſui Pontificatus ſcripſit; & tamen ibidem memorat *ſibi relatum eſſe Cameracenſes hominem quemdam flammis tradidiſſe, eo quòd Simoniacos & Presbyteros fornicatores Miſſas non debere celebrare, & quòd illorum officium minimè ſuſcipiendum fore, dicere auſus fuerit: quod nobis valdè terribile eſt, & ſi verum eſt, omni rigore canocicæ ſeveritatis vindicandum eſſe videtur,* inquit: Quo exemplo barbaricæ crudelitatis, non arduum eſt inire quanta & quàm horribilia mala Gregorii cenſuras ſequuta & concomitata ſint: ab uno collige omnes, quando ipſemet poſt novem annos primos ſui Pontificatûs certior factus quòd ſua Imperata executioni mandari nullomodo poſſent, canonicum rigorem temperare cogatur. Cùm enim Hildebrandus noſter tam perfracto eſſet animo, inde plurimi inducebant animum Sacramenta ab excommunicatis aut vitioſis Sacerdotibus collata vel confecta, nullius eſſe virtutis aut pretii: aliis contrà renitentibus meritò quidem: Et quoniam Gregorius iis qui dicebant Sacramenta nullius eſſe virtutis, ſilentium minimè imponebat, imò eos tuebatur (quoniam ejuſmodi dicta propoſito ſuo inſervirent) inde permaximi turbarum atque ſeditionum æſtus ubique locorum emergebant. Lambertus Scafnaburgenſis, auctor, inquam, nullo modo ſuſpectus Bellarmino, hæc ad annum Chriſti 1074. qui eſt ſecundus Pontificatûs Gregorii. *Hildebrandus Papa, ait, cum Epiſcopis Italiæ conveniens frequentibus Synodis decreverat ut ſecundùm inſtituta antiquorum canonum Presbyteri uxores non habeant: habentes aut dimittant, aut deponantur, &c. Adverſus hoc decretum protinùs vehementer infremuit tota factio Clericorum, hominem planè hæreticum & veſani dogmatis eſſe clamitans, qui oblitus ſermonis Domini, quo ait, non omnes capiunt hoc verbum, qui poteſt capere, capiat. Et Apoſtolus: Qui ſe non continet, nubat; melius eſt enim*

nube-

Digitized by Google

nubere quàm uri: violentâ exactione homines vivere cogeret ritu Angelorum: Et dum conſuetum curſum naturæ negaret, fornicationi & immunditiei fræna laxaret: quòd ſi pergeret ſententiam confirmare, malle ſe Sacerdotium quàm conjugium deſerere: & tunc viſurum eum cui homines ſordeant, unde gubernandis per Eccleſiam Dei plebibus Angelos comparaturus eſſet. Nihilominus Gregorius inſtabat, & aſſiduis Legationibus Epiſcopos omnes Socordiæ atque deſidiæ arguebat, & niſi ocyus injunctum ſibi negotium exequerentur, Apoſtolicâ cenſurâ ſe in eos animadverſurum comminabatur. Archiepiſcopus Moguntinus ſciens non parvo conſtare operam hanc, ut tanto tempore inolitam conſuetudinem revelaret, atque ad rudimenta naſcentis Eccleſiæ ſeneſcentem jam mundum reformaret, moderatius agebat cum eis: & primò eis in dimidium annum inducias, & deliberandi copiam dedit, hortans eos ut quod neceſſariò faciendum ſit, ſponte faciant, & tam ſibi quàm Romano Pontifici neceſſitatem adimant aliquid in eos quod ſecùs ſit, decernendi, &c. Cùm illos urgere vellet, conſilium de illo trucidando ſuſceperunt, idque in cauſa fuit ut dehinc Gregorius Curienſem Epiſcopum Legatum miſerit in Germaniam cum eiſdem mandatis; eamque ob cauſam Moguntinus Archiepiſcopus anno 1075. menſe Octobri Synodum congregavit Moguntiæ: Sed Sacerdotes qui eò confluxerant, exurgentes Legatum & Moguntinum Archiepiſcopum ita verbis confutabant; ita manibus & totius corporis geſtu in eum debacchabantur, ut ſe vitâ comite, Synodo exceſſurum deſperaret. Sic tamen rei difficultate ſuperatus ſtatuit ſibi deinceps tali quæſtione omnino ſuperſedendum, & Romano Pontifici relinquendum, ut cauſam quam ipſe toties inutiliter propoſuiſſet, ille per ſemetipſum quando & quomodo vellet, peroraret.
Quæ narratio Scafnaburgenſis tria præſertim nos edocet. Primò Gregorium cum ſolis Epiſcopis Italiæ hæc decreta ſciviſſe: quod pariter intelligendum de aliis quæ adversùs Henricum IV. ſtatuit. Secundò Hildebrandum valdè imperioſum, omniaque ejus decreta impoſſibilia executum fuiſſe. Tertiò cauſam Presbyterorum uxoratorum cùm apertè non auderet, obliquè defendit Scafnaburgenſis, dum eam validiſſimis rationibus contra pervicax ſtudium vincendi Gregorii munit; hincque diſcimus tum temporis omnes Latinæ Eccleſiæ Sacerdotes ſimplices, aut majorem illorum partem more Græcorum Sacerdotum uxores duxiſſe ad immunditiam & fornicationem vitandam, ut ait Scafnaburgenſis, qui teſtatur morem hunc à multis annis inoleviſſe, ac proinde non tam pronum fuiſſe Presbyteros ad primitivæ Eccleſiæ conſuetudinem revocare: quos uxoratos Sa-

Digitized by Google

cerdotes Hildebrandus contra rei & Hiſtoriæ veritatem paſſim fornicatores & fornicarios vocat, quò majorem illis conflet invidiam. Sed quando error communis inveteratus facit jus, certumque eſt humanas leges cœlibatus in Latina Eccleſia tum abrogatas fuiſſe deſuetudine, procul dubio ſcita Gregorii & Epiſcoporum Italiæ; imò verò Concilii generalis legitimè congregati hac in parte obligare non potuerunt, niſi prius reciperentur. Quare tum Latini Sacerdotes qui conjugia inierant, nihilò magis erant fornicatores quàm hodiè Græci. Index Librorum expurgatorius Romæ anno 1607. editus vetat fidem haberi Sigeberto, niſi cum aliis probis atque orthodoxis Scriptoribus conſentanea loquatur: quam legem libenter accipio, atque oſtendo Sigeberti Chronicum anno 1074. ea ipſa confirmare, quæ partim ex Gregorii Epiſtolis ad Pariſienſem Epiſcopum; partim ex Chronico Scafnaburgenſis retuli. Sigebertum audiamus. *Gregorius Papa celebratâ Synodo Simoniacos anathematizavit, & uxoratos Sacerdotes à divino officio removit, & Laicis Miſſam eorum audire interdixit, novo exemplo, & ut multis viſum eſt inconſiderato præjudicio contra Sanctorum Patrum ſententiam, qui ſcripſerunt quòd Sacramenta quæ in Eccleſia fiunt; Baptiſmus ſcilicet, chriſma, corpus & ſanguis Chriſti, Spiritu Sancto latenter operante eorumdem Sacramentorum effectum ſeu per bonos ſeu per malos intra Dei Eccleſiam diſpenſentur: tamen quia Spiritus Sanctus myſticè illa vivificat, nec meritis bonorum diſpenſatorum amplificantur, nec peccatis malorum attenuantur, unde eſt hic qui baptiſat? Et quare tam grave oritur ſcandalum, ut nullius hæreſis tempore Sancta Eccleſia graviori ſchiſmate ſciſſa ſit, his pro juſtitia, illis contra juſtitiam agentibus, aliis à Simonia non declinantibus; aliis notam avaritiæ honeſto nomine prætexentibus: dum hoc quod ſe dare gratis jactant ſub charitatis nomine vendunt, &c. Laici ſacra myſteria temerant, & de his diſputant: Infantes baptiſant, ſordido humore aurium pro ſacro oleo & chriſmate utentes. In extremo vitæ viaticum dominicum, & uſitatum Eccleſiæ obſequium ſepulturæ à Presbyteris conjugatis accipere parvi pendunt: Decimas Presbyteris deputatas igni cremant. Et ut in uno cætera perpendas, Laici corpus Domini à Presbyteris conjugatis conſecratum ſæpe pedibus conculcaverunt, & ſanguinem Domini voluntariè effuderunt; & multa alia contra jus & fas geſta in Eccleſia ſunt: Et hac occaſione multi pſeudomagiſtri exurgentes in Eccleſia prophanis novitatibus plebem ab Eccleſiaſtica diſciplina avertunt.* Hæc Sigebertus teſtis oculatus, quæ vera eſt hiſtoria. Primùm quod ait Gregorium

novo

Digitized by Google

novo atque inconſiderato exemplo ac præjudicio interdixiſſe, nequis Miſſas Simoniacorum & uxoratorum Sacerdotum audiret, &c. Certè illud ipſum confirmant Hildebrandi Epiſtolæ, qui coactus eſt rigorem ut vocat, canonicum relaxare, ut paulò ante docuimus. Secundò dum Sigebertus narrat Patres antiquos docuiſſe Sacramenta collata à vitioſis Sacerdotibus ſuam debitam virtutem nanciſci, &c. clarè indicat Gregorii Imperata maximum huic doctrinæ orthodoxæ præjudicium attuliſſe: quoniam, ut jam monui, permulti zelotes dum obſervarent Hildebrandum nihil de ſuis edictis velle remittere, unà colligebant & publicabant Sacramenta quæ à vitioſis aut conjugatis Presbyteris conferrentur, nulla eſſe. Unde, inquit Sigebertus, uſu evenit, *ut Laici Sacra myſteria temerent & de iis diſputent.* Malebant enim infantes baptiſare, atque ſordido aurium limo illos inungere, quàm operâ Presbyterorum conjugatorum uti, & ab illis ſacrum chriſma accipere: utque in uno cætera æſtimes: *Laici corpus Domini à Sacerdotibus conjugatis conſecratum ſæpe pedibus conculcarunt.* Quâ de causâ ubique terrarum ferro & igne tumultuabatur, ſicut exemplum à Gregorio VII. de Cameracenſibus allatum comprobat: *His pro juſtitia:* nimirum quòd Sacramenta à vitioſis operata Sacerdotibus effectu non carerent: *aliis contrà renitentibus.* Et ita planum evadit quantis calamitatibus nimium Hildebrandi ſtudium vincendi Eccleſiam cumulaverit. In tomo de juriſdictione Imperiali extat *Tractatus de Unitate Eccleſiæ conſervanda.* Qui Waltramo Naumburgenſi Epiſcopo adſcribitur: in quo reſpondet quibuſdam argumentis Epiſtolæ Gregorii ad Herimanum Metenſem Epiſcopum, & tractatui ſcripto ab Hildebrando ſuper hac controverſia: *Utrum ſcilicet Sacramenta à conjugatis Presbyteris confecta valerent.* Atque ibidem deſcribit miſerias illorum temporum quas non eſt humani ingenii concipere; folioque 53. hæc memorantur. *Jam imminere videtur illa magna tribulatio, qualem dicit in Euangelio Dominus non fuiſſe ab initio mundi uſque modò. Tunc ſiquis vobis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere, &c. Graviter quidem ſcandaliſamur, quod ſanctis quoque Patribus, qui apud nos vivere debent in ſuis conſtitutionibus hæc calumnia imponitur, ut per eorum doctrinam quâ loquitur nobis Chriſtus, qui eſt pax noſtra, confirmentur nunc partium ſive bellorum ſtudia. Unde noſter adverſarius* (Hildebrandum intelligit) *apud quem non eſt veritas, nec pax, nec juſtitia,* ſcribit, *poſt multiplicem teſtimoniorum congeriem, quibus contendit nihil valere apud nos Chriſti Ec-*
 cleſiæ

Digitized by Google

cleſiæ Sacramenta, *& quòd ſuſpenſi ſimus ab Eccleſiaſtica communione ſecundùm canonum præcepta*, *&c.* Quibus accurate perpenſis cavillus Bellarmini libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis adversùs Sigebertum depellitur: Perhibet enim Gregorium *ſolummodo Miſſas Presbyterorum concubinariorum*, *non uxoratorum prohibuiſſe*: non quòd cenſeret *Miſſas illas non eſſe veras*, *ſed quòd judicaret concubinarios indignos eſſe qui Miſſam celebrarent*, *& qui à fidelibus populis frequentarentur*. Quibus verbis Bellarminus petitionem declinat, non repellit: quoniam ex libris qui eo tempore ſcripti ſunt, atque ex ipſius Gregorii geſtis facilè colligimus quæ à Sigeberto dicuntur eſſe certiſſima: nempe Gregorium docuiſſe Sacramenta quæ à conjugatis Sacerdotibus conficiebantur & conferebantur, eſſe irrita & nulla. At Sigebertus, imò verò Scafnaburgenſis nominatim loquuntur *de uxoratis aut conjugatis Sacerdotibus*, *non de concubinariis*, ut cavillatur Bellarminus, certumque eſt etiam à concubinariis Sacramenta confici & conferri: alioqui certè hodiè magna pars Chriſtianorum abſque Sacramentis periret: quamquam fatear indignos eſſe concubinarios, qui Sacramenta conficiant aut celebrent.

VIII. Porrò hæc mihi in memoriam revocant quæ ſub Henrico III. & IV. Galliæ Regibus geſta ſunt in Galliis. Quid enim bellorum civilium furore & vincendi cupiditate percitos homines furere, & in ſeſe invicem comminiſci ac moliri non videmus? Herclè Gregorius XIV. ſibi Gregorium VII. æmulandum putabat, quoniam non modò cenſuris, verùm etiam armis Franciæ Regem ſibi debellandum propoſuerat, eumque in finem nepotem Sfondratam cum aliquot alis equitum miſerat in Gallias, atque ingentem ſummam pecuniarum quam Sixti V. parſimonia alios in uſus cumularat, paucorum menſium intervallo profudit: tumque plurimi Sacerdotes ex urbibus quæ Henrico IV. parebant, ad Nuncios Apoſtolicos accurrebant, ut ab eis reſcirent quidnam optimum eſſet factu. Hi verò auctores erant Sacerdotibus, ut urbes illas vacuas ſacris desererent, atque *Babylone exirent*. Sic enim loquebantur, rumorque tum erat vera Sacramenta ibi non conferri, eamque ob cauſam conſpectum & conſuetudinem illorum qui Biarnæo adhærebant (ſic enim Rex fortiſſimus appellabatur) planè fugiebamus. Et niſi illi Sacerdotes qui favebant Henrico ſtrenui manſiſſent cum illo, tum quidem actum erat de Catholica Religione in Galliis: quoniam Hugonotæ errorem ſuum in omnium animos inſinuaſſent, atque in urbes

bes invaſiſſent, quod Deus ſuâ immenſâ bonitate avertit, & conſilia mundana diſturbavit. Procul dubio nihil poteſt eſſe periculoſius in Eccleſiaſticis quàm nimium vincendi ſtudium, ut S. Martinus lib. 2. Hiſtoriæ Sacræ Severi Sulpitii docet. Ratio eſt quia ſolâ poteſtate miniſteriali ſpirituali prædìti in omnibus ſuis incœptis & geſtis, Chriſti manſuetudinem imitari, neque auctores eſſe debent ut Religio & fides armis propagetur aut defendatur. Verùm non ſtetit per Gregorium VII. quominùs etiam univerſa Gallia civili incendio & ſacrilego ſchiſmate ſicut Germania & Italia conflagraret, niſi Galliæ Ordines & potiſſimum Epiſcopi Hildebrando obſtitiſſent. Cunctis enim Galliarum Archiepiſcopis & Epiſcopis ad hunc modum imperioſè ſcribit lib. 2. Epiſtolâ 5. contra Philippum I. Regem Franciæ: *Propter quod & vos Apoſtolicâ auctoritate commoti atque conſtricti matrem veſtram S. Romanam & Apoſtolicam Eccleſiam debitâ fide & obedientiâ imitamini, & à Regis vos obſequio atque communione penitùs ſeparantes, per univerſam Franciam omne divinum officium publicè celebrari interdicite. Quòd ſi nec hujuſmodi diſtrictione voluerit reſipiſcere, nulli clam aut dubium eſſe volumus, quin modis omnibus regnum Franciæ de ejus occupatione, adjuvante Deo, tentemus eripere. Sanè ſi in hoc tanto tamque neceſſario negotio tepidos vos cognoverimus, non jam ampliùs dubitantes, quin veſtrâ fiduciâ fultus, incorrigibilis perduret, vos ipſos ſicut ſocios & complices ſcelerum ejus, Epiſcopali privatos officio, pari vindictæ jaculo feriemus.* Deinde ſic Epiſtolam concludit. *Præterea multùm rogamus & admonemus dilectionem veſtram, quatenus Lanzelinum Belovacenſem militem convenientes, ut Folcerium Carnotenſem fidelem noſtrum, quem ab Apoſtolorum liminibus revertentem cœpit, nihil de bonis ejus retinens, illæſum dimittat, & ex parte B. Petri & noſtrâ Apoſtolicâ auctoritate commoneatis. Quod ſi facere contempſerit, ſpiritualibus & ſecularibus armis eum inſequi & urgere non prius deſiſtetis, quàm relicto S. Petri peregrino, etiamſi quid pro redemptione illius acceperit, aut pepigit, ſimul reddere aut refutare cogatis.* Certè nulla pars Epiſtolarum Gregorii horribilibus interdictis, interminationibus aut abdicationibus caret: In hac autem Epiſtola duo potiſſimum occurrunt notanda. Primum: quod Philippum Regem occupatorem regni vocet, eique interminetur de regni occupatione expulſum iri: quâ loquendi formula indicat, ſtatim atque aliquem Principem ſub excommunicatione aut interdicto poſuit, non ampliùs eſſe legitimum Principem: idque hodiernæ doctrinæ Jeſuitarum concordat.

 Alte-

Alterum obſervatione dignum quod Epiſcopis abdicationem Epiſcopalis officii fautoribus Regis interminetur, niſi univerſam Franciam ſub interdicto ponant: quaſi verò Epiſcopi non juſtam habuerint cauſam ſuperſedendi ab ejuſmodi interdicto propter mala quæ inde emerſura prævidebant. Tertiò Gregorius jubet Eccleſiaſticos Lanzelinum militem Belovacenſem ſpiritualibus & ſecularibus armis proſequi, etiam non cognitâ causâ: hic enim vult viâ facti procedi: quod teſtimonio eſt certiſſimo quantùm Hildebrandi imperata ſint ineluctabilia, & quantùm armis delectaretur: adeò quidem ut nulla pagina ſit in ejus operibus, quæ bellicis factionibus non crepet horribiliter. Cæterùm Philippus Galliæ Rex ejuſmodi imperatis exacerbatus, aliquos Italiæ negotiatores, atque Oratores S. Petri (ut eos Gregorius vocitat) aſperius tractavit. Quam ob cauſam lib. 2. Epiſtolâ 18. Comiti Pictavienſi ſcribit *ſe Philippum excommunicaturum, & quotidiè ſuper Altare S. Petri excommunicationem confirmaturum.* Quæ omnia indicant Gregorii VII. ingenium meritò quidem univerſo mundo formidoloſum extitiſſe, quando omnes Principes ſui terrore percellere niteretur, præceptorum Chriſti & legis gratiæ planè immemor.

IX. At profectò hæc leviſſima videbuntur fribuſcula, ſi cum Henrici Imperatoris exauctoratione comparentur, quoniam Hildebrandus fretus diviſione quæ inter Principes Imperii & Cæſarem graſſabatur: quando quidem magno artificio fovebat atque exaſperabat, cùm Imperatorem bello Saxonico periculoſiſſimo irretitum & quaſi oppreſſum duceret, occaſionem tantam minimè negligendam ratus, ad Cæſarem abdicandum ſibi hac ratione viam ſtravit: quod apud S. Gregorium Epiſtolâ 11. libri undecimi legiſſet, virum Sanctiſſimum & mitiſſimum omnibus, qui Auguſtodunenſis Xenodochii privilegium imminuere aut labefactare niterentur, ſuæ dignitatis atque auctoritatis abdicationem interminari. Quam clauſulam non pro interminatione, ſed pro certiſſimo & Catholico dogmate, tanquam rebus conficiendis, quas animo volvebat peropportuno, avidiſſimè amplexus eſt. Quocirca non ſemel hujus interminationis meminit ſcilicet Epiſtolâ 2. & 24. libri 4. item 21. libri octavi. Neque hîc S. Gregorii æmulator attendit, aut attendere voluit iſtam comminationem hominum abdicandorum propriâ dignitate temporali rogatu atque impulſu Regis & Reginæ Francorum factam, ut claret Epiſtolâ 8. libri 11. Epiſtolarum B. Gregorii: *Nos,*

Digitized by Google

Nos, ait ad Brunechildem Reginam, *pro munitione locorum de quibus excellentia veſtra ſcripſit, omnia ſicut voluit, ſancire ſtuduimus.* Quamobrem nihil mirabile eſt S. Gregorium auctoritate & potentiâ Regis & Reginæ fultum, exauctorationem dignitatis & poteſtatis temporalis violatoribus memorati privilegii interminari; dato quod hæc comminatio vera non ſuppoſititia ſit: de qua re aliàs. Verùm quamquam indubitata eſſet, non debet tamen intelligi de Regibus, quia in odioſis nomine dignitatis aut poteſtatis, Regis dignitas capi non ſolet. At profectò, ut jam aliàs obſervavi, Hildebrandus multò ſecuriùs & conformiter ad cauſas eſſentiales poteſtatis Eccleſiaſticæ S. Gregorium imitari poterat lib. 7. Epiſtolâ 1. conjectâ in corpus canonicum 23. quæſt. 8. can. *Si in morte Longobardorum me miſcere voluiſſem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in ſumma confuſione eſſet diviſa: Sed quia Deum timeo, in morte cujuſlibet hominis me miſcere reformido.* Ubi animadverſione dignum Longobardos publicos fuiſſe hoſtes atque Uſurpatores regni: attamen B. Gregorium, quia Deum timebat, memorque erat ſuæ ſortis, ſe miſcere noluiſſe eorum morte: quantò ergo minùs licuit Gregorio VII. Claſſicum perſonare contra Imperatorem Chriſtianum, legitimum, amiciſſimum & Eccleſiæ benefactorem; atque univerſum mundum igne, ſanguine, & vaſtitate horribili replere? Hoc igitur teſtimonio S. Gregorii perperam accepto, Gregorius VII. ſe ad Henricum deponendum accinxit in quarta Synodo Romana Provinciali ex aliquot Epiſcopis Italiæ & Abbatibus præſertim Ordinis S. Benedicti conflata.

X. Quâ in Synodo 27. DICTATUS: Sic enim indigitat, tanquam abſolutus & infallibilis Eccleſiæ Monarcha nullo prævio examine condidit, quos lib. 2. poſt 55. Epiſtolam habes, ſicque concepti ſunt:

DICTATUS PAPÆ.

1. *Quòd Romana Eccleſia à ſolo Domino ſit fundata.*
2. *Quòd ſolus Romanus Pontifex jure dicatur univerſalis.*
3. *Quòd ille ſolus poſſit deponere Epiſcopos, vel reconciliare.*
4. *Quòd Legatus ejus omnibus Epiſcopis præſit in Conſilio, etiam inferioris gradus, & adversùs eos ſententiam depoſitionis poſſit dare.*
5. *Quòd abſens Papa poſſit deponere.*
6. *Quòd cum excommunicatis ab illo, inter cætera, nec in eadem domo debemus manere.*
7. *Quòd illi ſoli licet pro temporis neceſſitate novas leges condere, novas plebes congregare, de Canonica Abbatiam facere: & econtrà divitem Epiſcopatum dividere, & inopes unire.*

8. *Quòd*

8. *Quòd ſolus poſſit uti Imperialibus inſignibus.*
9. *Quòd ſolius Papa pedes omnes Principes deoſculentur.*
10. *Quòd illius ſolius nomen in Eccleſia recitetur.*
11. *Quòd unicum eſt nomen in mundo.*
12. *Quòd illi liceat Imperatores deponere.*
13. *Quòd illi liceat de ſede ad ſedem, neceſſitate cogente, Epiſcopos tranſmutare.*
14. *Quòd de omni Eccleſia quemcunque voluerit Clericum, valeat ordinare.*
15. *Quòd ab illo ordinatus alii Eccleſia praeſſe poteſt, ſed non militare, & quòd ab aliquo Epiſcopo non debet ſuperiorem gradum accipere.*
16. *Quòd nulla Synodus abſque praecepto ejus debet generalis vocari.*
17. *Quòd nullum Capitulum, nullusque liber canonicus habeatur abſque illius auctoritate.*
18. *Quòd ſententia illius à nullo debeat retractari, & ipſe omnium ſolus retractare poſſit.*
19. *Quod à nemine ipſe judicari debeat.*
20. *Quòd nullus audeat condemnare Apoſtolicam ſedem appellantem.*
21. *Quòd majores cauſa cujuſcumque Eccleſia ad eam referri debeant.*
22. *Quòd Romana Eccleſia numquam erravit, nec in perpetuum Scriptura teſtante errabit.*
23. *Quòd Romanus Pontifex, ſi canonicè fuerit ordinatus, meritis B. Petri indubitanter efficitur Sanctus, teſtante S. Enodio Papienſi Epiſcopo, & multis Sanctis Patribus teſtantibus, ſicut in decretis B. Symmachi Papa continetur.*
24. *Quòd illius praecepto & licentiâ ſubjectis liceat accuſare.*
25. *Quòd abſque Synodali Conventu poſſit Epiſcopos deponere & reconciliare.*
26. *Quòd Catholicus non habeatur qui non concordat Romana Eccleſia.*
27. *Quòd à fidelitate iniquorum ſubjectos poteſt abſolvere.*

Proculdubio nihil quicquam excogitari potuit quod Romano Pontifici terrorem & admirationem æquè inter mortales conciliaret, quàm iſtiusmodi Dictatus, ſi ſemel animos hominum invaſerint, ſicut imperitorum & ſimplicium invaſiſſe certiſſimum eſt: quare Gerſonius tractatu quem inſcripſit: *Reſolutio circa materiam excommunicationum & irregularitatum ait imbecilles ſibi perſuadere Papam eſſe unum Deum in terra, qui omnia poteſt: unde illos ſedulò de veritate informandos cenſet.* Fateor me cum magno ſtupore hos legiſſe & relegiſſe majeſtativos Dictatus: ac ſemper miratum Curiæ Romanæ cæcitatem, quòd iſto ſæculo Atheis & hæreticis refertiſſimo, qui quidem Papam Antichriſto comparant, Edicta hæc abſoluta edi curaviſſet; quando compertum eſt Eccleſiæ & Catholicæ Religioni plurimùm nocere, nihil autem prodeſſe poſſe. Onuphrius vir hiſtoriæ Eccleſiaſticæ peritiſſimus & maximi judicii, cui Annales Baronii multa debent, *Lib. de varia creatione Romani Pontificis.* Vitam & geſta Gregorii VII. deſcribit, hæcque de iſtis edictis memorat: *In media quadrageſima Romæ: in Eccleſia Lateranenſi, qua Conſtantiniana*

Digitized by Google

niana appellatur, primò Synodum generalem multorum Epiſcoporum, Abbatum & aliorum Prælatorum congregavit; in qua circa 30. edidit Capitula ſeu Canones, quos Dictatus appellavit: quorum major pars antea parum in uſu fuerat, & a nemine prædeceſſorum umquam attentata. Verùm ad firmiſſimum Eccleſiæ ſtatum faciendum, & ad ea omnia tentanda quæ animo agitabat idonea: Ex quibus illud intelligebatur quæ tum Romani Pontificis auctoritas fuerit. Quibus decretis gradum ſibi fecit & viam ad ea omnia quæ animo conceperat peragenda, &c. In quam Onuphrii narrationem quatuor dicenda habeo. Primò falſum eſſe iſtos Dictatus conditos in Synodo generali, niſi fortè Synodum generalem vocet conventum ex Epiſcopis Italiæ, & Abbatibus Ordinis S. Benedicti, Gregorio qui etiam Benedictinus fuerat, addictiſſimis. Herclè Severinus Binius, quamquam in Baronii & Bellarmini verba jurarit, tamen non meminit hujus Synodi in ſua Collectione Conciliorum, neque pariter ulla ejus mentio extat in editionè Romana Conciliorum. Accedit toto tempore Pontificatûs Gregorii majorem partem Epiſcoporum ſtetiſſe ab Henrici IV. Imperatoris partibus, eiſque vehementer doluiſſe unitatem & pacem Eccleſiæ vehementi Hildebrandi ingenio à fundamentis conturbari. Amplius urgeo iſtos Dictatus ne quidem in Synodo privata canonicè diſcuſſos & examinatos, ſed dumtaxat à Gregorio velut abſoluto Monarcha propoſitos fuiſſe, neminemque Patrum ei auſum obloqui, cur ita ſanciret. Quocirca Onuphrius monet *majorem partem iſtorum Dictatuum ante parum in uſu, & à nemine prædeceſſorum Gregorii attentos fuiſſe*; quod ſecundum eſt notabile. Tertium verò hæc Capitula à Gregorio excogitata, ut ſibi gradum & viam ad ea faceret quæ in Henricum meditabatur. Quartò ex illis facilè colligi quæ tum fuerit Romani Pontificis auctoritas. Quibus monitis Onuphrii proclive eſt inire hæc Dictata non Synodicè, ſed abſoluto & planè deſpotico imperio fuiſſe ſancita. Porrò Gretſerus qui opus memoratum Onuphrii, *De varia creatione Romani Pontificis evulgavit:* dum ad veritatem narrationis Onuphrii elevandam, ad oram hujuſcemodi Dictatuum hoc adſcripſit gloſſema: *Nempe omnia decreta Gregorii VII. ex jure divino duci partim directè, partim indirectè; nec quicquam novi ſanxiſſe Gregorium, ſed quæ apud multos in oblivionem venerant, renovaſſe:* indicat ſe neſcire quidnam ſit jus divinum: idque ut pateat, & ne cuiquam ſpecie veri, prætextu aſſerendæ Religionis à Gretſero imponatur, ſingulos iſtos Dictatus dogmaticè examinabo.

Quoad primum articulum: *An Romana Eccleſia à ſolo Deo ſit fundata?* Regula eſt Logicorum: ambigua priùs diſtingui quàm definiri & explicari oportere. Cùm ergo hæc vox *Romana Eccleſia*, ad mentem etiam Gregorii & recentiorum homonymiâ obſcuretur, videndum eſt quidnam Gretſerus illa deſignare velit: nam ſi Romanæ Eccleſiæ appellatione univerſalem Eccleſiam intelligit, certo certius eſt à Chriſto fundatam Epheſiorum 5. verſu 25. *ſeipſum tradidit pro Eccleſia, ut illam ſanctificaret, &c.* Quare in Symbolo fidei hunc profitemur articulum. *Credo ſanctam Eccleſiam catholicam, ſanctorum communionem.* Qui articulus fidei cùm de Eccleſia ubique terrarum diffuſa capiatur, ut omnes docent, certe nihil magis de ſola Romana Diœceſi, quàm de quacumque alia privata, Pariſienſi, Senonenſi, &c. intelligi poteſt: quoniam Romana eſt pars Eccleſiæ, ſicut Pariſienſis & Senonenſis eſt pars Eccleſiæ Catholicæ, non tota Eccleſia Catholica, quamquam ratione primatûs primum membrum Eccleſiæ conſtituat. Herclè Patres antiqui ſemper Romanam Eccleſiam pro particulari ſumpſerunt, ut liquet canone 6. Nicæno. Secundò ſi Gretſerus per Romanam Eccleſiam, Concilium generale legitimè congregatum, quod Eccleſiam Catholicam repræſentat, deſignat: annuo pariter immediatè ſuam authoritatem derivare à Chriſto, ſeſſione 4. & 5. Synodi Conſtantienſis. Tertiò ſi per Romanam Eccleſiam B. Petri Primatum inſinuat, eſt ſimiliter ratum inter omnes Catholicos primatum formaliter, & quoad eſſentiam eſſe divinæ Inſtitutionis. Quartò ſi contendant Romanam Eccleſiam eſſe fundatam à Deo mediante Petro, qui Romæ ſedem ſuam defixit: Rependo idem dici poſſe de Antiochena Eccleſia in qua S. Petrum primitùs ſediſſe legimus in ſacra Scriptura Galatharum 2. Contrà ſolâ Patrum traditione Petrum fuiſſe Romæ accepimus, & credimus. Quare hoc abſolutè non ſpectat ad fidem, quia non extat in Scripturis. Sicque relinquitur quocumque ſenſu Romana ſeorſim à Catholica Eccleſia capiatur, non poſſe dici immediatè fundatam à Deo, neque pariter eſſe infallibilem, eo ipſo quòd conſtituta ſit à Petro: cùm pervagatum ſit Antiochenam Eccleſiam quam B. Petrus teſte Scripturâ fundavit, paſſam eſſe deliquium. Ex quo accidit ut omnes antiqui Doctores conſtanter docuerint longè aliud eſſe loqui de Eccleſia Catholica, & de privata Diœceſi, aut de Eccleſia Romana cui Papa præſidet, quoniam privilegium infallibilitatis ſoli Eccleſiæ Catholicæ donatum eſt à Chriſto. Eant ergo nunc cum ſuis æquivocationibus *Romanæ Eccle-*

ſiæ,

Digitized by Google

ſia, aſſeclæ, quibus ignaris illudere annituntur, quaſi idem eſſet loqui de Catholica atque de Romana Eccleſia.

Secundus articulus etiam æquivocatione ludificatur: Itaque videndum eſt, quid *univerſalis Pontifex*, Gretſero ſignificet: ſi enim hac notione velit indicare Papam ideo univerſalem dici, quòd ſit abſolutus Eccleſiæ Monarcha, & ab eo ſolo omnis poteſtas juriſdictionis aliorum Epiſcoporum derivetur, ſicut poteſtas omnium Magiſtratuum & Parlamentorum regni Franciæ à Rege Chriſtianiſſimo: hoc quidem & falſum & erroneum eſt: cùm teſte Bellarmino libro quarto de Romano Pontifice cap. 23. *Chriſtus idem dederit Apoſtolis per illa verba: Ego mitto vos, quod fuerat promiſſum per illud: Tibi dabo claves, & poſteà exhibitum per illud: Paſce oves meas, &c.* Unde ſicut Petrus conſtituit Epiſcopos; ita & alii Apoſtoli: nam Paulus Titum & Timotheum ordinavit, qui quidem ſuam juriſdictionem & poteſtatem non habuerunt à Petro, ſed à Paulo. Et poſtea etiam Titus atque Timotheus alios pariter Epiſcopos ordinarunt, & ita in infinitum. Certè conſtat ſacris litteris Chriſtum antequam aliquid poteſtatis ſeorſim B. Petro conferret, priùs Eccleſiam collectim & in commune ſumptam fundaſſe, ac ſibi ſufficientem effeciſſe: Matthæi 18. *Dic Eccleſia: qui Eccleſiam non audierit, &c.* Item Joannis 20. *ſicut miſit me Pater, & Ego mitto vos, &c.* Quæ verba auctore Bellarmino, non de interna in foro tantùm conſcientiæ, ſed de externa juriſdictione capi debent. Et hinc immediata Eccleſiæ auctoritas atque regimen Ariſtocraticum, ut pluribus docui in defenſione libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate. Quocirca *Tò Pontifex aut Epiſcopus univerſalis* pro abſoluto Eccleſiæ Monarcha ſtare nullomodò poteſt. Omitto præterea S. Gregorium planè oſtendere appellationem Epiſcopi univerſalis nullo modo poſſe ulli Epiſcoporum convenire ſub notione Monarchæ abſoluti, quia hoc ſingularitatis vocabulum uni & ſoli Chriſto competit, non hominibus, lib. 4. Epiſtolâ 32. ad Mauricium Imperatorem. *Univerſa ergo Eccleſia, quòd abſit, à ſtatu ſuo corruit, quando is qui appellatur univerſalis, cadit: Sed abſit à cordibus Chriſtianorum nomen iſtud blaſphemia, in quo omnium Sacerdotum honor adimitur, dum ab uno ſibi dementer arrogatur. Certè pro B. Petri Principis Apoſtolorum honore per venerandam Chalcedonenſem Synodum Romano Pontifici oblatum eſt, ſed nullus eorum hoc ſingularitatis vocabulum aſſumpſit, nec uti conſenſit, &c.* Item lib. eodem 4. Epiſtolâ 34. ad Conſtantiam Auguſtam. *Triſte tamen valde eſt, ut patienter fera-*

 tur

tur quatenus deſpectis omnibus, prædictus frater & Coëpiſcopus meus ſolus conetur appellari Epiſcopus: Sed in hac ejus ſuperbia quid aliud niſi propinqua jam Antichriſti eſſe tempora deſignatur? quia illum videlicet imitatur qui ſpretis in ſociali gaudio Angelorum Legionibus ad culmen conatus eſt ſingularitatis erumpere.

De Joanne Patriarcha Conſtantinopolitano agit, qui ſe Oecumenicum Patriarcham aut Epiſcopum vocitabat. Ibidem Epiſtolâ 36. ad Eulogium Alexandrinum Epiſcopum. *Sicut veneranda veſtra Sanctitas novit mihi per ſanctam Chalcedonenſem Synodum Pontifici Sedis Apoſtolicæ, cui Deo diſponente deſervio, hoc univerſitatis nomen oblatum eſt. Sed nullus umquam deceſſorum meorum hoc tam prophano vocabulo uti conſenſit: quia videlicet ſi unus Patriarcha univerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed hoc abſit à Chriſtiana mente, idque ſibi quempiam arripere, unde fratrum ſuorum honorem imminuere ex quantulacumque parte videatur.* Addit ſub finem Epiſtolæ: *Epiſcopus Conſtantinopolitanus jactantiam ſumpſit, ita ut univerſa ſibi tentet adſcribere, & omnia quæ ſoli uni capiti cohærent, videlicet Chriſto, per elationem pompatici ſermonis ejuſdem Chriſti ſibi ſtudeat membra ſubjugare.* Et aliquantò poſt: *Favente Domino omnibus viris concurrendum atque providendum, ne unius veneno ſermonis viventia in Chriſti corpore membra moriantur. Si enim hoc dici licenter permittitur, honor Patriarcharum omnium negatur: Et cùm fortaſſe is in errore perit qui univerſalis dicitur, nullus jam Epiſcopus remanſiſſe in ſtatu veræ veritatis invenitur. Oportet ergo ut conſtanter ac ſine præjudicio ſervetis ſicut accepiſtis Eccleſias, & nihil ſibi in nobis hæc tentatio diabolicæ uſurpationis adſcribat. State fortes, ſtate ſecuri: ſcripta cum univerſalis nominis falſitate nec dare umquam nec recipere præſumatis.* Eodem libro 4. Epiſtolâ 38. ad Joannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum: *Certè Petrus Apoſtolus primum membrum ſanctæ & univerſalis Eccleſiæ eſt, Paulus, Andræas, Joannes quid aliud quàm ſingularium ſunt plebium capita? Et tamen ſub uno capite omnes membra ſunt Eccleſiæ: atque ut cuncta brevi cingulo loquutionis aſtringam, ſancti ante legem, ſancti ſub lege, ſancti ſub gratia, omnes hi perficientes corpus Chriſti in membris ſunt Eccleſiæ conſtituti, & nemo umquam univerſalem vocare voluit, &c. Numquidnam ſicut veſtra Sanctitas novit per venerandum Chalcedonenſe Concilium hujus Apoſtolicæ Sedis Antiſtites, cui Deo diſponente deſervio, univerſales oblato honore vocati ſunt? &c. Sed hæc ſcio quia veſtra Sanctitati ab illis oriuntur, qui nobis deceptioſâ familiaritate deſerviunt; contra quos peto ut veſtra fraternitas*

nitas ſolerter invigilet ne ſe eorum verbis fallentium præbeat: tantò enim majores hoſtes credendi ſunt, quantò magis laudibus adulantur. Idem libro 6. Epiſtolâ 24. ad Anaſtaſium Antiochenum Epiſcopum de Synodica Epiſtola Cyriaci Conſtantinopolitani Patriarchæ, qui quidem Joanni de quo anteà, ſucceſſerat, hanc texit narrationem. *Et quidem in ſuſcipienda fratris & conſacerdotis noſtri Cyriaci Synodica Epiſtola, dignum non fuit ut pro cauſa profani vocabuli moras facerem, &c. Et ut de honoris veſtri injuria taceam, ſi unus Epiſcopus vocatur univerſalis, univerſa Eccleſia corruit, ſi unus, univerſalis cadit.* Item Epiſtola 30. ejuſdem libri ad Mauritium Auguſtum, qui S. Gregorio ſcripſerat: *Ob frivolum & inane nomen non debere ſcandalum & diſſidium generari inter Romanam & Conſtantinopolitanam Sedem. Ego autem*, ait, S. Gregorius, *fidenter dico, quia quiſquis ſe univerſalem Sacerdotem vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſua Antichriſtum præcurrit, quia ſuperbiendo ſe cæteris præponit: nec diſpari ſuperbiâ ad errorem ducitur: quia ſicut perverſus ille, Deus videri vult ſuper omnes homines: Ita quiſquis ipſe eſt qui ſolus Sacerdos appellari appetit, ſuper cæteros Sacerdotes ſe extollit, &c.* Item lib. 7. Epiſtolâ 30. ad Eulogium Alexandrinum, qui S. Gregorium vocaverat œcumenicum Epiſcopum. *Ego non verbis quæro proſperari, ſed moribus, nec honorem eſſe deputo, in quo fratres meos honorem ſuum perdere cognoſco: meus namque honor eſt honor univerſalis Eccleſiæ: meus honor eſt fratrum meorum ſolidus vigor. Tunc ego verè honoratus ſum cùm ſingulis quibuſque honor debitus non negatur. Si enim univerſalem me Papam veſtra ſanctitas dicit, negat ſe hoc eſſe quod me fatetur univerſum.* Qui locus legitur diſt. 99. *can. Ecce.* demonſtratque *Tò univerſum* omnibus Patriarchis convenire: *negat ſe hoc eſſe quod me fatetur univerſum*, ait S. Gregorius. Verùm ut hæc collectio ex B. Gregorii Epiſtolis pateat, hic nobis revocanda quæ lib. 2. defenſionis Libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate cap. 4. num. 56. obſervavi. Primum quoſdam Presbyteros & Diaconos Alexandrinæ Eccleſiæ malè acceptos à Dioſcoro Patriarcha Alexandrino, cùm ab Synodi Chalcedonenſis Patribus jus & æquum ſibi fieri contrà Dioſcorum flagitarent, in Epiſtolis & relationibus quæ actione 3. Synodi Chalcedonenſis leguntur, vocare quidem *S. Leonem Archiepiſcopum univerſalem.* Quod nomen aut etiam Epiſcopi aut Patriarchæ univerſalis appellatio numquam à Patribus Chalcedonenſibus deliberantibus, aut etiam aliquid Synodicè decernentibus tributa legitur. Conſule librum primum hiſtoriæ noſtræ Concilio-

Digitized by Google

ciliorum generalium cap. 8. Quandoquidem Græci, ut ſunt miri verborum atque urbanitatis artifices, hoc nomen ambitioſum primi in Eccleſiam invexerunt. Secundò Obſervandum Epiſcopos Conſtantinopolitanos neſcio qua vanitate & ambitione ſibi omnium primos hanc ſuperbiam & pompaticam appellationem arrogaſſe; atque Imperatores Conſtantinopolitanos huic vanitati manum auxiliarem dediſſe, liquet ex Epiſtolis S. Gregorii ad Mauritium Imperatorem ejuſque conjugem: quam ambitionem non ſatis fuit Gregorio I. ſcriptis impugnare, niſi etiam ipſo facto atque titulo planè contrario damnaret. Hinc enim occaſionem arripuit in omnibus Epiſtolis ſeſe conſtanter appellandi Servum Servorum Dei, quem titulum ejus Poſteri mordicùs retinuerunt, quamquam plerique illorum longè à ſpiritu & humilitate S S. hujus Pontificis abeſſent: atque inter alios Gregorius VII. ut hæc ejus Dictata & geſta indicant. Quod autem aliqui dicunt Damaſum Papam hujus formulæ *Servus Servorum Dei* fuiſſe Inventorem, totâ errant viâ. Tertiò ex Gregorii VII. geſtis claret illum ſe Pontificem univerſalem ideo nuncupare, quòd omnibus aliis Epiſcopis Eccleſiæ univerſalis & ſilentium imponere, & eorum poteſtatem ſuſpendere, atque illos quocumque volebat, transferre, eorumque Epiſcopatus opulentos dividere, & contrà inopes unire, atque ipſoſmet Epiſcopos deponere poſſet, ut ſolent Monarchæ abſoluti de regni ſui Magiſtratibus atque Officiariis pro animi ſui arbitrio ſtatuere. At verò hoc ipſum eſt quod S. Gregorius ſuis Epiſtolis damnat, & præſertim hac divinâ voce: *Sed nullus meorum deceſſorum unquam hoc ſingularitatis vocabulum aſſumpſit.* Item *quid aliud niſi jam propinqua eſſe Antichriſti tempora deſignatur, quia illum imitatur, qui ſpretis in ſociali gaudio Angelorum Legionibus, ad culmen conatus eſt ſingularitatis erumpere. Quiſquis ſe univerſalem Sacerdotem vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſua Antichriſtum præcurrit, quia ſuperbiendo ſe cæteris præponit: nec diſpari ſuperbiâ ad errorem ducitur, &c.* Deus immortalis! ſi S. Gregorius ab ipſa Eccleſia quæ in ratione gubernationis multorum communionem & collectionem ſuaviſſimè & liberrimè initam eſſentialiter ſignificat, *nomina ſingularitatis planè exterminanda eſſe contendit*, quâ fronte novi Doctores abſolutam Papæ Monarchiam juris eſſe divini aſſerunt? *An, obſecro, quicquam eſt tam unicum tamque ſingulare & privatum quàm Monarcha & Monarchia, aut etiam Epiſcopus vel Pontifex univerſalis?* quemadmodum Hildebrandus ſeſe hoc ſecundo Dictatu indigetat. Cardinalis

Digitized by Google

nalis Turrecremata in opuſculo De poteſtate Papæ, quod ex B. Thomæ placitis conglutinavit, quæſtione 5. memorat eumdem Thomam tractatu contra impugnantes Religionem, docere S. Gregorium *non ideo prohibuiſſe ſe nominari univerſalem Pontificem, quòd non habeat auctoritatem immediatam & plenam in qualicumque Eccleſia; ſed quia non præficitur cuilibet particulari Eccleſiæ, ut proprius & ſpecialis Rector & Epiſcopus illius Eccleſiæ, quia ſic ceſſarent omnium aliorum Pontificum aut Epiſcoporum poteſtates.* Quam argutiam miror quidem à S. Thoma fabricatam, ſed multò magis à Bellarmino & aliis obnoxiis hoc ſæculo eruditiſſimo crudè iterum obtrudi, quando collata ad S. Gregorii ſententiam, nullomodò cohæret: quoniam Patriarchæ Conſtantinopolitani non eo ſenſu & mente ſeſe œcumenicos Patriarchas vocitabant, *quòd cuilibet particulari Eccleſiæ, ut proprii & ſpeciales Rectores atque Epiſcopi præficerentur.* Neque pariter S. Gregorius dicit prædeceſſores ſuos nomen univerſalis Epiſcopi à Synodo Chalcedonenſi oblatum repudiaſſe propter hunc ſenſum: quare alius quærendus & aſſignandus eſt: is nimirum quem ipſe Gregorius Magnus his conceptis vocibus deſignat: *Quia per elationem pompatici ſermonis omnia membra quæ ſoli uni capiti Chriſto cohærent, ſibi tanquam abſoluto Monarchæ, & Domino ſtudeat ſubjugare.* Item quòd auſterè & deſpoticè omnibus aliis Coëpiſcopis ſuis ita velit imperare, *ut illos ſolus poſſit deponere, quocumque velit evocare, transferre, Epiſcopatum opulentum in duos Epiſcopatus dividere, & duos pauperes unire, atque alia ejuſmodi tyrannica conficere, quæ Gregorii VII. Dictatibus nominatim continentur:* quæ quidem, ut verbis S. Gregorii utamur, indicant *proxima eſſe tempora Antichriſti.* Quid enim tam Antichriſtianum atque oppoſitum legi gratiæ perfectiſſimæ libertatis & manſuetudinis, quàm ſibi poteſtatem abdicandorum Regum & fundendi ſanguinis arrogare? hinc fit ut S. Joannes cap. 2. verſu 18. prioris Epiſtolæ jam ſuo tempore diceret *multos factos eſſe Antichriſtos* quippe qui cauſis eſſentialibus poteſtatis Eccleſiaſticæ adverſarentur. Hercle quidem cùm poteſtas Eccleſiæ relicta à Chriſto dumtaxat miniſterialis ſpiritualis, & immediatè toti hierarchico Ordini cum Chriſti Sacerdotio collata ſit, omnes Epiſcopi jure divino ſuas in ſolidum & ex æquo regunt Eccleſias: & Papa, excepto Primatu, ſuper alios Epiſcopos nihil divinitùs poſſidet quàm ſollicitudinem ſuper omnes Eccleſias particulares, ut eas per cenſuras ad juris divini naturalis & canonici obſervationem adigat, ſi fortè illas minùs canonicè vivere contingat. Enimverò

Digitized by Google

verò quamdiu Epiſcopi ſuo funguntur munere, Romanus Pontifex nihil quicquam juris in eos obtinet, teſte S. Gregorio lib. 7. Epiſtolâ 64. Indictione 2. *Cùm culpa non exigit, omnes ſecundùm rationem humilitatis æquales ſunt.* Ratio eſt quia, ut idem docet lib. 1. Epiſtolâ 24. *Prælati vitiis, non perſonis dominantur: æquales enim vobis ſumus*, ait, *in quo vos ſtare cognoſcimus. Quaſi Prælatum ſe Paulus eſſe fratribus neſciebat, cum diceret: Nos autem ſervos veſtros per Chriſtum: Sed cùm culpam quæ corrigi debuiſſet invenit, illicò ſe magiſtrum eſſe recoluit.* Cùm ergo omnes Epiſcopi æquè immediatè ſuam derivent poteſtatem à Chriſto, quam ipſemet Papa Gregorius VII. tyrannicam poteſtatem ſibi in Coëpiſcopos ſuos uſurpat, & quæ totius Eccleſiæ Synodicè ſtatuentis propria & nativa ſunt, ſibi uni vendicat: neque ſitum eſt in cujusque hominis poteſtate, docere Papam alio jure dici poſſe univerſalem Epiſcopum, quàm ratione Primatûs Petri: nimirum quatenus habet poteſtatem ſuper Eccleſias particulares, ut eas ad juris divini, naturalis & canonici obſervationem adigat, ſicut declaratum eſt in Synodo Conſtantienſi, & ſufficienter à me probatum in defenſione Libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate; ubi oſtendimus Primatum & abſolutum Monarcham, res eſſe penitùs contrarias; illumque quantus quantus eſt, inſtitutum à Chriſto in ordine ad regimen Ariſtocraticum, eamque ob cauſam convenire inter ſe omnes Theologos, Papam abſque conſenſu Eccleſiæ non poſſe Eccleſiam obligare, aut leges quæ vim actualem obligandi habeant, præſcribere.

Tertius, Quartus, Quintus & 25. articuli inter ſeſe cohærent, ſupponuntque Papam eſſe abſolutum Monarcham; ita ut pro animi ſui placito etiam extra Synodum poſſit quæ ei videbuntur decernere: quemadmodum Franciæ Rex cuncta motu proprio ſanxit. Quam abſolutam poteſtatem poſſe ullo modo cum poteſtate miniſteriali ſpirituali habitare negamus: de qua re jam diſputavimus articulo 2. & pluribus infrà Dictatu 18. 19. & 21.

Ad quartum: *An Legatus Papæ inferioris gradus, omnibus Epiſcopis ſedentibus in Concilio præſidere debeat, &c.* Reſpondeo Epiſcopos, quando poteſtati ordinariæ Apoſtolorum ſucceſſerunt, æquè immediatè ſuam auctoritatem habere à Deo, quàm ipſummet Papam, qui ſolummodò poteſtati ordinariæ Petri, non poteſtati Apoſtolatus ſucceſſit; quia hæc poteſtas erat planè extraordinaria, inque libris canonicis condendis, miraculis, atque aliis ejuſmodi extraordinariis conſi-

Digitized by Google

conficiendis conſiſtebat. Quod ſpectat ad poteſtatem prædicandi Euangelium ubique terrarum & locorum, ut fateor jure divino competere Pontifici, ratione Primatûs & poteſtatis quam habet ſuper Eccleſias particulares: Ita contendo hoc non impedimento eſſe, quominus alii etiam Epiſcopi neceſſitate imminente eadem polleant auctoritate: quemadmodum videmus in caſu neceſſitatis Presbyterum ſimplicem abſolvere ab omnibus caſibus & cenſuris reſervatis Papæ, quod certiſſimo eſt argumento hujuſmodi reſervationes juris eſſe purè humani. Certè cùm à Sacerdotio & Epiſcopatu Chriſti communicato Eccleſiæ auctoritas omnis procedat: & idem ſpecie ac formaliter Sacerdotium ſit in cunctis Epiſcopis: materialiter autem & quoad exercitium diſtinguatur: conſurgit Epiſcopos ratione Sacerdotii Chriſti formaliter conſiderati, eſſe univerſales & œcumenicos, ac ubique terrarum Euangelium, & alia munia Epiſcopalia obire poſſe. Quocirca in Eccleſia primitiva temporibus Apoſtolorum, Epiſcopi erant œcumenici & univerſales: Actorum 20. *Attendite vobis & univerſo gregi in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.* Cauſa hujus rei eſt quod tum tituli atque limites privati Diœceſum, putà Romanæ, Lugdunenſis, Pariſienſis Eccleſiæ, &c. nondum erant conſtituti; quæ diviſio & conſtitutio titulorum ac limitum juris eſt planè humani: conſequenterque juris etiam eſt Eccleſiaſtici quòd Epiſcopus Pariſienſis, Senonenſis, Lugdunenſis ſint particulares, non univerſales Epiſcopi. Cùm igitur omnes Epiſcopi ſuam immediatè poteſtatem à Deo, ſicut & ipſemet Papa mutuentur: hic autem excepto Primatu nihil ſupra alios Epiſcopos poſſideat, fabulæ ſunt Curialium dicere Legatos Papæ etiam inferioris Ordinis & gradus, debere divinitùs cunctis Epiſcopis, Archiepiſcopis & Patriarchis præſidere. Ita enim non fuit ab initio, quia ſinguli Patriarchæ ſic præerant Conciliis, ut abſente Epiſcopo Romano, Epiſcopus Alexandrinus, & abſente Alexandrino, Antiochenus præeſſet conformiter ad ordinem can. 6. Nicæno conceptum: de quo libro priore hiſtoriæ Conciliorum univerſalium diſſeruimus. Hùc & accurrit Eccleſiæ uſus in 6. & 7. Carthaginenſi Synodo tempore Bonifacii & Cæleſtini I. ubi Fauſtinus Potentianæ Eccleſiæ Epiſcopus, quæ prima erat Sedes provinciæ Italiæ Piceni, Legatus Romanæ Eccleſiæ ſedet & numeratur in Actis Concilii poſt Aurelium Carthaginenſem, & Valentinum primæ Sedis Numidiæ Epiſcopum. Item Philippus atque Aſellus Romanæ Eccleſiæ Presbyteri,

Digitized by Google

qui Fauſtino ut Collegati aderant, & Româ miſſi fuerant, omnium poſtremi ſedent, & poſt omnes Epiſcopos numerantur: Et ita innoteſcit quartum Dictatum Gregorii neque directè neque indirectè manare à jure divino, quicquid in contrarium Gretſerus obnitatur. Porrò Gregorius VII. in vim hujus imperioſi Edicti lib. 5. Ep. 17. omnes pene Epiſcopos Galliarum interdixit, eò quòd Synodo Nuncii quem in Franciam miſerat intereſſe noluiſſent. Enimverò ut ſuum abſolutum dominatum faciliùs ſtabiliret, de more habebat Nuncios in exteras ablegare provincias, qui Epiſcopos quocumque lubitum erat accerſerent: Sed Galliarum Epiſcopi cùm optimè noſſent ejuſmodi abſoluta imperia Canonibus & Majorum inſtitutis adverſari: idcircò mandato Gregorii minimè paruerunt, quia Eccleſiæ regimen Ariſtocraticum eſt, ut alibi probavimus.

Ad quintum articulum: *quòd abſentes à Concilio Papa deponere poſſit:* eo fine Gregorius videtur fabricaſſe, quò expeditiùs Henricum Imperatorem perderet, & Epiſcopos ei faventes, ſi parere recuſarent, exauctoraret. Olim Adrianus II. ſimili Edicto Hincmarum Rhemenſem percellere & Romam abducere voluit: *ſed fruſtrà jacitur rete ante oculos pennatorum.* quoniam Hincmarus in ſcientia canonum exercitatiſſimus Adriano reſpondit quòd nec ſibi, nec cuiquam Epiſcoporum regni Franciæ abſque Regis commeatu fines Regni prætergredi fas eſſet. Tempore Philippi Pulchri Bonifacius VIII. pari imperio cunctos regni Franciæ Epiſcopos Romam accerſiverat. Verùm illius conatus fruſtrà fuit. Regula eſt indubitatæ fidei apud omnes Theologos, pacem, concordiam, charitatem & unionem eſſe finem omnis legis, præcepti & cenſurarum, atque Leges Eccleſiaſticas neminem cum magno vitæ propriæ, fortunarum & pacis publicæ diſpendio obligare. Hîc de Legibus purè Eccleſiaſticis, non de præceptis Dei loquor. Unde *cùm numquam facienda ſint mala, ut eveniant bona.* Rom. 3. ſi fortè Papa aut Prælati quidpiam præcipiant cum pacis publicæ & vitæ hominum diſpendio, nemo illis obedire tenetur. Ratio eſt quia univerſi propriam vitam & publicam tranquillitatem tanquam res juris divini & naturalis defendere obſtringimur. Itaque ne Eccleſiaſtici aliquid cum tanta jactura imperarent, Chriſtus illos planè exarmavit, & ſolâ poteſtate miniſteriali ſpirituali donavit. Quamobrem Almainus de poteſtate Eccleſiaſtica & Laica quæſt. 3. cap. 8. rectè ait: *ſi Imperator vocet ſortem pro re civili, & Papa eodem tempore vocet eumdem pro re Eccleſiaſtica, ſi cauſam explicant,*

Digitized by Google

cant, ire oportet ad eum qui cauſam urgentiorem explicat ſecundùm quod vir prudens judicabit in illis exercitatus: ſi verò nullus explicat cauſam, dico quòd neceſſarium eſt ire ad ſupremum principantem, ut ſi Papa & Rex vocant me, apparentia eſt quòd debeo ire ad Regem: Nam Rex habet majus dominium in corpora noſtra, quàm Papa qui non dominatur corporibus. Audis Almainum Regem vocare principantem ſupremum. Certè Princeps politicus jus habet cavendi, ne cui liceat Epiſcopo de regno ſuo ad vocationem Papæ exire, niſi ab eo impetrato commeatu & licentia. Hicque articulus teſte Surio unus ex illis eſt propter quem S. Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus relatus eſt in canonem Martyrum: atque idem Surius in vita B. Thomæ Cantuarienſis plures ejuſdem generis articulos recenſet planè conformes Gregorii VII. Dictatibus; & hoc vocant Eccleſiæ libertatem vindicare, cùm tamen certum ſit permulta ejuſmodi nihil ad religionem, ſed ad privatum Papæ & Curiæ Romanæ dominatum conferre, ut hac diſputatione oſtendetur.

Sextus: *Quòd cum excommunicatis à Papa non debemus in eadem domo manere, &c.* Ad converſationem naturalem & politicam ſpectat, quæ quidem juris eſt divini naturalis, & continuò non poteſt abſolutè per excommunicationem aut alias cenſuras tolli, ut libro præcedenti, atque ipſummet Gregorium VII. duritiem & abſurditatem hujus feralis Edicti coactum fuiſſe mitigare oſtendimus. *Can. quoniam* 11. *quæſt.* 3.

Septimus: *Quòd Soli Papæ pro temporis neceſſitate leges condere liceat:* pleno ore abſolutam & deſpoticam crepat Monarchiam, atque Ariſtocraticam moderationem deſtruit: quaſi verò, ut ait Joannes Major Commentariis in caput 18. Matthæi, *ſolus Papa poſſit omnia quadrare rotunda, & rotundare quadrata tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus.* Certè Pontifex quando ei poteſtas tantùm miniſterialis ſpiritualis in ædificationem, non in deſtructionem data eſt, non debet terminos à Patribus poſitos convellere, ſed diligenter ſervare. At ſtudioſus Lector obſervabit Hildebrandi ſæculo exemptiones præſertim increbuiſſe, de quibus queritur ita Bernardus lib. 3. de Conſideratione ad Eugenium ab octavo ad decimum caput: *Murmur loquor & querimoniam Eccleſiarum*, inquit, *truncari ſe clamitant ac demembrari. Vel nulla vel pauca admodum ſunt quæ plagam iſtam non doleant aut non timeant. Quæris, quam? ſubſtrahuntur Abbates Epiſcopis, Epiſcopi Archiepiſcopis, Archiepiſcopi Patriarchis, ſive Primatibus. Bonane ſpecies hæc? mirum ſi excuſari queat vel opus. Sic factitando probatis vos habere*

 pleni-

plenitudinem poteſtatis, ſed juſtitia fortè non ita. Facitis hoc quia poteſtis, ſed utrum debeatis, quæſtio eſt. Honorum ac dignitatum gradus & ordines quibusque ſuos ſervare poſiti eſtis, non invidere. Cætera videbit Lector atque notabit S. Bernardum ſæculo Gregorii vixiſſe, atque Eugenio per ſchematiſmum loqui: Ita ut cùm planè atque apertè ei abſolutam poteſtatem quam ſæculum illud ſpirabat nollet, aut non auderet denegare (ſic enim abſque ullo fructu opus de Conſideratione ſcripſiſſet) eamdem illi poteſtatem obliquè & figuratè his conceptis verbis detrahere: *ſic factitando probatis vos habere plenitudinem poteſtatis, ſed juſtitia forte non ita, &c.* Ac ſi diceret unumquemque hominum id tantummodo poſſe, quod legitimè & canonicè ſecundùm regulas juſtitiæ poteſt: quod in lege gratiæ certiſſimum eſt, in quâ omnis poteſtas ad ædificationem, non ad deſtructionem, & ad veritatem, non contra veritatem referenda eſt. Procul dubio Gregorius noſter optimè intelligebat, ſtante jure communi non poſſe ſuum abſolutum potentatum erigere. Qua de causâ feneſtram patentiſſimam exemptionibus aperit, ut toti Eccleſiæ pro animi libitu dominaretur: Neque verò Epiſcopos Abbatibus qui ſunt in ſua Diœceſi ſecundùm jus commune præeſſe, eoſque vocare ad Synodum, atque alia ejuſmodi agere patitur. Quocirca lib. 1. Ep. 68. Nemoſenſi Epiſcopo, qui Abbatem quempiam ſuæ Diœceſis excommunicarat, reſcribit *Abbatem illum juri B. Petri traditum, & Abbatis contumelias, Romanæ Majeſtati fuiſſe illatas.* Item lib. 6. Ep. 4. Leodienſi Epiſcopo ægrè ferenti parochianum ſuum quem excommunicaverat, à Gregorio abſolutum: (id enim occaſionem ſuperbiendi parochiano, atque Epiſcopum contemnendi præbebat) hæc Gregorius reſcribit: *Tanquam Apoſtolicæ Sedis non eſſet auctoritas quoſcumque & ubicumque vult, ligare & ſolvere.* Cujus abſolutæ potentiæ plura exempla habes ſuperiùs. Cæterùm lib. 2. Ep. 69. rectè quidem ſcribit Taurinenſi Epiſcopo, *Epiſcopos in paſtorali regimine non hanc poteſtatem atque licentiam ſuſcepiſſe, ut Monaſteria quæ in ſuis parochiis conſiſtunt, quantum velint opprimant, & ſtudium Religionis, ſuæ prælationis occaſione, hac & illa potenter exigendo & poteſtatem exercendo comminuant.* Hæc, inquam, rectè. Sed quotusquiſque umquam magis abuſus eſt ſuâ poteſtate, aut huic præcepto minùs umquam obtemperavit Hildebrando? Cùm enim clarè doceat Imperium amitti malè imperando, ipſemet ſuis edictis Manlianis fuit in cauſa ſacrilegi ſchiſmatis, atque factionibus horrendis virginalem Eccleſiæ ſimplicita-

cita-

Digitized by Google

citatem & manſuetudinem contaminavit, ſæculum in religionem Chriſtianam effundendo.

Ad octavum: *Quòd ſolus Papa uti poſſit Imperialibus inſigniis*; lubenter à Gretſero reſcire vellem, quâ ratione hunc Dictatum directè aut indirectè poſſet ex jure divino exſculpere, cùm exploratiſſimum ſit Chriſtum univerſam pompam & coragium mundi à toto Euangelio eliminaſſe. Quam ob cauſam Canonem *Conſtantinus* diſt. 96. ubi de ejuſmodi Imperialibus inſigniis agitur, jure adſcriptum paleis exiſtimo. Ad hujus Dictatus ſenſum Hiſtorici narrant Bonifacium VIII. magnum Gregorii VII. æmulum pompâ atque ornatu Imperatorio ſeſe induiſſe, ut magis timeretur. Hic autem Imperatoris ornatus ab Ethnicis manavit, ut notum eſt.

Ad nonum: non video quomodo directè vel indirectè ex ſacra Scriptura colligi poſſit *Principes ad pedes ſolius Papæ deoſculandos obſtringi*: Et ſi de Papa aliquid colligeretur, cæteri Epiſcopi tantumdem haberent juris, quàm ipſe Papa: ac proinde falſum eſſet ejus ſolius pedes deoſculari debere à Principibus, ut hic obtendit Gregorius. Non inficior quidem magnum habendum atque exhibendum honorem Religioni Catholicæ in ipſis Prælatis: Sed caveant Prælati ne inde efferantur aut glorientur: alioqui hoc neſcio cujus audire merebuntur: *Non tibi, ſed Religioni Catholicæ*, inquit Gerſonius lib. de poteſtate Eccleſiaſticâ conſiderat. 2. ſub finem. Accedit, ut ait Joannes Major, fruſtrà duci argumenta aut exempla dogmatica ab iis quæ à mera pietate, devotione & benevolentiâ Principum Chriſtianorum profecta ſunt, cujuſmodi habentur oſcula pedum, manuum, &c.

Decimus & undecimus ſempiterno potius ſilentio obruendi, quàm commemorandi erant. Heu! ſi B. Gregorius, quem hic noſter imitari creditur, accepiſſet quempiam ex Romanis Pontificibus ſciviſſe, *ut ejus ſolius nomen in Eccleſiis recitaretur: quodque unicum eſſet ejus nomen in mundo.* Deus immortalis! quàm uberes fletus & lachrymas profudiſſet! ſi quidem ab Eccleſiæ aditu omnem ſingularitatem procul exterminandam tanquam ſoli Antichriſto peculiarem ſuprà docuit reſponſione ad ſecundum Dictatum. Profectò ex primitivæ Eccleſiæ inſtitutis nomina omnium Epiſcoporum qui vitæ ſanctimoniâ claruerant, in Dypthica, aut geminas Eccleſiæ tabulas referri ſolita legimus: ſive illi Epiſcopi ſuperſtites eſſent, ſive etiam diem ſupremum obiiſſent. Præthereà exploratiſſimum eſt nomina Imperatorum in omnibus antiquis Liturgiis recenſeri conſueviſſe. Quonam igitur

Digitized by Google

motu & ſpiritu hos duos ſuperbos & tartareos Dictatus directè aut indirectè adverſarii ex jure divino extorquere poterunt? nullo alio quidem quàm Hildebrandi placitis, quibus quod lubet, licet.

Duodecimus: *Quòd Papa poſſit Imperatores deponere:* eſt dogma primùm ab Hildebrando inventum, ut ipſemet Bellarminus non diffitetur libro adversùs Barclaium: Nam Gregorio VII. auctorem ullum antiquiorem proferre non potuit. Cæterùm ſi hæc edicta in Synodo generali liberè condita aut propoſita fuiſſent, certè hic articulus longè explauſus fuiſſet ab Epiſcopis, quorum major pars, ut jam monui, à partibus Imperatoris ſtabat: dolebantque vehementer Gregorium Eccleſiæ pacem & unitatem convellere. Itaque Hildebrando poteſtatem hanc contra cauſas eſſentiales utriuſque poteſtatis ſibi arroganti nullo modo auſcultandum eſt. Conſule 24. & 27. Dictatum.

Decimus tertius ſeptimo affinis eſt: quare illinc ſolutionem repetes, atque inſuper obſervabis Epiſcoporum tranſlationes can. 15. Nicænæ Synodi vetitas ad ambitionem & prenſationem hominum coërcendas, huncque canonem religioſiſſimè ab Eccleſiæ primitivæ Patribus ſervatum, eamque ob rem Conſtantinum Magnum prohibuiſſe, quominus Euſebius Pamphilus ex Epiſcopatu Cæſareæ Paleſtinæ ad Sedem Antiochenam transferretur lib. 3. vitæ Conſtantini à 58. ad 60. caput. Hercle propter hunc canonem Nicænum Epiſcopi Orientis ægrè paſſi ſunt Proclum Epiſcopum, Theodoſio procurante, in Maximiani Conſtantinopolitani Epiſcopi locum ſuffici: *quamquam Celeſtinus Papa reſcripſiſſet nihil obſtare, quominùs qui unius civitatis vel nominatus fuiſſet, vel jam eſſet Epiſcopus, ad alteram civitatem transferretur. Socrates lib. 7. cap. 3. Hiſtoriæ.* Sanè Romani Pontifices temporis lapſu ut de canonibus luſerunt, ita ſibi ſolis auctoritatem transferendi Epiſcopos vendicarunt. Cap. *inter corporalia de tranſlationibus.* Nam abſoluta & Monarchica poteſtas, quâ hodiè magno Eccleſiæ damno utuntur, fruuntur, tota ex Canonum & regiminis Ariſtocratici corruptelâ coaluit. Cave tamen putes me tam rudem eſſe, ut ignorem Pontifices poſitos diſpenſatores. Sed ut S. Bernardus auctor eſt, *in ædificationem, non in deſtructionem hæc poteſtas eſt. Denique quæritur inter Diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur: ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt: ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt: utilitas dico communis non propria. Nam cùm nihil horum eſt, non planè fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt: &*

aliud

aliud eſt quod largitur devotio, & aliud quod molitur ambitio impatiens ſubjectionis. lib. 3. de conſider. cap. 10.

Decimus quartus: *Quòd Papa de omni Eccleſiâ quemcumque voluerit ordinare poteſt*, ſumptus videtur ex canone 45. tertii Concilii Carthaginenſis, ubi Patres Africani hanc poteſtatem Aurelio Primati Carthaginenſis Eccleſiæ faciunt, ut de quacumque vellet Africanâ Eccleſia Clericum & Epiſcopum ordinare poſſet, propterea quòd omnes aliæ Eccleſiæ Africanæ, quæ Epiſcopis aut Presbyteris carebant, ad Primatem confugere atque ab eodem Epiſcopum vel Presbyterum flagitare ſolerent. Itaque hic canon maximè eſt rationi conſentaneus. At longè alia mens Gregorio: hoc enim dictatu homines ligeos, & fideles Curiæ Romanæ addicere voluit: quocircà in omnibus provinciis illos vel Cardinales vel Primates, vel Epiſcopos creare conſueverat, quos ſuo Dominatui firmando magis idoneos noverat, ut de Archiepiſcopo Lugdunenſi & Viennenſi diximus, quibus & Goffridum Abbatem Vindocinenſem, quem Paſchalis II. ad Cardinalatum evexit, addere poſſumus. Quod ergo primitùs ad charitatem & Eccleſiæ neceſſitatem ſublevandam inſtitutum fuit, id Gregorius ad ſuum Potentatum privatim roborandum abſtrahit. Certè Gerſonius ad calcem libri de Eccleſiaſtica & politica poteſtate poſt Epilogum concluſione 3. narrat Stephanum Papam ita ſcribere Galberto Patriarchæ: *Nunc verò iteratò tibi ſcripſimus, nolentes alicujus Eccleſiæ privilegium infringere, licèt Apoſtolicâ prærogativâ poſſumus de qualibet Eccleſiâ Clericum ordinare, &c.* Quæ oſtendunt multos Pontifices non conſentire cum Gregorio VII. qui omnia dominatu, non charitate & utilitate Eccleſiæ metiebatur.

Decimus quintus multa involvit non ſatis clara. Quòd autem perhibet *Eum qui eſt ordinatus à Papa, non debere ſuperiorem gradum ab alio Epiſcopo accipere*, ſi de Clerico, Subdiacono, Diacono, Presbytero capiatur: ita ut ſenſus ſit illos non poſſe aliis ordinibus ab alio quàm à Papa, aut ejus permiſſu donari, profectò id ejuſmodi eſt, ut neque directè neque indirectè, aut etiam contortè ullâ viâ ex jure divino erui valeat: tundat aut extundat Gretſerus aciem ingenii ſui, hilum proficiet. Aliàs dixi abſoluto Monarchæ quod lubet licere.

Decimus ſextus ad hunc ſenſum dumtaxat verus eſt: *Quòd nulla Synodus generalis regulariter & ordinariè abſque Romani Epiſcopi ſententiâ haberi debeat*, ut Socrates meminit lib. 2. Hiſtoriæ cap. 5. & explicatum eſt à me libro priore Hiſtoriæ Conciliorum generalium: falſus

autem,

autem, ſi abſolutè & ſimpliciter capiatur: quoniam permulti incidunt caſus quibus non modò abſque ſententia Papæ: imò contra illum Synodus cogi & concludi poteſt, ſeſſione 4. & 5. Conſtantienſis & 2. Baſileenſis Synodi: de qua re nos uberiùs in Hiſtoria Conciliorum.

Ad Decimum ſeptimum: repcndo non ſatis illuceſcere quidnam per libros canonicos, aut per Capitulum Gregorius & Gretſerus velint: certumque eſſe inter omnes Theologos Papam cum Romanâ Diœceſi ſeparatim à Catholico conſenſu totius Eccleſiæ nihil ſancire poſſe, quod vim habeat obligatoriam ſaltem in actu ſecundo. Cauſa eſt quoniam poteſtas Eccleſiaſtica eſt miniſterialis ſpiritualis, & regimen Eccleſiæ temperatum Ariſtocratiâ 4 & 5 ſeſſione Conſtantienſi: unde leges Papæ non obligant niſi recipiantur. Quòd ſi per Capitulum canonicum deſignet ſtatuta quæ Romæ fiunt de Sanctorum Canoniſatione. Reſpondeo non ita fuiſſe ab initio: atque *Gerſonium lib. de probatione ſpirituum poſt Henricum de Haſſia Doctorem Sorbonicum & Vice-Cancellarium ſcribere tot Canoniſationes hominum eſſe comprimendas*. Cùm verſentur in quæſtione facti, errori & ſuppoſitioni miraculorum obnoxia, hoc præſertim tempore factioſo. Profectò inter viros pios increbuit nonnullos in canonem Sanctorum proclivius relatos, quòd animosè abſolutam Papæ Monarchiam; alios verò ut Gerſonium non relatos, quia Concilii auctoritatem ſupra Papam propugnaſſent.

Decimus Octavus, 19. 20. & 21. non probant, ſed ſupponunt Papam eſſe abſolutum, infallibilem Eccleſiæ Monarcham, quod falſum & erroneum eſt. Herclè quando certiſſimum atque indubitatum eſt Papam cum tota Eccleſia non poſſe hodie efficere ut aliquid pro jure divino directè aut indirectè habeatur, quod Patres Eccleſiæ primitivæ numquam pro jure divino directè aut indirectè, explicitè aut implicitè agnoverunt: Eſtque pervagatiſſimum & certiſſimum beatum Auguſtinum, cum Africanæ Eccleſiæ Patribus in 6. Concilio Carthaginenſi ſub Zozimo, Bonifacio, & Cæleſtino I. P P. demonſtraſſe hos tres articulos: Quòd ſententia Papæ à nullo debeat retractari: *Quòd nullus audeat condemnare Apoſtolicam Sedem appellantem: Quòd majores cauſæ cujuſcumque Eccleſiæ ad Sedem Apoſtolicam referri debeant:* nullo modo ad jus divinum ſpectare. Certè relinquitur neceſſariò Gretſerum fruſtrà eſſe, ut doceat hos Dictatus directè aut indirectè ex jure divino elici. Quæ ut clarius percipiantur, paucis Hiſtoriam inter Zozimum & Africanam Eccleſiam delibabo. Urbanus Siccenſis Eccleſiæ Africæ Epiſcopus, cùm Apiarium

ſuæ

Digitized by Google

ſuæ Eccleſiæ Presbyterum ob permulta ſcelera notiſſima & incorrigibilia excommunicaſſet; atque ſententia Epiſcopi Siccenſis in Apiarium Synodo provinciali Africæ conformiter ad quintum Canonem Nicænum comprobata fuiſſet: tandem Apiarius Romam ad Zozimum confugit, à quo non tantùm ad Communionem contra Canones admiſſus eſt: verùm etiam Zozimus Fauſtinum Potentianæ Eccleſiæ Epiſcopum tanquam Legatum à latere miſit in Africam, ut Apiarium in integrum reſtitueret, atque Siccenſem Epiſcopum, ſiquid adversùm obniteretur, excommunicaret, aut Romam evocaret. Quæ imperia Zozimi planè Monarchica cùm ob ſuam novitatem Patres Africanos valdè commoviſſent (maximè verò quòd Zozimus ſibi tantundem auctoritatis Canonibus Nicænis attribui cauſaretur) Orientalis Eccleſiæ ſubſidium contra Zozimi commonitorium implorant, atque genuinos Synodi Nicænæ, id eſt illos viginti Canones qui omnium manibus teruntur à B. Cyrillo Alexandrino, & Attico Conſtantinopolitano Patriarchis impetrant: tumque demùm poſt integrum ſexennium in hac evolvenda lite lapſum, Cæleſtino Papæ qui Bonifacio I. & Zozimo ſucceſſerat, luculentiſſimam Epiſtolam his octo invictiſſimis munitam argumentis contra Monarchica Imperata Zozimi reſcribunt, atque imprimis contendunt *Omnes Clericos cujuſcumque ſint gradus, id eſt Epiſcopos aut Presbyteros regimini ſuorum Metropolitanorum relinqui à Nicænis Patribus. Idque multò magis de Epiſcopis quàm de Presbyteris intelligi oportere, propterea quòd lumen naturale dictitet negotia iis in locis ubi orta ſunt eſſe definienda & terminanda.* 2. *Docent gratiam Spiritus Sancti nulli unquam provinciæ defuturam: ſi modò Sacerdotes æquitatem ſervent & prudenter agant.* 3. *Quicumque offenſus fuerit judicio cognitorum id eſt Epiſcoporum provinciæ vel etiam ad univerſale provocare.* Quæ ratio ducta ab Eccleſiæ primitivæ praxi tum uſitatâ convincit ſententiam Papæ ſecundùm Canones Nicænos ſubditam eſſe Synodo provinciali; & à Synodo provinciali Papæ licitum fuiſſe ad Concilium generale provocare tanquam ad ultimum atque infallibile tribunal Eccleſiæ: continuoque Papam nedum generali, verùm etiam Concilio provinciali ſubditum. Quâ Eccleſiæ praxi nihil certius & clarius. Ex quo patet quantùm inſit fidei Canonibus qui Papæ ſententiam à nemine judicari oportere dictitant, ſunt enim fictitii. Quòd ſi tempore S. Auguſtini à Synodo provinciali Papæ ad generale Concilium licebat provocare, ut Patres Africani perhibent, quantò magis à particulari ſententia, aut privato motu Papæ? Verumtamen

Bulla Cœnæ Domini quaſi grande ſcelus & piaculum igne exterminandum, ne quis à Papæ ſententia ad Concilium generale provocet, Monarchicè imperat. An, rogo, hæc Imperata humana nobis ſubſidia jure divino & naturali conceſſa abrogare poſſunt? Verùm hæc abſoluta Monarchia Curiæ Romanæ aſylum eſt atque myſterium quo ſe imperioſè tuetur, dum prohibet, ne quis de hoc dominatu hiſcere, aut à Papæ ſententia ad Concilium generale provocare audeat. 4. *Non eſſe credibile, Deum unicuilibet poſſe inſpirare examinis juſtitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium illam denegare.* Quo argumento datur conjici, utrum Patres Africani cenſuerint infallibilitatem potiùs uni abſoluto Monarchæ, quàm Ariſtocratico Concilio deferri oportere. 5. *Tranſmarinum judicium ratum eſſe non poſſe ſine depoſitione atque examine teſtium. Romam verò neceſſarias perſonas adduci non poſſe vel propter ſexus, vel propter ſenectutis infirmitatem, vel multis aliis incurrentibus impedimentis.* Quod autem Bellarminus reſpondet lites in provinciis & locis ubi ortæ ſunt, inſtrui, deinde Romam mitti debere: ſupponit, non probat Papam eſſe abſolutum Monarcham Eccleſiæ, neque videt Chriſtum & Apoſtolos voluiſſe omnes controverſias Eccleſiaſticas facillimè & de plano abſque ullo forenſi ſtrepitu quantùm fieri poſſet, decidi. *Ubi enim certior & facilior notio, ibi deciſio tutior expeditiorque eſſe poteſt*, inquit S. Bernardus 3. de Conſideratione cap. 6. Ex recenſione Gerardi Voſſii. 6. *Nullâ Synodo definitum ut Romanus Epiſcopus Legatos à latere mittat in exteras provincias.* Unde colligimus tum Eccleſias conſueviſſe regi Canone, neque ullum Prælatum ſibi quicquam auſum ſumere, quod non eſſet Synodicè & Canonibus conſtitutum: Ideoque Zozimum prætexuiſſe ſibi Canonibus Nicænis licuiſſe de cauſis Clericorum per omnes exteras provincias cognoſcere, & in eumdem finem Legatos ſuos à latere, ut vocant, mittere. 7. *Narrant Zozimi commonitorium à Fauſtino Epiſcopo Patribus Africanis pro Nicænis Canonibus oblatum, non reperiri in authenticis Exemplaribus Canonum Nicænorum, quæ Cyrillus Alexandrinus & Atticus Conſtantinopolitanus miſerunt in Africam.* 8. *Romanos Epiſcopos non debere ſuos Clericos mittere potentibus viris, ut hi illorum imperia in rem judicatam dedant, ne fumoſum typhum ſæculi intromittere videantur in Eccleſiam Chriſti, quæ lucem ſimplicitatis & humilitatis diem Deum videre cupientibus præfert.* En ſumma Capita Epiſtolæ Patrum Africanorum, quam integram reperies tomo primo Conciliorum in 6 Synodo Carthaginenſi. Niſi autem dubitatur meri-

Digitized by Google

meridie lucere, hinc planum evadit ſæculo illo Eccleſias jure communi & Ariſtocratico regimine gubernatas. Neque profectò ſi Canones Sardicos pro appendice Canonum Nicænorum gratuitò admiſerimus, Gretſerus inde probare poterit hos Gregorii VII. Dictatus juris eſſe Divini directè vel indirectè, cùm neque Zozimus Papa, neque Patres Sardici jus Appellationum ad Apoſtolicam ſedem, eidem ſedi Apoſtolicæ tanquam jure divino debitum addicant. Zozimus enim ſuum Commonitorium ſolis Canonibus Sardicis, quos pro Nicænis Canonibus ſubſtituebat, fulcire conabatur. Sardici autem Canones Hoſio Cordubenſis Eccleſiæ Epiſcopo referente, & poſtulante ad hunc modum decernunt: *Si Veſtræ Dilectioni videatur Petri Apoſtoli memoriam honoremus, ut ab iis qui judicaverunt, ſcribatur Julio Romanorum Epiſcopo, ut per propinquos provinciæ Epiſcopos, ſi opus ſit, judicium renovetur, & cognitores ipſe præbeat, Canone 3. Synodi Sardicæ Conciliorum Romæ editorum.* Cui pariter Canon quintus ejuſdem Synodi Sardicæ eſt agglutinandus. Sed de his amplius libro primo Hiſtoriæ noſtræ Conciliorum generalium in ſextæ Synodi Carthaginenſis Hiſtoriâ, & 34. Axiomate Apologiæ noſtræ.

Vigeſimus ſecundus æquivocatione vocis, *Romana Eccleſia implicatur*, & lucem ab iis mutuatur quæ ad primum Dictatum obſervavimus: putà gratiam infallibilitatis ſoli Eccleſiæ Catholicæ & Concilio generali legitimè congregato conceſſam à Chriſto: quem ad ſenſum omnes Scripturæ textus & auctoritates Patrum, quæ de Eccleſiæ infallibilitate ſtatuunt, capiendæ ſunt, minimè verò de uno & ſolo Papa, aut de Eccleſia & Diœceſi Romana ſeorſim à tota Eccleſia Catholica. Adi 17 Axioma noſtræ Apologiæ.

Vigeſimum tertium Dictatum Gregorius ita adornavit quòd propoſito ſuo vehementer favere duceret: duabus autem conſtat partibus. Quoad primam, fallit elencho non cauſæ pro cauſa, & à diviſis ad conjuncta: ſiquidem ſola canonica electio Pontificis nullo modo poteſt eſſe cauſa neceſſaria Sanctitatis, doctrinæ aut vitæ Pontificum Romanorum: hoc enim à multis aliis concauſis dependet. Quamobrem Dictatus hic: *quòd Romanus Pontifex, ſi canonicè fuerit ordinatus, meritis B. Petri indubitanter efficitur Sanctus*: neque directè neque indirectè poteſt elici ex jure divino. Equidem perſuaſio quam Hildebrandus de ſua canonica electione concepit, illum ad ea impulit, quæ innumeras hominum atque urbium ſtrages pepererunt, ut hinc diſcant homines ſeſe humiliare, & non elatè ſapere: *Bonum*

Digitized by Google

enim conſtat integrâ causâ: id eſt, nemo Pontificum ex electione canonica bonus & Sanctus haberi poteſt, niſi cæteras vitæ Sanctioris dotes unà ſibi conciliet. Altera pars hujus Dictatus Enodii Papienſis Epiſcopi teſtimonium reſpicit, quod exigui eſt momenti in hac parte, ſi de ſola canonica electione capiatur, ut jam diximus. Cæterùm analyſim libri Enodii repetes ex libro 3. defenſionis libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate cap. 5. numero 21. & 22.

Ad Vigeſimum quartum, non ſatis liquet quidnam ſit *Licere ſubjectis accuſare & præcepto & licentia Papæ.* Attamen conjicio Gregorium hæc dixiſſe, ut ſibi viam ſterneret ad ſubditos Imperatoris contra illum ſollicitandos & prenſandos: ſicque hic Dictatus eſt tanquam corollarium præcipuæ quæſtionis, de qua articulo 12. 27. & hoc toto opere.

Vigeſimo quinto. Satis datum eſt ſuprà articulo tertio, quarto & quinto, ubi oſtendimus poteſtatem Eccleſiaſticam purè putè ſpiritualem miniſterialem, atque Regimen Eccleſiæ Ariſtocraticum non abſolutè Monarchicum eſſe.

Vigeſimus ſextus æquivocatione laborat, quæ exſplendeſcit ac depellitur eorum notitiâ, quæ reſponſione ad primum & vigeſimum ſecundum notavimus. Itaque verba hæc: *Qui non concordat Romanæ Eccleſiæ.* Si de Catholica & univerſali Eccleſia capiantur, veriſſima ſunt: ſi autem de Papa cum ſuo oligarchico Conſilio, aut de privata Diœceſi Romana aliquid ſtatuente, cui Eccleſia Catholica minimè aſſenſum præbuit (ſicut in præſenti controverſia de Regum abdicatione) falſa meritò habentur. Jam enim multoties dixi facultatem infallibiliter decernendi toti Eccleſiæ Catholicæ, non ſoli Papæ, aut ullis privatis Eccleſiis conceſſam à Chriſto, qui hac ratione voluit Eccleſiarum charitatem & communionem excitare ac fovere.

Ad Vigeſimum ſeptimum. *Quòd Papa à fidelitate iniquorum ſubditos poſſit abſolvere.* Eſt quidem totius hujus operis pretium: neque canonicè in Synodo generali pacatâ Chriſtianâ Republicâ, atque auditis ſuper eâ re Principibus Chriſtianis conditus eſt, ut ampliùs probabitur lib. quinto cùm de Synodo Lateranenſi ſub Innocentio III. agetur. Vide pariter reſponſionem ad vigeſimum ſecundum, & 26. Dictatum, ubi de acceptione Papæ diſtributim cum Eccleſia Romana ſumpta diſſeruimus. His autem accuratè ponderatis claret Gretſerum fruſtrà & perperam contendere Gregorium VII. in hujuſmodi Dictatibus *nihil novi ſanxiſſe, ſed quæ apud multos in oblivionem venerant, revocaſſe,*

taſſe, & ex jure divino partim directè, partim indirectè colligi. Nam certiſſimum eſt hæc omnia edicta imperioſa, aut majorem partem illorum hoc falſo niti principio: *Quòd Papa ſit abſolutus infallibilis Monarcha Eccleſiæ.*

XI. Porrò his ſeptem & viginti Dictatibus ſexdecim argumenta ſubjiciam, quibus noſter Gregorius acta ſua in Henricum IV. Imperatorem armabat: Quæ argumenta in aciem explicat duabus Epiſtolis ad Herimanum Metenſem Epiſcopum; quarum prior Epiſtola libro 4. Epiſtolâ 2. poſterior lib. 8. Epiſtolâ 21. legitur. *Quod poſtulaſti*, ait Herimano, *te quaſi noſtris ſcriptis juvari ac præmuniri contra illorum inſaniam, qui nefando ore garriunt auctoritatem Sedis Apoſtolicæ non potuiſſe Regem Henricum hominem Chriſtianæ Religionis contemptorem, Eccleſiarum videlicet & Imperii deſtructorem, atque hæreticorum auctorem, & conſentaneum excommunicare; nec quemquam à Sacramento fidelitatis ejus abſolvere non adeò neceſſarium nobis videtur, cùm hujus rei tam multa ac certiſſima documenta ſacrarum Scripturarum paginis reperiantur, &c.* Hoc igitur primum erit Hildebrandi argumentum.

Secundum: *Nam*, inquit, *ut de multis pauca dicamus: Quis ignorat vocem Domini ac Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti dicentis in Euangelio: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, &c. Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis. Nunquid ſunt hic Reges excepti, aut non ſunt de ovibus quas Filius Dei B. Petro commiſit? Quis, rogo, in hac univerſali conceſſione ligandi atque ſolvendi à poteſtate Petri ſe excluſum eſſe exiſtimat?*

Tertium: Eccleſiam Romanam eſſe omnium Eccleſiarum matrem univerſalem: omnes majores res, præcipuè negotia omnium Eccleſiarum ad eam quaſi ad matrem & caput referri: ab ea nuſquam appellari: Judicia ejus à nemine retractari, aut refelli debere vel poſſe.

Quartum: Eccleſiam Romanam habere poteſtatem ſingulari privilegio conceſſam, aperire & claudere januas regni cœleſtis quibus voluerit. Cui ergo aperiendi claudendique cœli data poteſtas eſt, de terra judicare non licet?

Quintum: Num retinetis quod ait Beatiſſimus Apoſtolus: Neſcitis quia Angelos judicabimus? quantò magis ſæcularia?

Sextum: B. quoque Gregorius Papa Reges à ſua dignitate cadere ſtatuit, qui Apoſtolicæ Sedis decreta violare præſumpſerint: ſcribens

bens ad quemdam Senatorem, &c. Quòd ſi B. Gregorius Doctor utique mitiſſimus, Reges qui ſtatuta ſua ſuper unum Xenodochium violarent, non modò deponi; ſed etiam excommunicari, atque in æterno examine damnari decrevit: quis nos Henricum non ſolùm Apoſtolicorum judiciorum contemptorem; verùm etiam ipſius matris Eccleſiæ, quantum in ipſo eſt, conculcatorem; totiuſque Regni & Eccleſiarum improbiſſimum prædonem, & atrociſſimum deſtructorem depoſuiſſe & excommunicaſſe reprehendat?

Septimò: B. Petrum in Epiſtola de ordinatione Clementis docere illum qui amicus ei fuerit, quem Clemens colloquio ſuo privavit, debere haberi pro hoſte Eccleſiæ, & pejorem eſſe illis qui foris & evidenter inimici ſunt: quoniam hic per amicitiarum ſpeciem quæ inimica ſunt, gerit. Nota ergo, inquit Gregorius, *ſi ille tam graviter judicatur, cui Clemens Papa pro actibus ſuis adverſus eſt; quantâ animadverſione damnandus Henricus?*

Octavò: Itane dignitas à ſecularibus etiam Deum ignorantibus inventa non ſubjicietur ei dignitati, quam omnipotentis Dei providentia ad honorem ſuum invenit, mundoque miſericorditer tribuit? &c. *Quis neſciat Reges & Duces ab his habuiſſe principium, qui Deum ignorantes, ſuperbia, rapinis, perfidia, homicidiis, poſtremò univerſis penè ſceleribus, mundi Principe diabolo videlicet agitante, ſuper pares ſcilicet homines dominari cæcâ cupiditate & intolerabili præſumptione affectaverunt? qui videlicet dum Sacerdotes Domini ad veſtigia ſua inclinare contendunt, comparantur diabolo qui Chriſtum filium Dei tentans, & omnia mundi regna illi promittens, ait, hæc omnia tibi dabo, ſi procidens adoraveris me. Quis dubitet Sacerdotes Chriſti Regum & Principum, omniumque fidelium Patres & Magiſtros cenſeri? Nonne miſerabilis inſania eſſe cognoſcitur, ſi filius patrem, diſcipulus Magiſtrum ſibi conetur ſubjugare, & iniquis obligationibus illum poteſtati ſuæ ſubjicere, à quo credit non ſolùm in terra, ſed etiam in cælis ſe ligari poſſe & ſolvi?* Hæc Epiſtola 21. libri 8. Deindè libro 4. Epiſt. 2. ad eumdem Hermannum. *Sed fortè*, ait, *putant quòd Regia dignitas Epiſcopalem præcellat. Ex eorum principiis colligere poſſunt quantùm à ſe utraque differunt: Illam quidem ſuperbia humana reperit: hanc divina pietas inſtituit: Illa vanamgloriam inceſſanter captat: hæc ad cæleſtem vitam ſemper aſpirat.*

Nonò dicit: Conſtantinum Magnum in Sancta Synodo Nicæna poſt omnes Epiſcopos ultimum ſediſſe, nullamque judicii ſententiam voluiſſe,

luiſſe ferre de eorumdem controverſiis, ſed illos Deos appellaviſſe, atque ab illorum arbitrio totum pendere voluiſſe.

Decimò: Gelaſium Papam ſic reſcribere Anaſtaſio Imperatori: Duo ſunt quippe, Imperator Auguſte, quibus principaliter mundus hic regitur: Auctoritas ſacrata Pontificum, &c. Noſti itaque inter hæc ab illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem.

Undecimò: B. Innocentium P P. Arcadium Imperatorem excommunicaſſe, eò quòd conſenſiſſet ut S. Chryſoſtomus ab urbe Conſtantinopolitana pelleretur: Et S. Ambroſium, quamvis non eſſet univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus, tamen Theodoſium Magnum excommunicaſſe pro culpa, quæ aliis Sacerdotibus non tam gravis videbatur.

Duodecimò: Eumdem Ambroſium dignitatem Sacerdotalem, auro, & politicam, plumbo comparare.

Decimotertiò: Zachariam Pontificem Childericum Regem Galliarum depoſuiſſe, non tam pro ſuis iniquitatibus, quàm eò quòd tantæ poteſtati non eſſet utilis: Et Pipinum Caroli Magni patrem in Childerici locum ſubſtituiſſe, Can. Alius. 15. quæſt. 6.

Decimoquartò: Majorem eſſe auctoritatem Exorciſtæ, qui minimus eſt Ordo Eccleſiaſticus, quàm Imperatorum & Regum terrenorum qui religiosè non vivunt, & Deum non metuunt. Quòd ſi Exorciſtæ imperium habent ſuper dæmones; quantò magis ſuper eos qui dæmonibus ſubjecti & membra ſunt dæmonum? ſi ergo his tantùm præeminent Exorciſtæ, quantò amplius Sacerdotes?

Decimoquintò: Omnis Rex Chriſtianus in vitæ exitu, ut inferni carcerem evadat, & à peccatis abſolvatur, Sacerdotis opem ſupplex ac miſerandus requirit: Nemo autem Sacerdotum aut Laicorum pro animæ ſuæ ſalute in articulo mortis Regis terreni auxilium unquam imploravit. Accedit etiam Sacerdotes Sacramentum baptiſmi conferre, &c. hocque à Regibus effici non poſſe, qui quidem ſi à Sacerdotibus ſunt judicandi pro peccatis, à quo rectiùs quàm à Romano Pontifice debent judicari?

Decimoſextò urget: Imperatores, Reges atque Principes mundi non claruiſſe miraculis, ſicut Sacerdotes, Epiſcopos, atque alios vitæ ſæculi contemptores, &c.

Hæc igitur ſunt argumenta quibus Gregorius geſta ſua contra Henricum Imperatorem obvallare nitebatur: quorum argumentorum

rum me pudet, miſeretque: Et quoniam robuſtiora accuratiùs à Bellarmino, Schulkchenio, Becano, & Suare tractantur, de illis ſequenti Libro agetur. Hîc autem ea duntaxat evolventur, quorum Bellarminus atque alii recentiores nullam fecerunt mentionem.

Ad primum abſolutè negatur Henricum fuiſſe Chriſtianæ Religionis contemptorem, Eccleſiarum atque Imperii deſtructorem, auctorem vel conſentaneum hæreticorum: neque Gregorio, qui Imperatorem perdere conſtituerat, hac in parte auſcultandum eſt. Fateor quidem Cæſarem multis in caſibus fuiſſe peccatorem graviſſimum, nec tam integrè privilegio Inveſtiturarum, quàm optimum & Chriſtianum Principem decuiſſet, uſum: at eam ob cauſam fuiſſe aut appellandum hæreticum, vel fautorem hæreticorum pernego: cùm ex more majorum, ut etiam omnes ejus inimici non diffitentur, beneficia conferret, ſicut capite primo hujus libri demonſtravimus. Quòd autem Hiſtoriæ memorant illum atque ejus miniſtros, pecunias pro jure inveſtiendi Epiſcopos & Abbates accepiſſe: Credo id quidem, & graviter fero: ſed eam ob cauſam hæreticum, aut in hæreſim prolapſum fuiſſe nemo poteſt probare: hîcque Gretſerum ejuſque ſodales obſecro meminerint hujus dogmatis Gregorii de Valentia tom. 3. diſputatione 6. puncto 3. Commentariorum in ſummam B. Thomæ, ubi de Simonia diſputat: *Pecuniam dare pro beneficio tanquam pretium, eſt Simoniacum; minimè verò ſi detur tanquam aliquid gratuitum, aut motivum ad reſignandum vel conferendum beneficium.* Quam doctrinam vel potius corruptelam nec ſequor, nec probo: hoc enim eſt ſeſe nequitiæ magiſtrum venditare, atque cubitis peccare volentium molles pulvillos ſupponere. Rectè bonus Gerſonius in concione quam nomine Univerſitatis Pariſienſis coram Rege Franciæ & D. Delphino habuit. *Non ideo Princeps aliquis tyrannus judicandus eſt*, ait, *quòd ſit peccator pluribus in caſibus; cùm tamen non ſit hoc manifeſtè contra dominii ſui finem, & in boni communis ſubverſionem.* Igitur dato quòd Henricus pecunias pretio condicto pro collatione tituli prælaturarum acciperet, non ideo hæreticus aut tyrannus erat. Quod ſpectat ad Imperii deſtructionem: Quicumque certavit pro retinenda dignitate & ditione Imperii, ille non eſt deſtructor, ſed conſervator Imperii: Sed Henricus multoties certavit pro dignitate & ditione imperii retinenda adversùs publicos hoſtes quos ei Gregorius excitaverat. Igitur non Henricus, ſed potius Hildebrandus appel-

landus

Digitized by Google

landus eſt deſtructor Imperii, cùm ipſe à Mathilde plurimas urbes beneficiarias Imperii acceperit, &c.

Secundum argumentum de poteſtate ligandi & ſolvendi Petro traditâ explicabitur libro quinto.

Ad tertium: hæc vox, *Eccleſia Romana eſt omnium Eccleſiarum Mater univerſalis*, æquivocatione laborat. Et primùm, quomodo Papa dicatur univerſalis Pontifex aut Epiſcopus ſuprà in explicatione primi Dictatus Gregorii explicatum eſt. Secundò fateor ratione primatûs qui ad omnes Eccleſias particulares extenditur, Romanam Eccleſiam poſſe dici matrem atque principem omnium Eccleſiarum; quamquam hoc nomen matris ei etiam conveniat tanquam Metropoli. De quâ re diſputatum eſt in defenſione libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate cap. 5. Cæterùm eo ipſo quòd Eccleſia Romana ſit univerſalis omnium Eccleſiarum; non inde ſequitur habere poteſtatem Regum abdicandorum, ut hic perſuadere vult Gregorius: quoniam poteſtas Eccleſiaſtica quanta quanta miniſterialis ſpiritualis, eſt omni jure cogendi temporaliter orbata. Tertiò utrum omnia majora negotia ad Eccleſiam Romanam jure divino referri debeant, & ab ea nuſquam appellari poſſit, tractatum eſt in enucleatione Dictatûs 18. 19. 20. & 21.

Quartum argumentum duobus conſtat membris, quorum primum & falſum & erroneum eſt, Scilicet Eccleſiam Romanam habere poteſtatem ſingulari privilegio aperiendi & claudendi januas regni cæleſtis quibus voluerit. Quo etiam genere loquendi aliàs uſus eſt lib. 4. Epiſtolâ 4. ad Leodienſem Epiſcopum. Hoc autem teſte B. Hieronymo, commentariis in caput 16. Matthæi, Phariſaicum eſt, ut paulò antè notavi. Hic ergo Gregorius VII. quaſi præditus clave auctoritatis, non puri miniſterii argumentatur; quæ ejus falſa perſuaſio cauſam horrendis bellis civilibus & ſchiſmatibus præbuit: & hæc de priore membro argumenti. Secundum eſt quando ex poteſtate aperiendi & claudendi cælum, Eccleſiæ relictam poteſtatem judicandi de rebus temporalibus fœdo paralogiſmo arrogat.

Quintum: Angelos judicabimus: infrà libro 5. evolvetur.

Sextum fallit ab ignoratione elenchi. Jam ſuperiùs monui S. Gregorium Regis & Reginæ Franciæ monitu & ſuaſione, comminationibus uſum: quæ omnia libro 5. ad incudem revocabuntur.

Septimum exigui eſt momenti, quoniam ad ſolam pertinet excommunicationem, de qua non eſt quæſtio inpræſentiarum, ſed de ſola

poteſtate Regum abdicandorum, & irrogandi pœnas temporales, quæ miniſteriali ſpirituali poteſtati Eccleſiæ eſſentialiter repugnat. Verùm quo in caſu adversùm Reges & Duces multitudinis ferendæ ſint cenſuræ, habes lib. 3. cap. 4. numero 6. & 7.

XII. Ad octavum: Gregorius ex diſcrimine principiorum & cauſarum Eccleſiaſticæ & regiæ poteſtatis, auctoritatem Eccleſiæ ſuper Reges atque Imperatores ita extollere nititur, *ut ſtatuat dignitatem regiam inventam à ſæcularibus Deum ignorantibus, Principe diabolo agitante, &c. contrà, Eccleſiaſticam omnipotentis Dei providentiâ ad honorem ſuum inſtitutam, &c.* Quibus ex locis patet illum de utraque poteſtate, non tantùm materialiter, ſubjectivè & quoad exiſtentiam, ſed formaliter in abſtracto & quoad eſſentiam agere: ac velle ideo Eccleſiaſticam dignitatem Regiæ dignitati antecellere: quod hæc pro cauſa efficiente & principio interno per homines Deum ignorantes ſuaſore diabolo: illa verò immediatè à Deo inſtituta ſit. Quæ aſſertio quoad regiam dignitatem falſa, erronea, etſi pervicaciter defendatur, hæretica eſt: quandoquidem dignitas aut poteſtas regia nihil aliud eſt quàm ſuprema poteſtas dirigendi aut cogendi *per merum aut abſolutum imperium, quo homines in civili ſocietate degentes reguntur & in officio continentur*: ut lib. 2. cap. 1. & 2. demonſtravi. Neque verò ſitum eſt in omnium hominum poteſtate & arbitrio dare alicui homini aut Magiſtratui poteſtatem puniendi corporaliter homines per merum imperium, niſi ſocietas civilis ejuſmodi poteſtatem immediatè derivaret à Deo vel natura juxta ſententiam Apoſtoli Rom. 13. αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τεταγμέναι εἰσίν: *Exiſtentes verò poteſtates à Deo ordinatæ ſunt: Itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt ipſi, ſibi damnationem acquirunt. Princeps enim Dei miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit: ideòque neceſſitate ſubditi eſtote non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Quo divino oraculo Apoſtolus agit de poteſtatibus tum quoad eſſentiam, & primam inſtitutionem, tum quoad exiſtentiam & exercitium, & utroque modo ſuam habere poteſtatem atque ordinationem à Deo declarat, conſequenter Gregorium erroris manifeſtè convincit, quia non modò de Henrico Imperatore & nefariis Regibus ſubjectivè & quoad exiſtentiam, verùm etiam *de ipſa dignitate regia, aut facultate regendi in abſtracto loquitur.* Quòd ſi quiſpiam illum excuſare velit, eò quòd doceat *Reges & Duces ab iis habuiſſe principium, qui Deum ignorantes, ſuperbiâ, rapinis, perfidiâ, homicidiis: poſtremò univerſis penè*

ſcele-

Digitized by Google

ſceleribus, mundi Principe diabolo videlicet agitante, ſuper pares ſcilicet homines dominari cacâ cupiditate & intolerabili præſumptione affectarunt, &c. Contrà, reponam hoc ipſo Gregorium omnem occaſionem dubitandi de ſua mente tollere: quippe qui dignitatem dignitati, & principia principiis, cauſas cauſis efficientibus utriuſque poteſtatis conferat, atque inter ſeſe opponat, abſolutè ſtatuendo regiam dignitatem dumtaxat homines habere nefarios diaboli ſuaſu percitos auctores atque inſtitutores. Nam hæc ſunt illius verba lib. 4. Epiſtolâ 2. *Sed qui fortè putant quòd regia dignitas Epiſcopalem præcellat, ex eorum principiis colligere poſſunt quantùm utraque differunt: illam quidem ſuperbia humana reperit; hanc divina pietas inſtituit: Illam vana gloria inceſſanter captat, &c. Item lib. 8. Epiſt. 21. Itane dignitas à ſæcularibus Deum ignorantibus inventa non ſubjicietur ei dignitati, quam omnipotentis Dei providentia ad honorem ſuum invenit?* Procul dubio quamquam ſæpè contigerit homines nefarios vi atque armis, id eſt jure gentium, *meum & tuum*, diſtribuiſſe mundo, vique & armis dignitatem & poteſtatem regiam in alios uſurpaſſe: quod in cauſa eſt ut Thucidides initio libri primi Hiſtoriæ doceat illos, qui primitùs imperium ſuper alios invaſerunt, prædones extitiſſe: attamen certiſſimum eſt Deum eſſe auctorem & cauſam efficientem immediatam ſupremæ poteſtatis politicæ, quocumque modo exerceatur, Monarchicè nimirum, Ariſtocraticè, aut Democraticè. Itaque falſum eſt quod Gregorius perhibet ortum habuiſſe à nefariis hominibus diaboli inſtinctu: tametſi verò de nonnullis hoc ita eſſet, meminiſſe debuit Hildebrandus hujus præclaræ vocis Auguſtini in Pſalmum 124. *Aliquando*, ait, *injuſti perveniunt ad honores ſæculi, cùm pervenerint, & facti fuerint vel judices, vel Reges, quia hoc facit Deus propter diſciplinam populi ſui, non poteſt fieri niſi ut exhibeatur illis honos debitus poteſtati.* Accedit poſt diluvium permultas Monarchias, quas Antiqui Heroicas nuncupant, exordium ſumpſiſſe à paterna poteſtate: quoniam illi Heroës eo modo hominibus, quo parentes filiis propriis præeſſent: cujus formæ gubernationis atque imperii Ariſtoteles libris de Republica crebrò meminit, eamque valdè laudat. Futurum autem prævidebat Gregorius, ſi Regiam dignitatem eſſe à Deo concederet, conſequenter inferri poteſtatem Eccleſiaſticam illam abdicare non poſſe. Quocirca contra præcepta Apoſtolorum perſuadere voluit Reges non habere ſuam ordinationem & poteſtatem à Deo, ſed ab hominibus, ſuadente diabolo. Neque verò timere debuit ſi

admitteret regiam dignitatem aut majeſtatem eſſe à Deo. Inde contrà aliquis inferret eam non ſubditam dignitati Eccleſiaſticæ: hoc enim auctoritati Eccleſiaſticæ nihil derogare poteſt, quando juxta Domini pronuntiatum: *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ Dei, Deo reddenda ſunt.* Ut enim Principes politici Eccleſiæ ſubjiciuntur in ſpiritualibus; ita & Eccleſiaſtici Regibus parere debent in civilibus & temporalibus: quoniam neque dominatio politica pietatem evertit; neque poteſtas Eccleſiaſtica dominationem politicam impedit: imò utræque ſibi invicem auxiliantur, ut libro 2. probavimus. Et ita abundè hoc octavum Hildebrandi argumentum confutatur.

Ad nonum: de Conſtantini Magni reſponſione factâ Epiſcopis in Synodo Nicæna diſſidentibus, conſule caput primum libri tertii de Eccleſiaſticorum immunitatibus.

Decimò: ſenſus Gelaſii Papæ non eſt alius, quàm ut convinceret utramque poteſtatem ſic natura eſſe ſecretam, ut neutra in alterius fines invadat, ſed ſibi mutuò ſubſidio eſſe debeant, ut jam notavi reſponſione ad octavum.

Undecimò: Onuphrius in vita Gregorii VII. quam infrà exhibebimus, fabellis anilibus Innocentii I. in Arcadium: Ambroſii, in Theodoſium excommunicationes deputat. *Nam fabulas quæ de Arcadio, Anaſtaſio & Leone Iconomacho circumferuntur, nihil moror,* inquit. *Unde Otho Friſingenſis horum temporum ſcriptor: Lego,* inquit, *& relego Romanorum Regum & Imperatorum geſta, &c.* quem ad locum Onuphrii Gretſerus: *Non ſunt fabulæ,* ait, *quæ de Arcadio, Anaſtaſio, &c. dicuntur. Lege Bellarminum lib. 2. cap. 19. de Romano Pontifice.* Cæterùm Bellarminus laudatus à Gretſero pro auctoribus ſententiæ ſuæ Nicephorum & Zonaram multò recentiores Gregorio VII. venditat: unde veriſimile eſt illos de his Imperatorum cenſuris ſcripſiſſe, & praxi Curiæ Romanæ ſæculi Gregorii VII. qui primus fuit auctor belli ſacri: quo tempore numquam major extitit poteſtas Romanorum Pontificum. Certè neque Socrates, neque Theodoretus, Sozomenus, aut alius Scriptor antiquus unquam hujuſcemodi excommunicationum meminit. Ratio eſt quia Patribus illius ævi ſemper in more & inſtituto fuit, ut nunquam zizania evellerentur cum frumenti periculo: quocircà ab ejuſmodi excommunicationibus adversùm Reges & Imperatores meritò ſuperſedebant. Quod autem Gregorius prætexit Sanctum Ambroſium pro culpa, quæ aliis Sacerdotibus non ita gravis videbatur, Theodoſium Magnum

Digitized by Google

gnum excommunicaſſe: equidem extenuando crimen Theodoſii, culpam Henrici IV. aggravare, & ſuam, ſi Deo placet in Henricum manſuetudinem Chriſtianam velle commendare videtur. Sed, Deus bone, eccuinam niſi planè ferreo & adamantino reatus Theodoſii non adeò gravis haberi poteſt; quando Auctores hiſtoriæ Eccleſiaſticæ omnibus qui eam conſideratè legerint, lachrymas excutiunt? Nam teſte Ruffino lib.2. cap. 18. *Cùm apud Theſſalonicam ſeditione exortâ quidam vir ex militaribus populi furentis impetu fuiſſet extinctus, Theodoſius repentini nuncii atrocitate ſuccenſus, ad ludos Circenſes invitari populum, eique ex improviſo circumfundi milites, atque obtruncari paſſim, ut quiſque occurriſſet, gladio jubet; & vindictam dari non crimini, ſed furori.* Theodoretus lib. 5. cap. 17. ait *ſeptem hominum millia hoc furore interiiſſe, & omnes ſimul velut ſpicas in meſſe deſectas conciſos fuiſſe.* Zozomenus lib. 7. cap. 24. memorat *peregrinos qui nuper adnavigarant, vel de via advenerant, ex improviſo captos vel trucidatos, atque mercatorem quemdam pro duobus filiis ſuis innocuis ingenti ſummâ auri paciſci voluiſſe, nec tamen eos potuiſſe periculo eximere.*

Procul dubio nemini aliquâ humanitatis particulâ ornato hæc levia videri poſſunt.

Ad 12. & 13. abundè libro 5. ſatisfiet.

Decimum quartum & quintum excellentiam poteſtatis Eccleſiaſticæ in retinendis ac remittendis peccatis, ſacramentis conferendis, dæmonibus coërcendis, &c. commendat. Quæ omnia nihil ad propoſitum faciunt, cùm ut ſæpè dixi, utraque poteſtas cauſis ac principiis eſſentialibus diſtinguatur, nihil mirum eſt effectus & fines diverſos nanciſci à natura; ita ut una corporibus & temporalibus per merum imperium moderetur; alia animis ſuaviter per actus hierarchicos præſit.

Decimum ſextum; quòd Reges non claruerint miraculis, eſt paralogiſmus qui nullam aliam meretur reſponſionem, quàm donum miraculorum, gratiam eſſe gratis datam, non gratum facientem. Inſuper rependi poteſt Pontifices ab eo die deſiiſſe ſplendere & commendari miraculis, quo ſe negotiis ſæculi immerſerunt; atque Turcicum imperium magna feciſſe incrementa in Chriſtianæ Reipublicæ perniciem, ſicut lippis & tonſoribus pervagatum eſt.

His ergo rationum momentis Gregorius magis ad ſpeciem quàm ad veritatem inſtructus, ſeſe ad perdendum, non ad corrigendum

Digitized by Google

Cæſarem accinxit. Regula eſt Patrum excommunicationem eſſe pœnam medicinalem. Unde Auguſtinus ſuprà laudatus ex libro 2. contra Epiſtolam Parmeniani cap. 1. *Quiſquis vel quod poteſt arguendo corrigit, vel quod corrigere non poteſt, ſalvo pacis vinculo excludit, vel quod ſalvo pacis vinculo excludere non poteſt, æquitate improbat, firmitate ſupportat. Hic eſt pacificus & ab iſto maledicto immunis. Quid Scriptura dicit? Væ his qui dicunt quod nequam eſt bonum, & quod bonum eſt nequam.* Deinde lib. 3. cap. 1. *Cùm omnis pia ratio & modus Eccleſiaſticæ diſciplinæ unitatem ſpiritus in vinculo pacis maximè debeat intueri: quod Apoſtolus ſufferendo invicem præcipit cuſtodiri, & quo non cuſtodito medicina vindictæ non tantùm ſuperflua, ſed etiam pernitioſa: Et propterea jam nec medicina eſſe convincitur. Illi filii mali, qui ne luce veritatis carere oſtendantur, umbram rigidæ ſeveritatis obtendunt: Et quæ in Scripturis Sanctis ſalvâ dilectionis ſinceritate & cuſtoditâ pacis unitate ad corrigenda fraterna vitia moderatiori curatione fieri præcepta ſunt, ad ſacrilegium ſchiſmatis, & ad occaſionem præciſionis uſurpant, dicentes: Ecce ait Apoſtolus: auferte malum ex vobis ipſis.* Quem locum Apoſtoli ſic explicat eodem libro 3. ſub finem capitis ſecundi: *Miſericorditer igitur corripiat homo cùm quod poteſt; quod autem non poteſt, patienter ferat, & dilectione gemat atque lugeat, donec aut ille deſuper emendet & corrigat, aut uſque ad meſſem differat eradicare zizania, & paleam ventilare. Ut tamen ſecuri de ſalute ſua bonæ ſpei Chriſtiani inter deſperatos quos corripere non valent, in unitate verſentur, auferant malum à ſe ipſis: id eſt ut in ipſis non inveniatur quod in moribus aliorum eis diſplicet, &c. Quòd ſi quiſquam velit intelligere quod dictum eſt: auferte malum ex vobis ipſis, ut per correptionem ſeparationis de congregatione fratrum malus quiſque auferendus ſit; ſtudio tamen ſervandi, non odio perimendi eſſe faciendum nemo dubitaverit; Et quis adhibendus ſit modus, temporaque ſervanda, ne pax Eccleſiæ violetur, in qua maximè tritico parcendum eſt, ne cum zizaniis eradicetur.*

Huc uſque S. Auguſtinus. Bellarminus cap. 7. in Barclaium, conſuetudinem Pontificum in corripiendis & caſtigandis nefariis Principibus ſic refert: *Mos ipſorum eſt primùm paternè corripere Principem: deinde per cenſuram Eccleſiaſticam communione privare, denique ſubditos eorum à juramento fidelitatis abſolvere, eoſque dignitate atque auctoritate regiâ, ſi res ita poſtulat, privare: Executio ad alios pertinet*, inquit. Quæ ſententia nobis quinque gradus ejuſmodi correptionis inſtruit, ſcilicet paternam correptionem, privationem à communione

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiaſtica per cenſuras, abſolutionem ſubditorum à juramento fidelitatis, abdicationem ab auctoritate regia, & executionem. Jam videamus quomodo Gregorius VII. hæc gradatim obſervarit. Exemplum paternæ correctionis legitur apud S. Gregorium Magnum adversùs Conſtantinopolitanum Patriarcham, quem & litteris & per reſponſales ſuos etiam atque etiam monet ut à ſuperbo titulo Oecumenici Epiſcopi abſtineat: idque niſi præſtet, declarat ſe tum demum illum Eccleſiæ denunciaturum libro 4. Epiſt. 38. cap. 82. At nihil ejuſmodi Gregorius erga Henricum Imperatorem ſervaſſe conſtat ex ejus Epiſtolis: quandoquidem ab executione incepit: quoniam ſtatim atque electus eſt, antequàm etiam ab Imperatore & Principibus Imperii conſenſum impetraſſet, animos omnium inimicorum Henrici pertentavit, atque in illum clam ſollicitavit, ut ſuprà demonſtratum eſt. Deinde ſtatim atque conſenſum Imperatoris obtinuit, ut conſecraretur Pontifex: poſtquam eſt conſecratus die Purificationis B. Mariæ, Synodum in tempus Quadrageſimale primo anno ſui Pontificatus 1074. indixit, cujus Synodi meminit libro 1. Epiſt. 42. & 43. in eaque cavit, ut qui à Laico inveſtituram alicujus Prælaturæ acciperet, & qui daret, pro excommunicato haberetur: atque in vim hujus ſui decreti prætendit Henricum communione Eccleſiaſticâ privatum, ut liquet ex Epiſtola 85. libri 1. ad Agnetem Imperatricem Henrici matrem, ad quam ita ſcribit: *Scimus equidem quod pro pace & concordia univerſalis Eccleſiæ multum laboratis; & omnia quæ Pontificatum & Imperium glutino charitatis adſtringere valeant, ampliùs quàm dici poſſit, concupiſcitis, & indefeſſâ ſollicitudine quæritis. Quorum quidem, quod maximum eſt, & unitati dilectionis conjunctiſſimum, jam peregiſtis: videlicet filium veſtrum Henricum Regem communioni Eccleſiæ reſtitui, ſimulque regnum ejus à communi periculo liberari: quoniam illo extra communionem poſito, nos quidem timor divinæ ultionis ſecum convenire prohibuit: ſubditos verò ſibi quotidie ejus præſentia quaſi neceſſitas quædam in culpa ligavit.* Quæ epiſtola ſcripta eſt decimo ſeptimo Kalendarum Julii anno 1074. id eſt duobus circiter menſibus poſt Synodum Quadrageſimalem habitam; ut hinc pateat Gregorium diligentiſſimum fuiſſe, & nullum tempus opportunum ac utile decretis ſuis exequendis remiſiſſe. At conſtans eſt doctrina Theologorum, Leges non obligare, antequam promulgentur & recipiantur: quomodo igitur prætexit Imperatorem communione Eccleſiaſticâ privatum in vim decreti facti in illa Synodo Quadrage-

Digitized by Google

drageſimali? Cæterùm Gregorius ſimili religione quâ Beatricem & Mathildem, ita & Agnetem Henrici matrem involverat: adeò ut tandem proprio filio & majeſtati Imperii adverſa fuerit: quæ eſt imago ſpirans & viva eorum quæ ſæculo noſtro in Franciæ regno geri vidimus: præſertim in Conventu trium Ordinum Regni anno 1615. dum Curiæ Romanæ factionibus, Articulus tertii Ordinis, auctoritate Reginæ matris, ſub infirma Regis ætate oppreſſus eſt. Verùm libro 1. Epiſtolarum Gregorii inter vigeſimam nonam & trigeſimam Epiſtolam, extat Henrici Imperatoris Epiſtola ſine die & conſule his concepta verbis: *Vigilantiſſimo & deſiderantiſſimo Domino Papæ Gregorio, Apoſtolicâ dignitate cœlitus inſignito, Henricus Romanorum Dei gratiâ Rex, debiti famulatus fideliſſimam exhibitionem. Cùm enim Regnum & Sacerdotium ut in Chriſto ritè adminiſtrata ſubſiſtant, vicariâ ſui ope ſemper indigeant, oportet nimirum, Domine mi & Pater amantiſſime, quatenus ab invicem minimè diſſentiant: verùm potius Chriſti glutino conjunctiſſima indiſſolubiliter ſibi cohæreant: namque ſic & non aliter conſervatur in vinculo perfectæ charitatis & pacis, & Chriſtianæ concordiâ unitatis, & Eccleſiaſticæ ſimul ſtatus Religionis. Sed nos qui Deo annuentes regni aliquandiu jam ſortimur miniſterium, Sacerdotio, ut oportuit per omnia jus & honorem non exhibuimus legitimum. Quippe nobis à Deo datæ poteſtatis vindicem non ſine cauſa gladium portavimus, nec tamen in reos, ut juſtum fuit, judiciariâ illum ſemper cenſurâ evaginavimus: nunc autem divinâ miſeratione aliquantulum compuncti, & in nos reverſi, peccata noſtra priores veſtræ indulgentiſſimæ Paternitati nos accuſando confitemur, ſperantes de vobis in Domino, ut Apoſtolicâ veſtrâ auctoritate abſoluti juſtificari mereamur. Heu, criminoſi nos & infœlices! partim pueritiæ blandientis inſtinctione: partim poteſtativæ noſtræ & imperioſæ potentiæ libertate; partim etiam eorum, quorum ſeductiles nimium ſequuti ſumus conſilia ſeductoriâ deceptione peccavimus in cœlum & coram vobis, & jam digni non ſumus vocatione veſtræ filiationis. Non ſolùm enim nos res Eccleſiaſticas invaſimus; verùm quoque indignis quibuſlibet & ſimoniaco felle amaricatis, & non per oſtium, ſed aliunde ingredientibus, Eccleſias ipſas vendidimus, & non eas ut oportuit defendimus. At nunc quia ſoli abſque veſtra auctoritate Eccleſias corrigere non poſſumus ſuper his, ut etiam de noſtris omnibus, veſtrum unà & conſilium & auxilium obnixè quærimus. Veſtrum ſtudioſiſſimè præceptum ſervatur in omnibus, & nunc imprimis pro Eccleſia Mediolanenſi, quæ noſtrâ culpâ nunc eſt in errore, rogamus ut veſtrâ Apoſtolicâ diſtri-*

diſtrictione canonicè corrigatur. Nos ergo vobis in omnibus Deo volente non defuerimus: Rogantes idipſum ſimpliciter Paternitatem veſtram, ut nobis alacris adſit clementer in omnibus: litteras noſtras non poſt longum tempus cum fideliſſimis noſtris habebitis. Ex quibus noſtis quæ adhuc dicenda reſtant, Deo dante plenius audietis. Hactenus litteræ Imperatoris multa hiulca continentes ſine die, inquam, & conſule: quæ ſi veræ & non fictæ ſunt, oportet ſcriptas ab Henrico poſt decretum Synodale factum in prima Synodo Gregorii, & reponi poſt litteras Gregorii ad Agnetem Imperatricem; non autem eo in loco quo leguntur, id eſt inter vigeſimam nonam & trigeſimam Epiſtolam. Si enim illarum hic propius eſſet locus, oporteret Henricum illas miſiſſe ad Gregorium, antequam eum pro Pontifice agnoviſſet, & conſenſum ſuum dediſſet, ut conſecraretur: id eſt circa menſem Novembris, tribus circiter menſibus priuſquam Gregorius coronaretur: quia ut dixi, ſolummodo eſt conſecratus die Purificationis B. Mariæ, anno 1073. Et hinc claret illos, qui Gregorii Epiſtolas edi curarunt, non ſatis accuratè res ſuas ſubduxiſſe. Ego quidem arbitror ejuſmodi litteras omnino adulterinas: Et dato quòd genuinæ ſint, liquidò arguunt Gregorium nullâ paternâ admonitione uſum erga Cæſarem; ſed quamprimùm decreto Synodali illum voluiſſe à communione Eccleſiaſtica excludere: atque de facto obtendiſſe illum re verâ excluſum tali judicio, ſicut litteris ad Agnetem Auguſtam matrem Henrici, quas ſuprà exhibuimus, dignoſcitur. Certè Gregorius libro 2. Epiſtolâ 30. & 31. ad Henricum Imperatorem clarè docet Cæſarem in eo propoſito fuiſſe, ut memorato Synodali decreto obtemperaret. Item Epiſtolâ 3. libri 3. ad Henricum eumdem laudat quòd viriliter Simoniacis reſiſteret, & Clericos ad ſervandam caſtitatem adigi deſideraret, &c. Verumtamen duobus menſibus pòſt, nimirum Septembri eodem libro 3. poſt quintam Epiſtolam ad Beatricem & Mathildem filiam, captavit occaſionem nominatim excommunicandi Henricum quaſi Eccleſiæ illudentem, nec ea implere volentem quæ promiſerat: ſed re verâ Onuphrius & alii Hiſtorici narrant captam occaſionem à Gregorio ex bello Saxonico periculoſiſſimo, quo tum Cæſar implicabatur, ut inde emerſurus non putaretur. Hîc illam formam excommunicandi verbum de verbo èxſcribam.

Beate Pater Apoſtolorum Princeps, inclina, quæſumus, aures tuas nobis, & audi me ſervum tuum quem ab infantia nutriviſti, & uſque ad

ad hunc diem de manu iniquorum liberaſti, qui me pro tua fidelitate oderunt: Tu mihi teſtis es, & Domina mea mater Dei, B. Paulus frater tuus inter omnes Sanctos, quòd tua Sancta Romana Eccleſia me invitum ad ſua gubernacula traxit: Et ego non rapinam arbitratus ſum ad ſedem tuam aſcendere, potiusque volui vitam meam in peregrinatione finire, quàm locum tuum pro gloria mundi ſeculari ingenio arripere: Et ideo ex tua gratia, non ex meis operibus, credo quòd tibi placuit & placet, ut populus Chriſtianus tibi ſpecialiter pro vita tua mihi commiſſa, & mihi tua gratia eſt poteſtas à Deo data ligandi & ſolvendi in cœlo & in terra: hac itaque fiduciâ fretus pro tua Eccleſiæ honore & defenſione ex parte Omnipotentis Dei Patris & Filii & Spiritus Sancti per tuam poteſtatem & auctoritatem Henrico Regi filio Henrici Imperatoris, qui contra tuam Eccleſiam inauditâ ſuperbiâ inſurrexit, totius Regni Teutonicorum & Italiæ gubernacula contradico, & omnes Chriſtianos à vinculo juramenti quod ſibi fecere vel facient, abſolvo: & ut nullus ei ſicut Regi ſerviat, interdico. Dignum eſt enim ut qui ſtudet honorem Eccleſiæ tuæ imminuere; ipſe honorem amittat quem videtur habere. Et quia ſicut Chriſtianus contempſit obedire, nec ad Dominum rediit, quem dimiſit participando excommunicatis, & multas iniquitates faciendo, mea monita quæ pro ſua ſalute ſibi miſi, te teſte, ſpernendo, ſeque ab Eccleſia tua, tentans eam ſcindere, ſeparando; vinculo anathematis vice tua alligo, ut ſciant gentes & comprobent, quia tu es Petrus, & ſuper tuam petram filius Dei vivi ædificavit Eccleſiam ſuam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.

Quæ nova forma judicii terret oculos, eſtque tertio anno Pontificatûs Gregorii 1074. lata in Cæſarem, ut jam dixi, bello Saxonico irretitum. Octo verò notabilia continet: Et primùm Hildebrandus novâ atque inſolitâ ratione ſuam cooptationem ad Pontificatum commendat: putà quòd Eccleſia Romana eum invitum, & reſtitantem ad ſua gubernacula traxerit, & non arbitratus ſit rapinam, ad Sedem B. Petri conſcendere, potiuſque vitam in peregrinatione quàm laica commendatione deligi voluerit. Cæterùm magnâ confidentiâ alluſionem facit ad verba Apoſtoli cap. 2. ad Philippenſes de Chriſto: *qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, &c.* Secundò: Quod ait ſe credere placere S. Petro ut Populus Chriſtianus ei ſpecialiter commiſſus, ſibi obediat: hoc Gregorius de abſoluto imperio conformiter ad ſuos Dictatus capit: ſed fallitur, quia hæc obedientia ad ſolam poteſtatem miniſterialem ſpiritualem redigenda eſt, *clave non errante*, ut Theologi loquuntur. Vide reſponſionem

Digitized by Google

ſionem ad 4. argumentum Epiſtolæ Gregorii ad Epiſcopum Metenſem Hermannum. Certè S. Gregorius quem hic noſter æmulari conatur, diſertè docet *admonendos ſubditos, ne pluſquam expedit ſint ſubditi: ne cùm ſtudent, pluſquam neceſſe eſt, hominibus ſubjici, compellantur vitia eorum venerari 2. quæſt. 7. Canone Admonendi.* Tertiò: Vellem aliquis mihi explicaret quidnam Hildebrandus his verbis deſignet: *ſpecialiter pro vita tua mihi commiſſa:* B. Petrum alloquitur: an ejus vita Gregorio ſpecialiter commiſſa eſt? Quid hoc ſibi vult, cùm S. Petrus æternâ fruatur beatitudine? Quarto: Quidnam eſt gratia S. Petri ligandi & ſolvendi poteſtatem à Deo datam Gregorio? Cùm uſitatè dicamus *nos gratiâ Dei, & meritis ac precibus S S. quidpiam aſſequi?* Quintò etiam notabile eſt, quòd dum Eccleſiam Romanam Petri Eccleſiam nominatim vocat, Eccleſiam Romanam pro particulari, non pro univerſali capit: alioqui eſſet omnino abuſiva loquutio: quia univerſalis Eccleſia eſt Chriſti, non Petri corpus: Imò Petrus eſt membrum univerſalis Eccleſiæ: Omnes enim unum corpus ſumus in Chriſto Romanorum 12. Sextò: Quòd alii Pontifices dicunt *ſe invocato divino auxilio, & in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti peragere,* hic ita invertit atque immutat: *ex parte Omnipotentis Dei & Filii & Spiritus Sancti per tuam poteſtatem & auctoritatem, &c.* Quâ loquendi ſpecie ſuam confidentiam, ſicut & his aliis verbis commendat: *vice tua alligo, & ſic eum ex fiducia tua alligo, ut ſciant gentes, & comprobent quia tu es Petrus, & ſuper tuam petram Filius Dei vivi ædificavit, &c.* hic enim verba Scripturæ immutat: *Et ſuper tuam petram ædificavit, &c.* Præterea aliis conceptis verbis omnem dubitandi occaſionem de ſuorum decretorum veritate auferre, atque oſtendere vult ſe ad ea facienda quæ gerit, quaſi immediatè à Deo impulſum. Septimò: Et hoc genus loquendi mirabile eſt: *Henrico Regi filio, Henrici, totius regni Teutonici, & Italiæ gubernacula contradico, & omnes Chriſtianos à vinculo juramenti, quod ſibi fecere, vel facient, abſolvo, & ut nullus ei ſicut Regi ſerviat, interdico.* Quibus verbis ante inuſitatis Henricum regni dignitate abdicat; quod à nullo Pontifice antea attentatum eſt. Unde Otho Frinſingenſis lib. 6. Chronici cap. 35. de Henrici excommunicatione. *Lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum geſta, & nuſquam invenio quemquam eorum ante hunc à Romano Pontifice excommunicatum vel regno privatum, niſi fortè quis pro anathemate habendum ducat, quòd Philippus ad breve tempus à Romano Epiſcopo inter pœnitentes collocatus eſt: Et Theodoſius à D. Ambroſio propter cruentam cædem à liminibus Eccleſiæ ſequeſtratus*

tus ſit. Item Joannes Trithemius in Chronico Monaſterii Hirſangienſis ad annum Chriſti 1106. Ubi Henrici mortem narrat: *Ipſe*, inquit, *primus eſt inter omnes Imperatores per Papam depoſitus. Scholaſtici certant, & adhuc ſub judice lis eſt: utrum Papa Imperatorem poſſit deponere? Quam quæſtionem, cùm ad nos non pertineat, indiſcuſſam relinquamus*. His & Onuphrius paulò ante laudatus in vita Gregorii VII. adſtipulatur: *Res ante ea ſæcula inaudita: nam fabulas quæ de Arcadio, Anaſtaſio, & Leone Iconomacho circumferuntur nihil moror. Unde Otho Frinſingenſis horum temporum Scriptor: Lego, inquit, & relego Romanorum Regum & Imperatorum geſta, &c.* Octavò: Valdè eſt dignum obſervatione quòd cùm Gregorius antè debuiſſet Henricum excommunicare, quàm regiâ auctoritate abdicare, & juxta regulam & modum procedendi ab ipſo Bellarmino præſcriptum: excommunicatio per annum integrum aut juſtum aliquod tempus debuiſſet exauctorationem præcedere, quo animus pervicax Henrici ab omnibus cognoſceretur: verumtamen Gregorius abdicationem præpoſuit excommunicationi, atque uno eodemque conatu utramque evibravit prudenter captâ occaſione ex bello Saxonico periculoſiſſimo, quo Henricus tum detinebatur. Et hinc claret utrum Gregorius ſit pacis filius, atque ejuſmodi cenſuras magis corrigendi quàm vincendi ſtudio explicaverit? Verùm rumore ejuſmodi cenſurarum perlato ad Cæſarem, nuncios miſit ad Pontificem, quibus ei ſignificavit ſe daturum operam, ut ei fieret ſatis, atque permiſſurum Epiſcopos canonicè ordinari. Nihilominùs cùm jam Theobaldum Mediolanenſem Clericum in futurum Epiſcopum Mediolanenſem, ſuperſtite adhuc alio Epiſcopo, Cæſar deſignaſſet: Inde exacerbatus Gregorius occaſionem captavit eamdem cenſuram & abdicationem Henrici verbum de verbo iterandi principio anni 1075. ut videre eſt eodem libro 3. poſt Epiſtolam decimam commonitoriam ad Henricum: atque unà eodem telo etiam univerſos Epiſcopos, qui Henrico adhæreſcebant, ferit.

XIV. At Henricus quamquam eo tempore nobilem victoriam ex Saxonibus reportaſſet, nihilominùs ſupplex Legatos miſit ad Pontificem, ut ejus vehemens & rigidiſſimum ingenium emollire tentaret, atque ipſemet menſe Januario 1076. *rigidiſſima hyeme, diſcalceatis pedibus, plebejo & viliſſimo habitu indutus ad Gregorium acceſſit Canuſii, quod eſt Italiæ oppidum*. Cujus rei narrationem ab ipſomet Gregorio quam ab ullo alio audire præſtat lib. 4. Epiſt. 12. ad Archiepiſcopos, Duces, Comites, cæteroſque Principes *Regni Teutonici Chriſtianam fidem*

Digitized by Google

ſidem defendentes. Interim verò Regem adventare certè cognovimus, inquit, *qui etiam priuſquam intraſſet Italiam, ſupplices ad nos Legatos præmittens, per omnia ſe ſatisfacturum Deo, & S. Petro, ac nobis obtulit, & ad emendationem vitæ ſuæ omnem ſe ſervaturum obedientiam repromiſit: dummodo apud nos abſolutionis & Apoſtolicæ benedictionis gratiam impetrare mereretur. Quod cùm diu multis conſultationibus differentes, acriter eum de ſuis exceſſibus per omnes qui intercurrebant nuntios redargueremus, tandem per ſemetipſum nihil hoſtile aut temerarium oſtentans, ad oppidum Canuſi, in quo morati ſumus, cum paucis advenit: ibique per triduum ante portam caſtri, depoſito omni regio cultu mirabiliter utpotè diſcalceatus, & laneis indutus perſiſtens, non priùs cum multo fletu Apoſtolicæ miſerationis auxilium & conſolationem implorare deſtitit: quæ omnes qui ibi aderant, & ad quos rumor ille pervenit, ad tantam pietatem & compaſſionis miſericordiam movit, ut pro eo multis fletibus & lachrymis intercedentes, omnes quidem inſolitam noſtræ mentis duriciem mirarentur: nonnulli verò in nobis non Apoſtolicæ ſeveritatis gravitatem, ſed quaſi tyrannicæ feritatis crudelitatem eſſe clamarent. Denique inſtantiâ compunctionis ejus, & tantâ omnium qui ibi aderant ſupplicatione devicti, tandem eum relaxato anathematis vinculo in communionis gratiam & ſinum S. Matris Eccleſiæ recepimus: acceptis ab eo ſecuritatibus quæ inferiùs ſcriptæ ſunt: quarum etiam confirmationem per manus Abbatis Cluniacenſis, & filiarum noſtrarum Mathildis, & Comitiſſæ Adelaiæ, & aliorum Principum, Epiſcoporum, & Laicorum, qui nobis ad hoc utiles viſi ſunt, recepimus, &c.* Tandem ita claudit litteras: *Quapropter in ea fide quam cœpiſtis & amore juſtitiæ omnes permanere ſtudete: ſcientes nos non aliter Regi oblatos eſſe, niſi quod puro ſermone, ſicut mihi mos eſt, in his eum de nobis ſperare dixerimus, in quibus eum ad ſalutem & honorem ſuum aut cum juſtitia, aut cum miſericordia ſine noſtra & illius animæ periculo adjuvare poſſumus.* Hactenus Epiſtola. Deinde ſubjicitur jusjurandum Henrici. *Ego Henricus Rex, de murmuratione & diſſentione quam nunc habent contra me Archiepiſcopi & Epiſcopi, Duces, Comites, cæterique Principes regni Teutonicorum, & alii qui eos in eadem cauſa diſſentionis ſequuntur, infra terminum quem Dominus Papa Gregorius conſtituerat, aut juſtitiam ſecundùm judicium ejus, aut concordiam ſecundùm conſilium ejus faciant; niſi certum impedimentum mihi vel ſibi obſtiterit: quo tranſacto ad peragendum idem paratus ero. Item ſi idem Dominus Papa Gregorius ultra montes ſeu ad alias partes terrarum ire voluerit, ſecurus erit ex mei parte, & eorum quos conſtrin-*

ſtringere potero, ab omni læſione vitæ, & membrorum ejus ſeu captione tam ipſe quàm qui in ejus conductu & comitatu fuerint: ſeu qui ab illo mittuntur, vel ad eum de quibuſcumque terrarum partibus venerint in eundo, & ibi immorando; ſeu inde redeundo: neque aliud aliquod impedimentum habebit ex meo conſenſu, quod contra honorem ſuum ſit: Et ſi quis ei fecerit cum bona fide, ſecundùm poſſe meum illum adjuvabo. Actum Canuſiæ 5 Calend. Februarii, Indictione decimâ quintâ.

Porrò circa hanc Epiſtolam & juramentum Henrici quatuor mihi videntur notanda. Primum: *Epiſtolæ inſcriptio ad Archiepiſcopos & Principes fidem Chriſtianam defendentes.* Quâ formulâ conſultò uſus eſt, ut faciliùs homines ad ſua Imperata defendenda rudi ſæculo & ſupinâ ignorantiâ bacchante inflammaret, quaſi res aliqua ad fidem ſpectans ageretur aut periclitaretur. At ſuperius cap. 2. hujus libri ex Ivone atque ipſomet Baronio docuimus Inveſtituras nullo modo ad fidem ſpectare, ſed ad diſciplinam Eccleſiaſticam: Sicut etiam Lex de connubio interdicendo Sacerdotibus, & alia ejuſmodi quæ Gregorius prohibebat. Profectò ab aliquot ſæculis hic mos invaluit, ardenterque hodie in Curia Romana continuat, ut omnia ſua placita nullo modo ad fidem ſpectantia, rem eſſe fidei Catholicæ mordicus aſſerant: ſicque homines obnoxios & ignaros illorum placitorum, defenſioni ſpe martyrii & prætextu Religionis alliciant. Quo artificio Cardinalem Perronium in cauſa articuli tertii Ordinis lib. 1. & 6. hujus operis uſum oſtendimus. Secundò: Dum ea quæ Gregorius de ſua duritia & implacabilitate animi narrat, ad Chriſti & Legis gratiæ manſuetudinem comparo, mihi quidem potius à Benone Cardinali & aliis inimiciſſimis Gregorii conficta, quàm ab ipſo Gregorio geſta & conſcripta videntur: *Ubinam eſt illa vox Chriſti: Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve?* Mathæi 2. Et Lucæ 9. *Neſcitis cujus ſpiritus eſtis; Filius hominis non venit animas perdere ſed ſalvare.* Quis unquam credat ipſi Gregorio in faciem ab amiciſſimis objectam *crudelitatem tyrannicæ feritatis?* Quod teſtimonio eſt multa, quæ de ejus crudelitate narrantur ab Hiſtoricis & aliis auctoribus, quos Bellarminus & Baronius tanquam ſuſpectos rejiciunt, eſſe veriſſima; cùm hujus ſuæ crudelitatis ipſemet perſæpè egregia nobis monimenta reliquerit: ut libro 1. Epiſt. 77. ad Beatricem & Mathildem filias. *Neque verò nos fugit quàm diverſa de nobis hominum opinio ſit, & judicium*, ait, *dum in eiſdem cauſis & actibus alii nos crudeles, alii nimium mites eſſe dicunt*. His de cauſis lib. 9. Epiſt. 28. dicit *ſe paratum eſſe de*

his

Digitized by Google

his quæ Apoſtolicæ Sedi, hoc eſt ſibi ipſi objiciuntur, & unde quidam fratrum ſubmurmurant ſuam innocentiam, evidenter oſtendere. Ex quo patet Acta Gregorii etiam plurimis qui ei favebant, inviſa fuiſſe, merito quidem. Utque alia omittamus, ſi quæ ab illo hîc adversùs Henricum geruntur, jure & canonicè acta ſunt. Quotusquiſque Principum Ethnicorum velit dare nomen Euangelio & Romanæ Eccleſiæ, ut cùm peccaverit tam egregiè adornetur? Siccine homines ad orthodoxam Religionem adlactantur, vel potius à Chriſtianæ Religionis caſtris fugantur? Certè vel hinc liquet Cæſarem, ſi manſuetiorem nactus fuiſſet Papam, ad meliorem frugem reduci, atque hominum innumerorum internecioni parci potuiſſe. Tertiò: Extrema clauſula Epiſtolæ, quâ Clerum atque Principes Teutonici Imperii, id eſt eos quos in Cæſarem armarat, certiores facit de ſua in Henricum voluntate, ſatis clarè indicat illum non ex animo reconciliatum Cæſari, ſed telum in vulnere reliquiſſe: id enim hæc verba inſinuant: *Scientes Nos non aliter Regi oblatos eſſe, niſi quod puro ſermone, ſicut mihi mos eſt, in his eum de nobis ſperare dixerimus, in quibus eum, &c.* Profectò longè aliud eſt intimo corde & ex animo, & aliud ſermone aut externâ voce agere cum aliquo: hacque ratione Gregorius quos in Henricum incenſos noverat, voluit ſemper ad arma capienda in illum propenſos retinere, ne ſi fortè putarent Pontificem ex animo cum Cæſare rediiſſe in gratiam, ſpem omnem abjicerent, & partes Gregorii desererent. Ad quæ dum animum adjungo, mihi tumultuum Gallicanorum vivam effigiem intueri videor. Poſtquam increbuit Sixtum V. PP. velle Henricum IV. quem Biarneum ſeditioſi vocabant, Eccleſiæ reconciliare: quam ob cauſam Duces partium Ligæ qui erant Pariſiis, magno erant in metu, & palam tum dicebatur Pontificem non eâ præditum eſſe poteſtate, ut Henricum Borbonium regno Franciæ capeſcendo reſtituere valeret. Procul dubio hæc extrema clauſula Epiſtolæ Gregorii demonſtrat haud eſſe à veritate, *quæ libro de unitate Eccleſiæ conſervandæ* folio decimo narrantur: qui liber vivente Gregorio editus eſt in lucem, nec à quoquam oppugnatus, quod argumentum eſt veritatis. Ubi autem hanc tragicam Hiſtoriam enarrat, hæc refert: *Sed Rex profectus eſt in Italiam, ſatisfacturus Romano Pontifici pro culpis quibus eum excommunicaverat, & quaſi privatum regno jam effecerat: depoſitoque cultu regio & habitu, ſupplicem ſe per omnia ac pœnitentem obtulit, nec prius omni officio humilitatis impenſo deſtitit, donec in gratiam cum Papa rediit: Et ad comprobandum*

bandum Eccleſiaſticæ reconciliationis teſtimonium, ſacram Communionem corporis & ſanguinis Domini de manu Pontificis accepit: menſam cum eo adiit, ac deinde dimiſſus eſt in pace, qualem ſcilicet Judas ſimulavit, non qualem Chriſtus reliquit: aderat enim & Legatio hoſtium ſuorum quærentium omnibus modis interrumpere initum hoc reconciliationis pactum, quibus Papa reſcripſit talibus verbis: Ne ſolliciti ſitis quoniam culpabiliorem eum reddo vobis: certè culpabiliorem facere aliquem, præcipuè autem Regem, quem præcipit Petrus Apoſtolus honorificare, hoc non eſt oves Chriſti paſcere: culpabiliorem inquam facere, præcipuè eum quem pœniteat culpabilem exiſtere: hoc non eſt Sacerdotem Domini eſſe, cùm ipſe in Euangelio Dominus dicat gaudium fieri in Cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem Juſtis, qui non indigent pœnitentia. Et aliquantò poſt: *Rex autem reverſus de Italia invenit novum Regem, Rodolphum ſcilicet Sueviæ ducem, & hoſtes multiplicatos ex abſentia ſua: ex quorum manu abſtulit cornu principatûs ſui.* Addit Gregorium ut contemptibiliorem Henricum inimicis ſuis efficeret, *voluiſſe ad tempus arbitrii ſui abſtinere inſignibus regiis, putà coronâ, purpurâ, &c. donec roboraretur regnum Rodolphi, &c.* Herclè Gregorius quæ regeſtis Epiſtolarum ſuarum ſcribit, & Scafnaburgenſis quem valdè probat Bellarminus, magnâ parte confirmant, quæ memorato libro *de unitate Eccleſiæ conſervanda* narrantur. De quibus infrà amplius. Quartò: Clauſula juramenti Henrici quâ ſpondet ſe ad arbitrium & terminum quem Gregorius conſtituerit cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ducibus, & Comitibus, cæteriſque Principibus regni Teutonici concordaturum, omnem exuperat fidem, quoniam hi erant infeſtiſſimi Henrico; unde nihil miſerabilius contingere potuit Cæſari, quàm pendere à Gregorii arbitrio, qui illis ſeditioſis per omnia & in omnibus gratificari volebat: quæ omnia ipſius Gregorii geſtis clariſſimè paulò poſt comprobabuntur. Hoc certè perinde eſt ac ſi Papa Henricum IV. Franciæ Regem ſacramento obſtrinxiſſet, ut Ducibus partium Ligæ ex arbitrio Papæ ſatisfaceret. Deus bone, quas ſeditioſi de fortiſſimo Principe ſumpſiſſent pœnas, ſi ad eas conditiones adductus fuiſſet!

Verùm Cæſar cum Principibus Imperii, & majori parte Epiſcoporum totius Cleri hac feritate ingenii Papæ exacerbati, maximè ob ea quæ Henricus paſſus Canuſii, Majeſtatem imperii contra Gregorium ejuſque aſſeclas armis tueri decreverunt: maximè verò quòd viderent Papam plurimis urbibus opulentiſſimis Longobardiæ, Tuſciæ,

Digitized by Google

ſciæ, atque Liguriæ quæ erant Imperii, Mathildem Comitiſſam emunxiſſe, & ita ſenſim robur Imperii anniti diſſipare. Quæ autem actæ ſunt, lubet ex Othone Frinſingenſi lib. 1. cap. 1. de geſtis Frederici primi recenſere: *Cùm ſub Imperatore Henrico* ait, *qui inter Reges quartus, inter Imperatores tertius hujus nominis invenitur, Imperium graviſſimè ſciſſum fuiſſet, parteque maximâ Optimatum Principi ſuo rebellante, tota penè regni latitudo ferro flammâque fœdaretur, Gregorius VII. qui tunc urbis Romæ Pontificatum tenebat, eumdem Imperatorem tanquàm à ſuis deſtitutum, anathematis gladio feriendum decrevit: cujus rei novitate eo vehementius indignatione motum ſuſcepit imperium, quòd numquam ante hæc tempora hujuſmodi ſententiam in Principem Romanorum promulgatam cognoverat. Eapropter pluribus ex Italia, Gallia, Germania apud Bojoariæ civitatem Brixinoram in ipſo Pyrenæo haud procul à Valle Tridentinâ ſitam, coadunatis Epiſcopis Princeps Curiam magnam celebravit; ubi omnibus advenientibus injurias ſibi à Romanâ Eccleſiâ irrogatas affectuosè conqueritur: Quòd videlicet ipſo inconſulto, qui tanquam Rex & Patricius primus in electione ſuæ urbis Epiſcopi eſſe deberet, Romani ſibi Pontificem præfeciſſent: Cùm à patre ſuo Imperatore plures ibidem quaſi ſine electione inthroniſati fuerint. Hac querimoniâ omnium animi eò facilius contra Romanam Eccleſiam inclinari poterant, quò & Laici ſæcularis honoris conſideratione accenſi, & Epiſcopi conſilio Clericorum ſuorum, quibus recenter connubia ab eodem Pontifice inhibita fuerant, inflammati; voluntati Principis accedebant. His igitur acclamantibus, præfata electio ab eiſdem caſſanda judicatur, Guibertuſque Ravennatenſium Archiepiſcopus, Clemens vocatus aſſenſu Principis urbis Epiſcopus creatur: Gregoriuſque VII. ab ipſis Pſeudomonachus vel Necromanticus appellatus exſufflatur. Undè communi conſilio prænominato Pontifici ſcriptum convitiis & detractionibus plenum dirigere præſumpſerunt: Inter cætera dicentes ſicut hactenùs ſolebas dicere, quod nullus noſtrum eſſet Epiſcopus: ita ſcias quod nulli noſtrum deinceps eris Apoſtolicus.* Deinde cap. 2. poſt hæc: *Princeps militem copioſum colligens Italiam ingreditur, ad urbemque uſque progreſſus, Romani populi favore pulſo Gregorio Guibertum ibidem ponens, Imperatoris & Auguſti nomen ſortitur. Venerabilis autem Sacerdos Gregorius perſecutionem fugiens ad tutiora montana Tuſciæ, in terram Comitiſſæ Mathildis, quæ Imperatoris conſanguinea fuit, ſe contulit: Ibique per aliquot dies manens, ſententiamque anathematis renovans, epiſtolis quæ multis in locis habentur, Principes regni adverſus Imperatorem ſuum concitavit.*

Hactenùs Frinſingenſis auctor minimè ſuſpectus Bellarmino. Quæ autem de Gregorii Epiſtolis narrat, illuſtrare juvat; nam libro 5. poſt Epiſtolam 14. leguntur Acta Concilii quibus Theobaldum Archiepiſcopum Mediolanenſem, & Guibertum Ravennatenſem Epiſcopum cenſuris tanquam hæreticos implicat. Deindè *hac de causâ Regio ſubjicit: Et quoniam lis & perturbatio regni in maximum ſanctæ Eccleſiæ periculum & detrimentum quotidiè redundare cernimus, placet nobis elaborare pro viribus, quatenùs idonei tam religione quàm etiam ſcientiâ pollentes Nuncii à latere Apoſtolicæ ſedis ad partes illas mittantur, qui omnes Religioſos & juſtitiæ amatores in Teutonici regni partibus commorantes, Clericalis & Laicalis Ordinis viros, & ad hoc opus idoneos convocent, cum quibus, Domini gratiâ præeunte, aut finem & pacem juſtè componant, aut veritate præcognitâ, cui parti juſtitia magis faveat, ad plenum adſciſcere valeant: quatenus pars injuſta deſiſtat, & Apoſtolicâ auctoritate munita juſtitia vigoris & auctoritatis robur obtineat. Verùm quoniam nonnullos diabolico inſtinctu collectos, tyrannidis ſuæ facibus accenſos, turpis lucri avaritiæ mancipatos, diſcordiam potius quàm pacem fieri & videre deſiderantes fore non ignoramus, ſtatuimus ut nulla umquam perſona alicujus potentiæ ſive Rex, ſive Archiepiſcopus, Dux, Comes, Marchio ſive miles aliquâ præſumptione, temerarióve uſu, fraude, dolove, ſeu aliqua perturbatione Legatis noſtris obſiſtere & contraire, ne juſtitiam & finem componant, pertentent. Quicumque autem temerario auſu, quod non optamus, hujus noſtræ conſtitutionis violator extiterit, Legatiſque noſtris ad hanc pacem componendam euntibus, fraudem opponere tentaverit, vinculo eum anathematis alligamus, &c. Et non ſolùm in ſpiritu, verum etiam & in corpore, & omni proſperitate hujus vitæ, Apoſtolicâ poteſtate innodamus; & victoriam ejus in armis auferimus, ut ſic ſaltem confundantur, & duplici confuſione & contritione conterantur. Item excommunicat Nortmanos, &c.*

XV. Præterea cùm uſu ipſo didiciſſet ſua Edicta de non communicando cum Excommunicatis in civilibus, & de non manendo in eadem domo cum illis, juri naturali penitùs adverſari, illa ſic mitigare conatur: *Iterum Sanctorum prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta tenentes, eos qui excommunicatis fidelitate aut ſacramento conſtricti ſunt, Apoſtolicâ auctoritate à ſacramento abſolvimus, & ne ſibi fidelitatem obſervent, omnibus modis prohibemus. Item & quoniam multos peccatis noſtris exigentibus pro causa excommunicationis perire quotidie cernimus, partim ignorantiâ, partim etiam nimia ſimplicitate, partim timore, partim etiam no-*

neceſſitate devicti miſericordia, anathematis ſententiam ad tempus prout poſſumus opportunè temperamus: Apoſtolica namque auctoritate ab anathematis vinculo hos ſubtrahimus, videlicet uxores, liberos, ſervos, ancillas, ſeu mancipia, nec non ruſticos & ſervientes, & omnes alios qui non adeò Curiales ſunt, ut eorum Conſilio ſcelera perpetrentur, & illos qui ignoranter excommunicatis Communicant, ſeu illos qui communicant cum eis qui communicant excommunicatis. Quicumque autem aut orator ſive peregrinus, aut viator in terram excommunicatorum devenerit, ubi non poſſit emere, vel non habet undè emat, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus: Et ſi quis excommunicatis pro ſuſtentatione non ſuperbia, ſed humanitatis cauſa, aliquid dare voluerit, fieri non prohibemus. Actum Romæ in Eccleſia Domini Salvatoris 5. Nonas Martii Indictione 1. anno 1078. Quam Conſtitutionem Gregorius edidit, ſtatim atque vidit Imperatorem paratum majeſtatem Imperii armis tueri. Cenſuras autem cenſuris accumulat, quoniam eas nullo labore aut ſumptu ex Eccleſiæ Theſauro expromit. Id quàm Canonicè ſi placet expendamus. Quinque autem in hac collectione notanda ſeſe offerunt. Primum: quod ingenuè fatetur *litem & perturbationem regni in maximum Sanctæ Eccleſiæ periculum & detrimentum quotidiè redundare.* Unde continuò ſua acta damnat, quippè qui Eccleſiam & regnum anteà pacatiſſimum nimio vincendi ſtudio, contra omnem prudentiæ & charitatis Chriſtianæ ſenſum perturbarit, & cauſam certiſſimam ſchiſmatis ſacrilego tribuerit, zizania evellendo cum maximâ frumentorum jacturâ & conculcatione. Secundò: cùm ad hanc Legatorum miſſionem prætextu pacis conſtituendæ reſpicio, mihi vivam eorum imaginem videor intueri, quæ bellis civilibus noſtris poſt Henricum III. mactatum geſta ſunt in Galliis, à Curiæ Romanæ Legatis præſertim Cardinalibus Cajetano, Sega, & Landriano, quorum Legationes eò tendebant, ut quæcumque conficerentur negotia, ab unius Curiæ Romanæ nutu fluerent, & ille pro Rege haberetur quem vellet; quod non erat pacem in regno conſtituere; ſed æternum belli incendium propagare, ſic Gregorius VII. Legatos mittebat, ut ageret cum Archiepiſcopis & Principibus Teutonici regni, quos in Henricum exciverat, de Rodolpho Sueviæ Duce in Regem loco Cæſaris eligendo, ſicut eventus oſtendit, omneſque Hiſtorici docent. Tertiò: hæc forma excommunicandi quâ omnes irretit, qui Nunciis ſuis aliquo impedimento vel obſtaculo forent, valdè digna eſt in quam animadvertamus, tanquàm anteactis & poſterioribus ſæculis inaudi-

 tam:

Digitized by Google

tam: *vinculo anathematis alligamus, & non ſolùm in ſpiritu, verùm etiam & in corpore, & omni proſperitate hujus vitæ, Apoſtolica poteſtate innodamus, & victoriam ejus in armis auferimus, ut ſic ſaltem confundantur, &c.* Ubi vide excommunicationem pœnam purè ſpiritualem ad temporalia maniſeſtè abſtrahi, qui eſt abuſus maniſeſtiſſimus, nec ab ullo Theologo, ne quidem à Suare cum ſuis ſubtilibus argutiis defendi poteſt. Quàm bene ceſſit Eccleſiæ & Reipublicæ Chriſtianæ, quod Chriſtus eam Gregorio non dederit poteſtatem extraordinariam quâ Apoſtoli pollebant, ut miraculosè poſſent corporaliter punire homines: quam ad poteſtatem Hildebrandus voluiſſe alludere videtur. Cæterùm non ſemel hac formâ excommunicandi uſus eſt, ut paulò poſt patebit. Quartò: quod omnibus excommunicationem interminatur, qui Nuncios quos ad Henricum perdendum mittebat, laceſſerent aut remorarentur: Ejuſmodi certè eſt, ac ſi quiſpiam vim alicui inferret; deindè contra legem divinam & naturalem eidem prohiberet ne ſe tueretur. Quam benè Gerſonius tractatu inſcripto: Reſolutio circà materiam excommunicationum & irregularitatum conſideratione 7. docet Prælatos in certiſſimum contemptum clavium impingere, ſi eis abutantur, nec æquitatem ſervent, ut ait S. Leo 24. quæſt. 3. can. manet. *Contemptus clavium ait Cancellarius Pariſienſis, debet inveſtigari ex poteſtate legitima & uſu legitimo poteſtatis illius, qui præcipiendo excommunicat vel irregularitatem comminatur: alioquin Prælati poſſent inducere qualemcumque vellent ſuper homines ſervitutem, ſi ſuis ſententiis iniquis & erroneis ſemper eſſet obediendum: Et ita patet quod hoc commune dictum: ſententia Prælati vel judicis etiam injuſta timenda eſt, indiget gloſſâ: alioquin non eſt generaliter vera: ſi timenda dicatur, quia eſt ſuſtinenda, non repellenda: imò in caſu pati illam, eſſet aſinina patientia, & timor leporinus & fatuus.* Ibidem conſideratione 10. ait *illos non cenſeri claves contemnere, qui per poteſtatem ſecularem adversùs tales prætenſas ſententias tueri ſe procurant. Lex enim naturalis dictat, ut poſſit vis vi repelli. Conſtat autem quòd tales excommunicationes non debent dici jus, ſed vis & violentia, contrà quam fas habet liber vel homo vel animus ſe tueri.* Hæc ille: uno autem verbo Gregorius clavibus utitur, quaſi abſolutâ auctoritate, non poteſtate miniſteriali ſpirituali præditus eſſet: unde ſæpe aliàs contendit Apoſtolicæ ſedi datam poteſtatem quoſcumque & ubicumque vellet *ligandi atque ſolvendi*, quod eſt falſum atque erroneum. Quintò: quòd ait ſe miſericordiâ commotum, rigorem juris temperaſſe de

non

Digitized by Google

non communicando cum excommunicatis in rebus naturalibus & civilibus, ſupra lib. 3. cap. 4. de excommunicatione, quo ſenſu id capi debeat oſtendimus.

XVI. Denique, quando Gregorius obſervavit Cæſarem ſe armis ſtrenuè tueri: ut illi ejuſque aſſeclis vehementiorem incuteret terrorem, tertiò illum excommunicavit & exauctoravit poſt Rodolphum electum in Regem lib. 7. poſt Epiſtolam decimam quartam anno 1080. Nonis Martii hac novâ formâ judicii: *Beate Pater, Princeps Apoſtolorum, & Tu B. Paule Doctor Gentium, dignemini, quæſo, aures veſtras ad me inclinare, &c. Nec ideo dico, quia non ego vos, ſed vos elegiſtis me, & graviſſimum pondus veſtræ Eccleſiæ ſupra me poſuiſtis: Et quia ſuper montem excelſum juſſiſtis me aſcendere & clamare atque annunciare populo Dei ſcelera eorum, & filiis Eccleſiæ peccata eorum, membra diaboli contra me cœperunt inſurgere, & uſque ad ſanguinem præſumſerunt in me manus ſuas injicere. Aſtiterunt enim Reges terræ & Principes ſæculares, & Eccleſiaſtici Aulici & vulgares convenerunt in unum adversùs Dominum, & adversùs vos Chriſtos ejus, dicentes: diſrumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipſorum: & ut me omnino morte vel exilio confunderent, multis modis conati ſunt in me inſurgere: inter quos ſpecialiter Henricus quem dicunt Regem Henrici Imperatoris filium, contra veſtram calcaneum erexit Eccleſiam, factâ cum multis Epiſcopis Ultramontanis & Italicis conſpiratione, annitens me ſubjiciendo, eam ſibi ſubjugare, cujus ſuperbiæ veſtra reſiſtit auctoritas, eamque noſtra deſtruxit poteſtas: qui confuſus & humiliatus ad me in Longobardiam veniens abſolutionem ab excommunicatione quæſivit: quem ego videns humiliatum, multis ab eo promiſſionibus acceptis de ſua vitæ emendatione, ſolam ei communionem reddidi, non tamen in regno, à quo eum in Romana Synodo depoſueram, inſtauravi, nec fidelitatem omnium qui ſibi juraverant vel erant juraturi, à qua omnes abſolvi in eadem Synodo, ut ſibi ſervaretur præcepi. Et hæc ideò detinui, ut inter eum & Epiſcopos vel Principes Ultramontanos, qui ei cauſa juſſionis veſtræ Eccleſiæ reſtiterant, juſtitiam facerent vel pacem componerent, ſicut ipſe Henricus juramento per duos Epiſcopos mihi promiſit. Prædicti autem Epiſcopi & Principes Ultramontani audientes illum non ſervare mihi quod promiſerat, quaſi deſperati de eo ſine meo conſilio vobis teſtibus elegerunt ſibi Rodolphum Ducem in Regem; qui Rex Rodolphus feſtinanter ad me miſſo Nuncio, indicavit ſe coactum Regni gubernacula ſuſcepiſſe, tamen ſeſe paratum omnibus modis mihi obedire: Et ut hoc veriùs credatur, ſemper ex eo tempore eumdem mihi*

ſermonem, adjiciens, etiam filio ſuo obſide, & fidelis ſui Ducis Berthaldi filio, quod promittebat firmare, &c. Quapropter confidens de judicio & miſericordia Dei, ejuſque piiſſimæ matris ſemper virginis Mariæ, fultus veſtra auctoritate ſæpè nominatum Henricum, quem Regem dicunt, omneſque fautores ejus excommunicationi ſubjicio, & anathematis vinculis alligo: Et iterum: *Regnum Teutonicum & Italiæ ex parte Omnipotentis Dei & veſtra, interdicens ei, omnem poteſtatem & dignitatem illi regiam tollo: Et ut nullus Chriſtianorum ei ſicut Regi obediat, interdico, omneſque qui ei juraverunt vel jurabunt de regni dominatione, à juramenti promiſſione abſolvo. Ipſe autem Henricus cum ſuis fautoribus in omni congregatione belli nullas vires, nullamque in vita ſua victoriam obtineat. Ut autem Rodolphus regnum Teutonicorum regat & defendat, quem Teutonici elegerunt ſibi in Regem ad veſtram fidelitatem ex parte veſtra dono, largior & concedo omnibus ſibi fideliter adhærentibus abſolutionem omnium peccatorum, veſtramque benedictionem in hac vita & in futura veſtrâ fretus fiduciâ largior. Sicut enim Henricus pro ſua ſuperbia, inobedientia & falſitate à regni dignitate juſtè abjicitur: ita Rodolpho pro ſua humilitate, obedientia & veritate poteſtas & dignitas regni conceditur. Agite nunc quæſo, Patres, & Principes Sanctiſſimi, ut omnis mundus intelligat & cognoſcat, quia ſi poteſtis in cœlo ligare & ſolvere, poteſtis in terra Imperia, Regna, Principatus, Ducatus, Marchias, Comitatus, & omnium hominum poſſeſſiones pro meritis tollere unicuique, & concedere. Vos enim Patriarchatus, Primatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus frequenter tuliſtis pravis & indignis, & religioſis viris dediſtis. Si enim ſpiritualia judicatis, quid de ſæcularibus vos poſſe credendum eſt? Et ſi Angelos dominantes omnibus ſuperbis Principibus judicabitis, quid de illorum ſervis facere poteſtis? Addiſcant nunc Reges & omnes ſæculi Principes quanti vos eſtis, quid poteſtis, & timeant parvipendere juſſionem Eccleſiæ veſtræ, & in prædicto Henrico tam citò judicium veſtrum exercere, ut omnes ſciant quia non fortuitu, ſed veſtra poteſtate cadet, confundetur, utinam ad pœnitentiam, ut ſpiritus ſit ſalvus in die Domini.* Acta Romæ Nonis Martiis, Indictione 3.

Cæterùm quando uniuſcujuſque oratio, verus judex atque interpres mentis cenſetur, pronum eſt videre ex his minacibus & ampullatis verbis Gregorii quàm altos & manſuetudini ac libertati Chriſtianæ parum congruos ſpiritus habuerit; mirorque Expurgatores librorum qui ejuſdem Epiſtolas Romæ edi curarunt, non eas prius diligenter examinaſſe, eaque abraſiſſe quæ illa ipſa comprobatura erant,

erant, quæ impoſturis atque mendaciis Bellarminus & Baronius deputant. Iam aliàs me dixiſſe recordor Gregorium vehementem ſed inconſideratum & charitati ac Legi gratiæ & poteſtati miniſteriali ſpirituali Eccleſiæ omninò repugnantem habuiſſe zelum. Porrò hæc tertia Papæ Hildebrandi excommunicatio novem complectitur obſervatione digna: Et primò quidem modum & formam numquam antè vel poſt uſitatam: idque probat Gregorium ſibi animum induxiſſe quòd aliâ quàm purè miniſteriali poteſtate præditus eſſet, quod in cauſa eſt ut nihil non moliatur & demoliatur ad vincendum, eòque hæc magnifica verba ſpectant: *cujus ſuperbiæ veſtra reſiſtit auctoritas, eamque noſtra deſtruxit poteſtas, &c.* Quandoquidem perſuaſione ſuæ legitimæ promotionis ad Pontificatum omnia ſua acta Apoſtolis Petro & Paulo confidenter adſcribit. Secundò perhibet ſe Cæſarem ad ſolam communionem Eccleſiaſticam, non ad regnum gubernandum admiſiſſe Canuſii, & ita fides indubitata accedit auctori, *de unitate Eccleſiæ ſervanda.* Maximè verò quòd Schafnaburgenſis Monachus Ordinis S. Benedicti Gregorio VII. qui ejuſdem erat Ordinis, maximè devinctus, tragœdiam hanc vivis coloribus ita illuminet: *Henricus venit ut juſſum fuerat, intra ſecundum murorum ambitum receptus, foris derelicto omni comitatu ſuo, depoſito cultu regio, nihil præferens regium, nihil oſtentans pompaticum, nudis pedibus, jejunus mane uſque ad Veſperam perſtabat Romani Pontificis ſententiam præſtolando: hoc ſecundo, hoc 3 die fecit: quarto demùm die in conſpectu ejus admiſſus, poſt multas hinc inde dictas ſententias, his poſtremò conditionibus excommunicatione abſolutus eſt, ut die & loco, quemcumque Papa deſignaſſet, evocatis ad generale Concilium Teutonicis Principibus, præſto eſſet, & accuſationibus quæ intenderentur, reſponderet: ipſo Papâ, ſi ita expedire videretur, cògnitore cauſarum aſſidente, & ad ejus ſententiam vel retineret regnum, ſi objecta purgaſſet, vel æquo animo amitteret, ſi probatis criminibus, regio deinceps honore indignus juxtà Eccleſiaſticas leges decerneretur, nullam ſive retento ſive amiſſo regno hujus injuriæ vindictam à quopiam hominum in perpetuum exacturus. Uſque ad eam autem diem quâ cauſa ejus legitimè diſcuſſa terminaretur, nulla regii cultus ornamenta, nulla regiæ dignitatis inſignia ſibi adhiberet: nihil circa rerum publicarum adminiſtrationem juxta conſuetudinem ſuo jure ageret; nihil quod ratum fore oporteat decerneret. Poſtremò præter regalium ſervitiorum exactionem, quibus neceſſariò ipſe & ſui ſuſtentandi eſſent, nihil regium, nihil publicum uſurparet: omnes etiam qui ei ſub jurejurando fidem dixiſſent,*

ab

Digitized by Google

ab hujus ſacramenti vinculo & conſervandæ erga eum fidei debito apud Deum & apud homines interim liberi expeditique manerent. Rutbertum Bamburgenſem Epiſcopum, & Udabricum de Coshein, & cæteros quorum conſiliis ſe remque publicam prodidiſſet, à ſua in perpetuum familiaritate amoveret. Quòd ſi purgatis quæ objicerentur, potens confortatuſque in regno perſtitiſſet, ſubditus Romano Pontifici, dictiſque obtemperans foret, ad corrigenda quæcumque in regno ejus contra Eccleſiaſticas leges pravâ conſuetudine inoleviſſent, &c. Ad ultimum: ſi quid horum Henricus prævaricaretur, irritam fore hanc, quæ nunc tantopere expedita ſit, anathematis abſolutionem. Quin imò jam pro convicto confeſſoque habendum eſſe, nec ultrà pro aſſerendâ ſuâ innocentiâ audientiam impetraturum: Principesque regni omni deinceps quæſtione cunctâ juriſjurandi religione liberatos, Regem alium, in quem communis electio conſenſiſſet, creaturos eſſe. Gratanter accepit Rex conditiones, & ſervaturum ſe omnia quàm ſanctiſſimis poterat aſſertionibus promittebat, nec tamen promittenti temerè fides habita eſt: ſed Abbas Cluniacenſis pro Henrico ſpopondit, &c. Procul dubio ſi inter legendum, hæc terribilia videntur, cogitet Lector quantum oculi intuentium tragœdiam auxerint dolorem, potiſſimùm conſpecto Cæſare nudo, & diſcalceatis pedibus triduùm, menſe Januario, rigidiſſimâ hyeme, ſententiam Pontificis expectante, ejuſque certâ poteſtate & Majeſtate ad Interregnum reductâ: ita ut Papâ Hildebrando in generali Concilio ſedente judice, Cæſar imperium & regnum ad hoſtium ſuorum arbitrium & teſtimonium abdicare, aut retinere; atque inſuper tanquam ἀνόητος καὶ ἀναίσθητος nullum vindictæ ſenſum contra inimicos ſuos retinere deberet. At profectò quantùm de privatis injuriis glorioſum eſt numquam meminiſſe, tantùm quidem laudabile de publicis publicè ad majeſtatem imperii aſſerendam, vindictam aut potius juſtitiam facere. Quotusquiſque non videt hoc artificioſè quæſitum Interregnum, ut eo bacchante, Sueviæ Duci, aliiſque ſeditioſis facultas invadendi in opes & potentiam Cæſaris daretur, ut re verâ factum eſt. Quid cætera infanda & intoleranda gravamina memorem? cujuſmodi eſt Cæſarem ad eas adigi conditiones, ut ſuos fidiſſimos Conſiliarios ejecturum, & ſe dicto Pontificis inimiciſſimi, ut probatum eſt ſuperius, obtemperaturum, & quæcumque in ſuo regno contra Leges Eccleſiaſticas inoleviſſent, correcturum ſpondeat? Procul dubio anno 1593. quo Conventus habebantur Lutetiæ ſub nomine trium Ordinum, ut alius Rex Henrico IV. cooptaretur, *Cardinalis Sega* conſimili artificio certabat, ut quæ-

Digitized by Google

quæcumque in regno Franciæ contra leges Eccleſiaſticas radices egiſſent, abrogarentur: Idque cauſam præbuit tum diſputandi, utrum Tridentinum Concilium recipiendum foret, atque Gallicanæ Eccleſiæ libertates abrogarentur: ſtrenueque quamquam miſerrimis temporibus pro antiqua libertate & moribus pugnatum eſt adversùs Cardinalem Segam, qui hoc prætextu bullam Cœnæ Domini quaſi in rem judicatam mittere in Galliis, & Franciæ regnum Curiæ Romanæ feudatarium mancipare tentabat. Quod autem Schafnaburgenſis inter alias conditiones, hanc Cæſari impoſitam narrat: *Ut æquo animo regnum amitteret, & regio deinceps honore indignus juxta Eccleſiaſticas leges decerneretur, ſi in illum crimina probarentur.* Equidem neſcio quas leges Eccleſiaſticas intelligebat, quia ante Hildebrandum nemo umquam audivit Eccleſiam ſeſe Regibus abdicandis immiſcuiſſe.

XVII. Quantum ad crimina quæ Henrico objiciebantur, nullum vidi auctorem qui ea ſigillatim recenſeret præter Stephanum Alberſtatenſem, quem Bellarminus lib. 1. de tranſlatione Imperii cap. 2. & cap. 9. adversùs Barclaium velut triumphans ſic laudat: Stephanus Alberſtatenſis vir ſanctus & doctus ſcripſit *vivente Henrico IV. Wabramum Epiſcopum prolixam Epiſtolam, quæ,* inquit, *extat apud Dodechinum in additione ad Marianum Scotum anno* 1090. *in qua Epiſtola ſic ait: Audi vera, non fucata: audi fortia, non faceta: Omnis qui dignitates Eccleſiaſticas vendit, Hæreticus eſt: Dominus autem Henricus quem Regem dicunt, Epiſcopatus & Abbatias vendit: Etenim Conſtantienſem Bambergenſem, Moguntinenſem & plures alios pro pecunia: Ratisbonenſem, Auguſtenſem pro gladio: Abbatiam Fuldenſem pro adulterio; Monaſterienſem Epiſcopatum, quod dicere & audire eſt nefas, pro Sodomitica immunditia vendidit: quæ ſi imprudenter negare volueris, teſte cælo, teſte terrâ omnes etiam redeuntes à furno ſcioli concludent hoc: Dominus Henricus eſt hæreticus, pro quibus nefandis malis ab Apoſtolica Sede excommunicatus, nec poteſtatem aliquam ſuper nos qui Catholici ſumus, poteſt exercere.* Huc uſque Bellarminus, quem veris non fucatis, & fortibus, non facetis remunerabimus. Et primùm ſciat quòd ſi Henricus IV. Imperator his de cauſis à legitima poteſtate excidit, eſtque hæreticus, permultos Prælatos, Pontifices, & Reges excidiſſe atque hæreticos eſſe. Secundò velim eum meminiſſe hujuſmodi placitorum Gregorii de Valentia quæ ſuprà commemoravi: *pecuniam dare aut accipere pro beneficio tanquam motivum gratuitum, non eſſe ſimoniacum, ſed ſi detur tanquam pretium.* Hic ergo ad hominem argumentor, non

quòd ejuſmodi Aulica & Curialia dogmata comprobem: Et dico fieri potuiſſe ut Imperator hac gratificatione abuſus ſit, & graviſſimè peccarit: ſed nego propterea hæreticum eſſe, aut à poteſtate excidiſſe. Tertiò contendo iſtum Stephanum Alberſtatenſem primum eſſe auctorem hæreſeos Bohemorum, aſſerentium Reges, Principeſque politicos, & Prælatos Eccleſiæ peccato mortali inquinatos ſuâ cadere poteſtate, nec poſſe ullam juriſdictionem exercere. En quò zelotarum cœca ſtudia illos præcipitant: quandoquidem iſte Alberſtatenſis falsò concludit *Henricum eſſe hæreticum, nec poſſe aliquam poteſtatem ſuper Catholicos exercere.* Hæc autem mihi in memoriam ea revocant quæ Joannes Bucherus vivente Henrico III. optimo Galliarum Rege commentus eſt in ſuo libro *De juſtâ Henrici abdicatione.* Quartò ſi mala malis ut in vitæ humanæ conſortio licet conferre, urgeo longè plura atque horribiliora ſcelera ex Gregorii VII. edictis, quàm ex Henrici IV. geſtis conſecuta: ac proinde in politicis & moralibus minus malum ſemper majori malo præponendum, quaſi boni rationem habeat. Et hæc de criminibus propter quæ Henricus à Gregorio abdicatus eſt. Procul dubio ſiquis alius à Schafnaburgenſi has immanes & ferreas conditiones Henrico dictas & impoſitas ab Gregorio VII. enarraſſet, putaſſem ab aliquo in Hildebrandi odium confictas. Ex quo fit ut jam pro certo habeam, quod auctor *de unitate Eccleſiæ ſervanda* memorat Gregorium Legatis Epiſcoporum atque Principum Teutonici regni, qui Henrico erant infeſti, ſcripſiſſe *quòd eum culpabiliorem redderet:* quod certè nullâ aliâ ratione expeditiùs effici potuit, quàm ejuſmodi conditionis impoſſibilis editione. Herclè vix è millibus unum reperias hominem, qui non potiùs Chriſtianiſmum quàm regnum ejuret: hic autem Gregorius Cæſarem ſemetipſum vivum videntem & prudentem, qui maximus eſt doloris ſenſus, regno ſpoliare cogit, immemor jugum Domini eſſe ſuave, atque onus Legis gratiæ leve: utque Theologi docent *homines non poſſe cogi ad legem divinam ſtrictiſſimè ſervandam, ſed intra moderatos limites ac terminos; vulgare eſt proloquium:* malè imperando amitti Imperium, & nimiùm emungendo ſanguinem elici. Item numquam debere hominem cogi ad impoſſibilia juranda, quoniam eadem viâ ad pejerandum adigitur, & peccatum in eos qui juramentum exigunt, redundat 22. quæſt. 5. can. Ille. & can. Qui exigit. Contra quæ principia Gregorium impegiſſe nemo non videt. Sed ut nos ad analyſim noſtram referamus, quod tertiò ait Gregorius Epiſcopos & Principes

cipes Ultramontanos Germaniæ quaſi deſperatione adactos Te inconſulto Rodolphum in Regem cooptaſſe: verba ſunt & voces, quia nihil geſtum eſt in hac re niſi monitu atque impulſu Gregorii, qui à tribus annis poſt primam excommunicationem id promovebat. Unde Scafnaburgenſis: *Die*, inquit, *juxta condictum, Principes Sueviæ & Saxoniæ Triburiam convenerunt ampliſſimo numero, obſtinatis mentibus ad ſubmovendum à negotiis regni Regem Henricum, & alium in quem communis electio conſenſiſſet, creandum. Aderant unà Legati Apoſtolicæ Sedis, Patriarcha Aquileienſis & Patavienſis Epiſcopus miſſi quoque à Romano Pontifice, ut palam omnibus per Gallias conteſtarentur juſtis de cauſis excommunicatum eſſe Regem Henricum, & ad eligendum alium Regem Apoſtolici conſenſus & auctoritatis ſuffragium pollicerentur.* Item Otho Frinſingenſis gratus Bellarmino cap. 7. libri prioris de Geſtis Friderici. *At Romanus Pontifex Gregorius, qui jam ut dictum eſt, Principes adversùs Imperatorem concitabat, omnibus ut alium crearent latenter & manifeſtè ſcribebat. Igitur Rodolphus Dux Suevorum traditur cum hujuſmodi ſcripto:*

Roma dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho.

Quintò notandum Gregorium non creaſſe Regem ſed aſſerere electum à Teutonicis, idque etiam Gregorii teſtimonio convincit ſolum populum jus habere creandi Reges, atque Eccleſiaſticos ad hoc non concurrere niſi tanquam cives aut membra Reipublicæ, nequaquam verò formaliter ut Eccleſiaſticos. Sextò ut ſæpe aliàs, ita ſuam prodit confidentiam hac clauſulâ: *Ex parte omnipotentis Dei & veſtrâ interdicens, &c.* Quaſi verò omnipotentiam divinam penes ſe, aut immediatè à Deo auctoritatem haberet ad ea patranda quæ in Henricum agebat: quare paulò infrà ſic oratione protrepticâ utitur ad Apoſtolos: *Agite nunc, quæſo, Patres & Principes SS. ut omnis mundus intelligat, &c.* Quâ loquendi ratione nemo unquam in cenſuris ferendis ante uſus eſt, niſi forſan aliquis divino afflatu futura præſagiret. Septimò vellem reſcire quonam gloſſemate Curiales hunc craſſum errorem Gregorii mollire aut excuſare valerent: *quia*, inquit Apoſtolis: *ſi poteſtis in cœlo ligare & ſolvere, poteſtis & in terra Imperia, Regna, Principatus & omnium hominum poſſeſſiones pro meritis tollere unicuique & concedere, &c.* An ergo poteſtas Eccleſiaſtica inſtituta eſt, ut hominum poſſeſſiones tollat etiam indirectè? Profectò nullus tam demens adhuc extitit, qui hoc dicere auderet: quamquam poteſtatem Papæ in rebus temporalibus mordicùs defenderet. Quod ſi ita eſſet, ſe-

Digitized by Google

queretur gratiam legem naturæ funditùs deſtruere: quod dicere hæreticum eſt. Octavò quòd perhibet Principes Apoſtolorum frequenter indignis abſtuliſſe Patriarchatus, Archiepiſcopatus & Epiſcopatus: ad ea, ut opinor, alludit quæ Nicolaus I. octavâ Epiſtolâ ad Michaelem Imperatorem narrat de Euphemio, Polychronio, Neſtorio, Acatio, Antimo, Sergio, Pyrrho, &c. de quâ re diſputatum eſt libro 3. defenſionis Libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate cap. 5. numero 18. Verùm quanquam daremus aliquos Patriarchas à Romanis Pontificibus abdicatos, non continuò inde ſequeretur illos parem habere auctoritatem in Regibus exauctorandis, cùm Spiritualia magno diſcrimine à temporalibus diſſideant. Cæterùm hîc, ut paſſim aſſolet, ſua atque aliorum Pontificum geſta Apoſtolis Petro & Paulo adſcribit: Quod intelligendum venit congruenter ad regulam Theologorum, *clave non errante.*

XVIII. Nonò Gregorius vult agere prophetam in hac periodo. *Ipſe autem Henricus cum ſuis fautoribus in omni congreſſione belli nullas vires, nullamque victoriam in ſua vita obtineat, &c.* Quæ paulò antè commemoratis ex libro 5. poſt Epiſtolam 14. de cauſa Regis ſimilia ſunt: ubi excommunicationem & cenſuras ſic ad temporalia abripit; *& non ſolùm in ſpiritu, verùm etiam & in corpore, & omni proſperitate hujus vitæ Apoſtolicâ poteſtate innodamus, & victoriam ejus in armis auferimus, &c.* Certè poſt primam excommunicationem in Henricum Epiſtolâ 8. Libri 3. ad Theobaldum nobilem Clericum Mediolanenſem hæc fruſtrà prænuntiavit: *Siqui igitur*, ait, *non percipientes ea quæ Dei ſunt, aliter tibi ſuggerere & perſuadere incipiant, oſtentantes quanta tibi ſint in Rege præſidia; quanta in tua nobilitate potentia, quanta etiam in civibus tuis adjutoria, tutum tibi illis credere non exiſtimes, conſiderans quid Scriptura dicat: maledictus homo qui ſpem ſuam ponit in homine, atque hoc in animo gerens, quòd Regum atque Imperatorum virtus, & univerſa mortalium conamina contra Apoſtolica jura, & omnipotentiam ſummi Dei quaſi favilla computentur & palea, & nullius unquam inſtinctu vel fiduciâ adversùs divinam & Apoſtolicam auctoritatem obſtinatâ temeritate te rebellem & pertinacem fieri lubeat.* Pari quoque temeritate Achiepiſcopi Ravennatis ruinam falsò auguratur Epiſtolâ 7. Lib. 8. poſt Kalendas Septembris. *Poſtquam tempus frigeſcere cœperit cupientes S. Ravennatenſem Eccleſiam de manibus impiis eripere, & Patri ſuo B. Petro reſtituere, partes illas armatâ manu ſicut de Domino ſperamus, petemus,*

ac

ac per ipſius auxilium nos eam liberaturos haud dubiè credimus. Haud dubiè id eſt certò, inquit, Merito igitur Onuphrius poſt Sigebertum, Matthæum Pariſienſem, multoſque alios teſtatur *Gregorium falſum Regem eo anno moriturum conſtantiſſimè, quemadmodum ſibi divinitus revelatum fuerat, affirmaſſe, & verum quidem prædixiſſe, ſed ſefelliſſe eum de falſo Rege conjecturam ſecundùm ſuum deſiderium de Henrico Rege interpretatam: Nam Rodolphus falſus Rex cum multis Saxoniæ Principibus in prælio extinctus eſt.* Quem ad locum Onuphrii Gretſerus qui hoc gloſſema agglutinavit: *quæ de prophetia Gregorii narrantur ab Onuphrio, conficta ſunt à Schiſmaticis, occaſione cujuſdam Epiſtolæ Gregorii, de qua Baronius anno* 1080. An conficta memoras, Gretſere, quæ ipſemet Gregorius ſuis Epiſtolis atque cenſuris adversùs Henricum infercivit, præſagiens atque interminans certam ruinam temporalem omnibus quos cenſuris involviſſet? Porro Baronius quem Gretſerus laudat ad ſolam Epiſtolam 7. libri octavi contra Guitbertum Ravennatenſem Epiſcopum utcumque reſpondet: De cenſuris vero atque aliis Epiſtolis, ut Theobaldi Mediolanenſis altùm ſilet: meritò quidem, quoniam rem in apertum promunt: Ita ut id à nemine controverti queat. At verò hæc per animi tumorem & ſuperbiam enunciata fuiſſe ab Hildebrando liquet ex cap. 18. Deuteronomii verſ. 22.

XIX. Decimò ſicut Gregorius mortem atque omnia infelicia vaticinatur & imprecatur Cæſari: ita fauſta atque opulenta ſpondet Rodolpho, his conceptis verbis: *Ex parte veſtra,* Apoſtolos alloquitur, *dono, largior, concedo omnibus ſibi fideliter adhærentibus abſolutionem omnium peccatorum, veſtramque benedictionem in hac vita, & in futura veſtrâ fretus fiduciâ largior: Sicut enim Henricus pro ſua ſuperbia, &c.* Ubi notabile eſt quòd omnibus Rodolpho fideliter adhærentibus peccatorum remiſſionem abſolutè & ſimpliciter indulget, quod & abuſivum & erroneum eſt. Profectò univerſi qui ante Gregorium & poſt extiterunt, ſemper conditionaliter illos duntaxat abſolverunt, qui pœnitentiam agerent & peccata confiterentur. Abbas Veſpergenſis ad annum 1080. (qui quartus eſt annus poſt electionem Rodolphi ad regium thronum, & poſtquam Rodolphus quater collatis ſignis cum Cæſare Domino ſuo infeliciter præliatus erat) hæc ipſa de Rodolphi falſi Regis morte recenſet: *Fertur,* ait, *in extremis poſitus, & abſciſſam dexteram ſuam intuitus, ad Epiſcopos qui fortè aderant graviter ſuſpirans dixiſſe: Hæc eſt manus quâ Domino meo Henrico fidem ſacramento firmavi. Ecce ego jam ejus regnum & vitam*

Digitized by Google

derelinquo præſentem: Videte qui me ſolium ejus conſcendere feciſtis, ut recta via vos veſtra monita ſequentem duxeritis. Quâ extremâ & propheticâ voce Rodolphi Epiſcopi, aliique qui tum aderant perterriti, Gregorium monere non deſiſtebant, ut à propoſito ceſſaret, atque Rodolphi pœnitentis exemplo cum Cæſare rediret in gratiam, pacemque & unionem Eccleſiæ ſarciret, ut ipſemet Gregorius teſtatur Epiſtolâ 3. libri noni ad Batavienſem Epiſcopum. *Notificamus autem dilectioni veſtræ penè omnes noſtros fideles, audita voce Rodolphi B. memoriæ Regis, mihi ad hoc crebris adhortationibus flectere, ut Henricum jam pridem ſicut ſcitis plura facere nobis paratum, cui fermè omnes Italici favent, in gratiam noſtram recipiamus.* Hæc ille magno quidem veritatis præjudicio, quam qui non ſequuntur, aliis tamen enuntiant. Profectò hæc Epiſtola declarat quo in ſtatu tum res Eccleſiæ propter Gregorii duritiem eſſent: Siquidem perhibet *Mathildem, quæ ei ferebat ſuppetias, pro inſana habitam. Scimus enim,* inquit, *quod fratres noſtri longo certamine diverſiſque fatigationibus fatigantur: nobilius tamen eſſe dignoſcitur pro libertate Sancta Eccleſia multo tempore decertare, quàm miſeræ atque diabolicæ ſervituti ſubjacere, &c.* Otho Frinſingenſis libro 1. de rebus geſtis Friderici cap. 7. narrat, *cùm Henricus* IV. *aliquando ad Eccleſiam Marſeburgenſem veniſſet, ibique Rodolphum regio ornatu & diademate ſepultum vidiſſet: cuidam dicenti, cur eum qui Rex non fuerat, regali honore ſepultum jacere pateretur, dixiſſe: utinam omnes inimici mei tam honorificè jacerent.* Verùm poſt interemptum Rodolphum, Hermanus Lotharingiæ Princeps ei ſubſtituitur, & ipſe non multò poſt à fidelibus Regis Henrici occiditur, inquit Frinſingenſis lib. 6. Chronici cap. 35. & 36. ubi mala innumera, populationes, vaſtitates ac ruinas quæ ex Gregorii geſtis ſequutæ ſunt, ita deflet. *Quanta autem mala, quot bella, bellorumque diſcrimina ſubſequuta ſunt: quoties miſera Roma obſeſſa, capta, vaſtata; quòd Papa ſuper Papam, ſicut Rex ſuper Regem poſitus fuerit, tædet memorare. Denique tot mala, tot ſchiſmata, tot tam animarum quàm corporum pericula hujus tempeſtatis turbo involvit, ut ſolus ex perſecutionis immanitate ac temporis diuturnitate ad humanæ miſeriæ infelicitatem ſufficeret comprobandam. Unde à quodam Eccleſiaſtico Scriptore, denſiſſimis Ægypti tenebris comparantur. Prædictus enim Pontifex Gregorius à Rege urbe expellitur, Guibertuſque Ravennatenſis Epiſcopus in locum ejus ſubtruditur.* His ſunt adjungenda quæ lib. 11. Epiſtolarum Gregorii ſtatim initio leguntur, ubi obſidionem atque expugnatio-

Digitized by Google

gnationem urbis deſcribit; ſibique blanditur, quaſi Henricus non bellicâ virtute, ſed civium Romanorum ſocordiâ in urbem invaſiſſet: *Qui ſemel B. Paulum, bis B. Petrum aggreſſus*, ait, *demum poſt multum fuſi ſanguinis, non tam ſuorum fortitudine, quàm negligentia civium, porticus muros ſubripuit: Romanum ſiquidem vulgus, pars videlicet copioſior civitatis biennii bello fatigatum acri, inedia laborabat; cùm nec ipſis ad vicina oppida vel caſtra exire liceret, nec illi jurati Henriciani urbem reliquerant. Proinde cæteri bello remiſſius attenti rem ex animo minus gerebant, & à cuſtodiis prout cuique licebat, ſine timore negligentius aberant. Hæc ſuper Henrici tyrannide, quia ſe occaſio præbuit, perſtrinxiſſe ſufficiat.* Quæ ſola Gregorii narratio plus ſatis illius ingenium prodit: adeò ut nequidem virtutem militarem in Cæſare velit agnoſcere, quem tamen omnes Hiſtorici velut invictiſſimum & fortiſſimum Principem, atque maximis quibuſque Ducibus antiquis comparandum laudant. Simili vanitate Baronius tomo 12. ad annum Chriſti 1111. urbis expugnationem ab Henrico V. factam deſcribens ſub Paſchali II. militum Cæſaris imbecilliorem, quàm fœminarum virtutem deſcribit: Sic enim in rebus nihili ſibi Curiales blandiri aſſolent. Sed ad Gregorii VII. exceſſum veniamus.

XX. Otho Frinſingenſis lib. 6. cap. ultimo Chronicorum ait *Gregorium Salerni exulantem, appropinquante vocationis ſuæ tempore, dixiſſe, ut fertur: Dilexi juſtitiam, & odi iniquitatem, propterea morior in exilio. At verò Sigebertus ad annum Chriſti 1085. Gregorius VII. apud Salernum exulans moritur. De hoc ita ſcriptum reperi. Volumus vos ſcire qui Eccleſiaſtica cura ſolliciti eſtis, quod Dominus Apoſtolicus Hildebrandus, qui & Gregorius, nunc in extremis poſitus, ad ſe vocavit unum de duodecim Cardinalibus, quem multum diligebat præ cæteris, & confeſſus eſt Deo, & S. Petro & toti Eccleſiæ ſe valde peccaſſe in paſtorali cura, quæ ei ad regendum commiſſa erat, & ſuadente diabolo contra humanum genus odium & iram concitaſſe. Poſtea verò ſententiam quæ in orbe terrarum effuſa eſt, pro augmento Chriſtianitatis cœpiſſe dicebat. Tunc demum miſit prædictum confeſſorem ad Imperatorem & ad totam Eccleſiam, ut optaret illi indulgentiam, quia finem vitæ ſuæ aſpiciebat: & tam citò induebat ſe angelica veſte, & dimiſit ac diſſolvit vincula omnium bannorum ſuorum Imperatori, & omni populo Chriſtiano vivis & defunctis, Clericis & laicis: & juſſit ſuos abire de domo Theodorici, & ad amicos Imperatoris aſcendere.* Quæ narratio Sigeberti optimè poteſt cum narratione Frinſingenſis quadrare, quia nihil repugnat Gregorium factâ pœniten-

Digitized by Google

nitentiâ dixiſſe: *Dilexi juſtitiam & odi iniquitatem, &c.* Verumtamen Baronius ad annum Chriſti 1084. & Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis contendunt Sigebertum non pauca mentitum cùm narravit Gregorii obitum & pœnitentiam: Siquidem obnoxiis hominibus pœnitentia Rodolphi Regis & Gregorii VII. valde diſplicet, confugiuntque ad Gregorii miracula, quoniam teſte Baronio, Leo Oſtienſis narrat *Gregorium divinitùs viſione monitum, ut conſtanter quæ vigore S. Spiritus cœperat, facere perageret.* Et Scafnaburgenſis refert *ſigna & prodigia quæ per orationes Papæ Gregorii freqnenter fiebant, & zelum ejus ferventiſſimum pro Deo & Eccleſiaſticis legibus ſatis eum contra venenatas detractorum linguas communiviſſe.* Procul dubio certiſſimis atque evidentiſſimis Legis divinæ & naturalis cauſis atque principiis nixus, quæ nullo modo fingi, adulterari, aut fuco aliquo adumbrari aut ſupponi poſſunt, ſicut viſiones, revelationes, prodigia, & miracula hominum obnoxiorum: Ego hîc coram Chriſto omnium noſtrûm tremendo judice, dico atque contendo neminem tantis diſſidiis, incendiis, profuſioni ſanguinis Chriſtiani, urbium atque provinciarum ruinis, ſchiſmatibus, innumeriſque malis cauſam certiſſimam & evidentiſſimam præbere, atque omnium etiam amiciſſimorum conſilia & monita ſalutaria ad pacem & unionem Reipublicæ Chriſtianæ conſtituendam neceſſaria deſpicere & contemnere potuiſſe, ſicut Gregorium ea contemptui habuiſſe docuimus, quî tot rerum malè geſtarum ſibi conſcius, poſſit in articulo mortis ſecurus in conſcientia nedum ſanctus eſſe, niſi tot actorum horribilium grandem egerit pœnitentiam in extrema vitæ periodo.

XXI. Sicut Gregorium pœnituiſſe refert Sigebertus: hoc ipſo quidem juxta Legis Euangelicæ præcepta, & viam ordinariam ac ſenſum Chriſtianæ charitatis, quâ ſolâ homines ſalvantur, multò æquior Hildebrando, quàm Baronius, Bellarminus, Gretſerus, atque alii adulatores, qui ut Romanum Pontificem eſſe infallibilem à poſteriori comprobent, omnia Gregorii Septimi Acta velut legem Catholicam clauſis oculis propugnant, innumeriſque conviciis Sigebertum atque alios qui veritatem moderatè & unitate ſervatâ tuentur, onerant. Hic nulla nobis de hæreticis Gregorio VII. infeſtiſſimis, aut etiam de Benone Cardinali, vel aliis Hildebrandi hoſtibus quæſtio eſt. Jam aliàs monui Baronium, Bellarminum, & alios hujus ævi Scriptores obnoxios, quotieſcumque in Chronicis ſæculi Gregorii VII. aliqua offendunt, quæ ei minus probantur, ſtatim cauſari illa à

ſchiſma-

Digitized by Google

ſchiſmaticis eſſe confićta, nec attendere tantumdem iis quos falsò ſchiſmaticos vocant licere nimirùm rependere quæ de Henrico Imperatore circumferuntur, confićta eſſe à Gregorii VII. aſſeclis, uti re verâ nec immeritò opponunt: quandoquidem in diſcordiis & bellis civilibus nihil eſt falſi, nihil abſurdi, horribilis aut etiam mendacii, quod hinc inde à Ducibus & ſectariis partium non fingatur: quemadmodum noſtris bellis civilibus vidimus & experti ſumus. Itaque inter ejuſmodi tumultus videndum eſt quinam præſertim vivant & ſcribant magis congruenter ad Legem Dei & charitatem, atque unionem Eccleſiæ ſartam tectam velint & tueantur; his enim ſchiſma attribui non poteſt: neque quiſquam eò promoveri debet quòd cauſæ & partibus Gregorii plures ſcribendo quàm Imperatori faverint. Id enim accidit quoniam tum eruditio & Litteræ penes ſolos Eccleſiaſticos & potiſſimùm Monachos Benedictinos reſidebat; qui quidem omnes jure vel injuriâ bene conſultum Gregorio propterea cupiebant, quod ſacras electiones in libertatem aſſereret, atque Eccleſias liberalitate Principum Chriſtianorum locupletatas ſolis Clericis adminiſtrandas addiceret: quod fortiſſimum erat telum & cauſa maximè plauſibilis & favorabilis, ſi modò hujus pronuntiati Catholici ſemper meminerimus: ſcilicet charitatem, pacem, concordiam *& unionem eſſe finem omnis præcepti, Legum & actionum humanarum, & numquam eſſe facienda mala, ut inde eveniant bona.* Roman. 3. & 13. profectò cuncti ſcriptores quos adverſarii Sigeberti tanquam veraces proferunt, putà Scafnaburgenſem, Anſelmum Lucenſem, Cantuarienſem, Leonem Oſtienſem, & alios ſuprà nominatos, fuerunt religioſi Ordinis S. Benedicti, cui pariter Ordini Hildebrandus nomen dederat antequam eſſet Pontifex: eòque laudabiliores ſunt Sigebertus, Matthæus Pariſienſis, Abbas Veſpergenſis, Tritemius, atque alii ejuſdem Ordinis Monachi, quod ſolius veritatis cauſâ ſcripſerint, nec ſeſe partium ſtudiis atque odiis immerſerint, gravi ſenſu doloris compuncti, quòd Eccleſiam ſacrilego ſchiſmate laniari, & ſanguinem Chriſtianum horribiliter fundi viderent. De miraculis autem Gregorii primùm dico incerta eſſe: & quos Baronius nominat, de illis generatim & confusè, non ſigillatim loqui. Secundò ad gratiam gratis datam ſpectare. Tertiò, ut vera eſſent, debere ad normam Legis Euangelicæ & naturalis librari: nullamque illis fidem habendam, qui contra Legem divinam aliquid patrant (quamquam ſe in Angelos lucis transforment, & miracula aliaque ſtupenda operentur)

tur) ſoli enim legi divinæ & naturali incumbendum eſt Chriſtianis. Verùm puto me ſuperiùs evidenter docuiſſe permultas actiones Gregorii VII. ad normam Legis gratiæ collatas ſtare nullo modo poſſe. Ei autem ſicut B. Paulo atque Moſi contigiſſe arbitror, quorum immoderatum zelum Deus in bonum populi Iſraelitici convertit. Nam Deum in extrema vitæ periodo ſpiritum compunctionis & pœnitentiæ Gregorio immiſiſſe exiſtimo, ſicut refert Sigebertus. Quidni enim actorum ſuorum horribilium pœnituiſſet? cùm alias ſæpè in maximo ardore diſſidiorum geſta ſua tanquam paci Eccleſiæ infeſta ea revocando damnarit, ut propriis locis oſtendimus. Sed inquies Sigebertum narrare nominatim Confeſſori ſuo dixiſſe, *quòd ſuadente diabolo contra humanum genus odium atque iram concitaſſet*, &c. Bene id quidem, quia auctore Auguſtino libro 3. cap. 1. contra Epiſtolam Parmeniani: *Cùm omnis pia ratio & modus Eccleſiaſticæ diſciplinæ unitatem ſpiritus in vinculo pacis maximè debeat intueri: quod Apoſtolus ſufferendo invicem præcipit cuſtodiri, & quo non cuſtodito medicina vindictæ non tantùm ſuperflua, ſed etiam pernicioſa, & propterea jam nec medicina eſſe convincitur. Illi filii mali qui ne luce veritatis carere oſtendantur, umbram rigidæ ſeveritatis obtendunt: Et quæ in Scripturis Sanctis ſalvâ dilectionis ſinceritate, & cuſtoditâ pacis unitate, ad corrigenda fraterna vitia moderatiori curatione fieri præcepta ſunt, ad ſacrilegium ſchiſmatis & ad occaſionem præciſionis uſurpant, dicentes: Ecce ait Apoſtolus: auferte malum ex vobis ipſis.* Quamobrem aliquantò inferius hunc textum Apoſtoli explicans. *Sicui autem aliquid donaveritis, & ego: Nam & ego ſicui donavi propter vos in perſona Chriſti, ut non poſſideamur à Sathana: non enim ignoramus mentes ejus, &c. Sed quid illud quo concluſit iſtam ſententiam Apoſtolus? ut non poſſideamur à Sathana? non enim inquit, ignoramus mentes ejus: Ipſe eſt enim qui per imaginem quaſi juſtæ ſeveritatis crudelem ſævitiam perſuadet, nihil aliud appetens venenoſiſſimâ ſuâ verſutiâ, niſi ut corrumpat atque diſrumpat vinculum pacis & charitatis, quo conſervato inter Chriſtianos vires ejus omnes invalidæ fiant ad nocendum, & muſcipula inſidiarum comminuitur, & conſilia everſionis evaneſcunt.* Quâ ex ſententiâ Auguſtini luce meridianâ clariùs evadit Gregorium VII. juſtam habuiſſe occaſionem confitendi, *quòd ſuadente Diabolo contra humanum genus odium atque iram concitaſſet, & ſacrilego ſchiſmati occaſionem præbuiſſet, ac pacem & unitatem Eccleſiæ violaſſet.*

XXII. Ut in civilibus diſcordiis ubi ſemel exarſerunt, numquam deſunt partium Duces, qui primorum auctorum inſtituta mordicùs propu-

Digitized by Google

propugnent. Ita Gregorio VII. quanquam reſipiſcente in extrema vitæ periodo, nihilominus propoſitum Eccleſiæ in libertatem aſſerendæ non ideo abjectum aut deſertum eſt à Gregorii ſucceſſoribus. Ut autem expeditiùs majoribuſque opibus continuaretur, nihil viſum eſt Curiæ Romanæ conducibilius quàm ut ex Ordine S. Benedicti tum divitiis atque eruditione, qualem ſæculum illud ferebat, potentiſſimo & illuſtriſſimo, Romanos Pontifices adoptarent. Equidem cùm Monachorum & Religioſorum Congregationes quaſi perennes ſint ac perpetuæ, & in eumdem ſcopum ac propoſitum ex ſuperiorum ſuorum mandato, cæteris omnibus poſthabitis, ſemper invigilent ac perpetuò collineent, faciliùs ſtudia ſua ne dicam odia propagant ad poſteros. Quod ut Ordinis S. Benedicti Monachi hac in parte molirentur, ingentes opes quas poſſidebant, atque ab omni onere & Regum collatione liberas retinere cupiebant, illos acriter exſtimulabant. Quocircà poſt Gregorium VII. Victor III. Urbanus & Paſchalis II. ex hoc Ordine Pontifices electi ſunt ab Eccleſiæ Romanæ Cardinalibus. Et quoniam Victor in Pontificatu vix annum ſedit, de Urbano nobis dicendum eſt. Sigebertus anno 1088. *Odo ex Monacho Cluniacenſi Epiſcopus Oſtienſis contrà Imperatorem & Guibertum fit Papa, & Urbanus nominatur. Hinc in Eccleſia, ſcandala, & in regno augeſcunt diſſidia: dum alter ab altero diſſidet: dum regnum & Sacerdotium diſſentit: dum alter alterum excommunicat: alter alterius excommunicationem aut ex cauſa aut ex perſona præjudicio contemnit: dumque alter in alterum excommunicandi auctoritate magis ex ſuo libitu quàm ex juſtitiæ reſpectu abutitur, auctoritas illius qui dedit poteſtatem ligandi & ſolvendi omninò deſpicitur. Nimirum, ut pace omnium bonorum dixerim, hæc ſola novitas, ne dicam hæreſis necdum in mundo emerſerat, ut Sacerdotes illius qui dixit Regi, Apoſtata; & qui facit regnare hypocritam propter peccata populi, doceant populum quòd malis Regibus nullam debeant ſubjectionem: & licèt ei ſacramentum fidelitatis fecerint, nec perjuri dicantur qui contra Regem ſenſerint: imò qui Regi paruerit, pro excommunicato habeatur: qui contra Regem fecerit, à noxa juſtitiæ & perjurii abſolvatur.* Qui locus Sigeberti quatuor capit notabilia. Primum eſt Urbanum ex Cluniacenſi Monacho factum Oſtienſem Epiſcopum: deinde Urbano III. mortuo electum in Pontificem. Certè quanquam major pars Epiſcoporum & Cleri ſecularis ab Cæſaris partibus unà cum aliis Principibus Imperii ſtarent, nihilominus quia Epiſcopi & Principes ſingulares erant perſonæ, illis mortuis cuncta illorum

ſtudia & conatus facilè interierunt, ſecùs quàm accidit Monachis Benedictinis, qui ea, ut jam dixi, artificioſè ad poſteros traducebant: quo ex ſtudio tandem ruina Imperii extitit.

XXIII. Secundò Sigebertus Gregorii VII. & Urbani dogmata jure meritoque novitatem anteactis ſæculis incognitam nuncupat, & hac aſpergit maculâ: *hæc ſola novitas, ne dicam hæreſis.* Quam ad vocem Bellarminus, Baronius, totaque natio Curialium ringit, atque Sigebertum ſchiſmaticum ac Sedis Apoſtolicæ hoſtem proclamat, cujus convicii nullam præter animi ſui impotentiam & partium ſtudia rationem reddere poſſunt. Sigebertus autem firmis nititur fundamentis, quæ nullâ ratione ab Adverſariis convelli queunt. Et primò quidem, quoniam ex certiſſimis Patrum Eccleſiæ primitivæ regulis initio libri 2. & 3 explicatis id dumtaxat æſtimari & credi debet Catholicum quod Canoni Scripturæ Sacræ, Traditioni, & conſenſui univerſali omnium gentium atque temporum concordat. Placita autem Gregorii Sacræ Scripturæ repugnant, & ante eum nullus extitit Paſtor vel Doctor qui ea noverit, meritò quidem à Sigeberto novitati atque errori deputantur. Deinde cùm Sacra Scriptura clariſſimè doceat regnum Chriſti non eſſe de hoc mundo, & Eccleſiam ſolâ poteſtate miniſteriali Spirituali eſſe præditam, atque omni dominatu & facultate cogendi temporaliter expertem eſſe, debereque hominum animos per ſolos actus hierarchicos ſuaviter in Dei obſequium captivare, nec ſeſe ſecularibus negotiis aut fundendo ſanguini immiſcere; patet Gregorium ejuſque ſucceſſores legi divinæ penitùs adverſari, quando ſibi dominationem per merum imperium & poteſtatem cogendi temporaliter arrogant, Regesque & Imperatores abdicant. Tertiò Lex divina omneſque Eccleſiæ Patres aſſerunt præceptum Domini de non extirpandis zizaniis cum frumenti periculo æquipollere negativo præceptò, ac proinde ad ſemper & pro ſemper obligare, quoniam finis omnium præceptorum, Legum, & cenſurarum, eſt pax, dilectio, charitas atque unio. Roman. 13. neque unquam ſunt facienda mala, ut eveniant bona. Roman. 3. cui legi divinæ immobili cùm Gregorius VII. Urbanus & Paſchalis manifeſtiſſimè non modò repugnarint, ſed prætextu poteſtatis Eccleſiaſticæ inimicitias, odia, bella & ſchiſmata diuturna ſuis cenſuris atque Imperiis abſolutis conſeverint, ac mundum univerſum incendiis, vaſtitate, ſacrilegiis, & incredibili hominum lanienâ deformarint; Jure quidem Sigebertus hæc ſtudia novitati atque hæreſi accenſet: cùm nihil

ſit

Digitized by Google

ſit quod Gregorium VII. & ejus ſequaces excuſare poſſit coram Deo præter zelum intemperantem & indiſcretum. Quæſtio autem eſt utrum ſufficiens eſſe poſſit excuſatio in Paſtore qui alios edocere debet, nec invincibili ignorantiâ laborare poteſt, ſi Eccleſiam conſulere & audire velit, ut tenetur. Quartò Lex Euangelica clarè docet ſupremam poteſtatem politicam ſive auctoritatem & dignitatem regiam eſſe quamdam divinæ poteſtatis particulam immediatè à Deo manantem; eique omnem animam, nemine dempto, tum propter iram, tum propter conſcientiam ſubditam eſſe. Rom. 13. Contrà Hildebrandus perhibet dignitatem regiam eſſe à diabolo, aut ab hominibus Deum ignorantibus, atque ſubditos Regum à ſacramento fidelitatis abſolvit, quod antè actis ſæculis planè inauditum & incognitum fuit; meritóque erroneum cenſetur à Sigeberto. Quinto Sacra Scriptura demonſtrat Deum æquè eſſe naturæ quàm gratiæ auctorem. Matthæi 5. Et Chriſtum veniſſe in mundum, ut legem divinam & naturalem adimpleret, non ſolveret, eamque ob cauſam eſſe impoſſibile ut gratia naturam deſtruat. Contrà Gregorius Jura naturæ & gentium, quaſi eſſet ſupra Legem divinam & naturalem, abrogat; ſibique poteſtatem non modo privandi Reges ſuis dignitatibus; verùm etiam univerſos homines ſuis avitis & naturalibus poſſeſſionibus vendicat; quod & novum & hæreticum eſt, ſi pervicaciter defendatur. Sextò Dominus ſolam poteſtatem miniſterialem ideo conceſſit Eccleſiæ, quoniam vellet Prælatos clave non errante ſpiritualiter liganda ligare & ſolvenda ſolvere. Contrà autem Gregorius abſolutam poteſtatem ligandi & ſolvendi quoſcumque & ubicumque vellet, uſurpat, eamque ad proſperos & infelices rerum temporalium & humanarum ſucceſſus contra propriam naturam violenter abſtrahit. Ex quo inſurgit illum non modo erraſſe in condendo Canone *Nos Sanctorum* 15. *quæſt.* 6. de quo ſuperiùs libro 3. cap. 4. Verùm etiam in permultis aliis rebus quas paſſim minio & notâ compunximus. Idemque pariter judicium de Urbano II. Epiſt. ad Vapicenſem Epiſcopum *eadem cauſâ & quæſtione can. Juratos milites Hugoni Comiti, ne ipſi quamdiu excommunicatus eſt, ſerviant, prohibeto. Item* 23. *quæſt.* 5. *can. Excommunicatorum interfectoribus ſecundùm intentionem, modum congruæ ſatisfactionis injunge. Non enim eos homicidas arbitramur, quos adversùs excommunicatos zelo Catholicæ matris ardentes aliquos etiam trucidaſſe contigerit.* Quæ doctrina horribilis, nova, atque erronea eſt, velut corollarium doctrinæ quam Gregorius in ſuos Dictatus Majeſtati-

 vos

vos conjecit, legique gratiæ funditùs adverſatur. Hinc enim inſurgit ne quidem Galliæ regni Magiſtratibus verbi cauſâ licuiſſe in Jacobum Clementem, Barrerium, Caſtellum, Rideconium, Ravaillacum, & alios furioſos Regum parricidas tanquam in homicidas ſimplices animadvertere; propterea quòd hæc generis humani monſtra ſeſe zelo Catholicæ matris Eccleſiæ Henricum III. & IV. interemiſſe gloriabantur. Quotusquiſque non videt homines furioſos hac ratione ad patrandas cædes Principum armari: adeò quidem ut ab incerta poteſtate abdicandi Reges, quam Gregorius omnium primus excogitavit, furioſi zelotes certam poteſtatem occidendi Principes ſibi arrogent, ſicque Eccleſia Romana contra cauſas eſſentiales Legis gratiæ & perfectæ manſuetudinis, ſeſe cauſis ſanguinis atque hominum internecioni implicavit, quod eſt Antichriſtianum. Non me latet Bellarminum & Suarem velle perſuadere Eccleſiam ſe poſſe cauſis capitalibus immiſcere, idque à poſteriori probare ex officio Inquiſitionis Romanæ, de qua re poſthac videbimus: mirorque Curiam Romanam in tanta luce meridiana clariſſima caligare. Ferunt lupos conſpectis aliquando paſtoribus, qui oves pinguiores, ut illis opiparè epularentur, jugulabant, admiratione captos exclamaſſe: ô quales & quantas de nobis pœnas caperetis, ſi ea ipſa quæ nunc patratis, ageremus? qui Apologus voci divinæ Chriſti apprimè quadrat, cùm Apoſtolorum ſuorum duritiem adversùs Samaritanos ita mitigat. *Neſcitis cujus Spiritus eſtis: Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare.* Lucæ 9. Hinc Auguſtinus libro 1. cap. 14. contra Epiſtolam Parmeniani. *Noluit Dominus ante tempus eradicari zizania & à frumentorum permixtione ſeparari. Sinite*, inquit, *utraque creſcere uſque ad meſſem, &c. meſſis autem eſt finis ſeculi; meſſores, Angeli: tales enim meſſores errare non poſſunt, ut vel frumenta pro zizaniis colligant, vel pro frumentis zizania religent.* Deinde ibidem libro 3. cap. 1. *Non enim novit quid cras futurum ſit, & ideo dilectione ſervatâ, non ſine ſpe correctionis vindicandum eſt quicquid corrigi vel vindicari neceſſaria ſeveritas poſtulat.* Ac ſi diceret talem eſſe hodie zizania & lupum qui cras erit frumentum. Imò etiam Paſtor, inquit Nazianzenus. Quo igitur colore & prætextu ii excuſantur qui zelo Catholicæ matris excommunicatos trucidant?

XXIV. Septimò cùm Dominus clarè doceat Sacram Scripturam multò certiorem miraculis, & normam eſſe quâ miracula probari debent (quoniam petenti miraculum reſpondit: *habent legem & Prophetas*,

Digitized by Google

tas, eos audiant. Luc. 16.) Ceſſent Baronius, Bellarminus, & alii Curiales nobis incerta Gregorii VII. miracula venditare, quia hoc Chriſti proloquium eſt infallibile: *De omni arbore judicandum eſſe ex fructibus: & non omnes qui Chriſto dixerint: Domine, Domine, in nomine tuo ejecimus dæmonia; intraturos in regnum cœlorum; ſed eos ſolum qui Legem Dei ſervaverint.* Matth. 7. verſ. 21. & 19. verſ. 17. Quamobrem de hominum vita ex convenientia & diſconvenientia quam habet cum lege divina & naturali certiſſimè judicare poſſumus. Et hæc ſunt argumenta quibus cauſa Sigeberti indubitata redditur, oſque poteſt occludi adverſariis: quippe qui præter ſuam abſolutam Monarchiam, aut cavillationes ſophiſticas & ſolemnia convitia, nihil in contrarium opponere valeant. Sed ad noſtram revertamur analyſim. Tertiò enim Sigebertus declarat quantâ temeritate & abuſu, hoc ſacrilego ſchiſmate bacchante cenſuræ & excommunicationes utrinque funderentur. Quartò rectè aſſerit Principibus quamquàm malis & nefariis eſſe obediendum in politicis juxta ea quæ ex Legis Euangelicæ principiis, & Patrum auctoritate obſervavimus lib. 2. cap. 5. quam in rem Sigebertus cap. 34. Jobi laudat: *Qui dicit Regi Apoſtata: qui vocat Duces impios, &c. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi, &c.* Unde Auguſtinus Commentariis in Pſalmum 124. *Aliquando injuſti perveniunt ad honores ſæculi; cùm pervenerint & facti fuerint vel judices vel Reges, quia hoc facit Deus propter diſciplinam populi ſui, non poteſt fieri niſi ut exhibeatur illis honos debitus poteſtati.* Deinde paulò poſt: *Aliquando Poteſtates bonæ ſunt, & timent Deum: aliquando non timent Deum. Julianus extitit infidelis Imperator, nonne extitit Apoſtata, iniquus, idololatra? milites Chriſtiani ſerviebant Imperatori infideli. Ubi veniebatur ad cauſam Chriſti, non agnoſcebant niſi illum qui in Cœlo erat. Quando volebat ut idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi Deum: quando autem dicebat: producite aciem: ite contra illam gentem, ſtatim obtemperabant: diſtinguebant Dominum æternum à Domino temporali, infideli, & apoſtata,* ſcilicet, quod eſt magnopere notandum.

XXV. Sed ut tum demum huic Capiti de geſtis Gregorii VII. Urbani, & Paſchalis II. colophonem imponamus, non eſt humani ingenii concipere, nedum oratione efferre quantùm Chriſtiani ſanguinis hoc furente ſchiſmate profuſum ſit: quoniam memorati Pontifices ſubditos Henrici tantâ religione obſtrinxerunt, ut eidem neceſſe fuerit bis atque ſexagies acie inſtructâ collatis ſignis cum propriis ſubdi-

tis

tis pugnare, quemadmodum hiſtoriis illorum temporum, & nominatim à Baptiſta Egnatio narratur. Quâ in re Henricus Marcum Marcellum, qui trigeſies, & Julium Cæſarem ſuperavit, qui bis tantùm & quinquageſies decertavit. Quid memorem Romanam Curiam hujus obſervantiſſimam dogmatis politici. *Divide, Imperabis:* proprium filium in parentem ſuum armaſſe, ut hunc faciliùs opprimeret. Quo etiam artificio & fabricâ certatum eſt in Galliis adversùs Henricum IV. anno 1593. quando inita & conſtituta ſunt conſilia de Cardinali Borbonio eligendo in Regem. Hoc vulgò appellabamus, *le Tiers party*. Idque ſi eventum ſortitum fuiſſet, de Religione & regni majeſtate actum erat in Galliis. Otho Frinſingenſis paulò ante prolatus refert *turbinem hujus tempeſtatis ſolum ſufficere ad vitæ humanæ miſeriam & infelicitatem comprobandam.* Et lib. 7. Chronici cap. 11. *Quæ acta ſunt adversùs Henricum, ſe non diſputare licitè an ſecus acta ſint: eſſe tamen qui credant ei ad probationem, non ad damnationem, hanc tentationem circa finem vitæ contigiſſe, affirmareque ipſum eleemoſinis ac multis miſericordiæ operibus à Domino meruiſſe ut ejus exceſſus laſciviaque ex faſtigio regni & converſatio hoc modo in præſenti puniretur.* Deinde cap. 12. *Extat*, inquit, *de ejus miſeriis Epiſtola ad Regem Celticæ, qui Francorum dicitur, miſeriarum ejus tragœdiam continens*; ſaxeas quoque mentes ad mutabilium rerum ærumnas contemplandas ac deplorandas emollire poſſet, quam hic integram ex tomo 12. Annalium Baronii ad annum Chriſti 1106. referre operæ pretium eſt.

Henricus Rex Regi Celtarum.

Princeps clariſſime, & omnium in quibus poſt Deum ſperamus, fideliſſime. Primum & præcipuum inter omnes vos excepi, cui conqueri & deplorare omnes calamitates meas & miſerias neceſſarium duxi, & etiam genibus veſtris advolvi, ſi licet ſalvâ majeſtate Imperii. Primum quidem eſt quod non ſolùm vobis, ſed totius Chriſtianæ profeſſionis hominibus graviſſimum ac intolerabile arbitramur, quòd de Apoſtolica Sede unde uſque ad memoriam noſtri temporis, ſalutifer fructus conſolationis, dulcedinis & ſalvationis animarum oriebatur: modò perſecutionis, excommunicationis & omne perditionis flagellum emittitur; nec ponunt ullum modum ſententiæ, tantùm ut ſatisfiat voluntati indiſcretæ. Hujus voluntatis ſuæ intemperantiâ adeò uſque nunc abuſi ſunt, ut nec Deum, nec quid aut quantum mali inde proveniat penſantes, per ſe & per ſuos omnibus modis in nos invehantur: Cùm obedientiam & omnem ſubjectionem debitam

ſæpè

ſapè obtulerim Apoſtolicæ ſedi; ſi tamen honor debitus & reverentia ſicuti Anteceſſoribus exhiberetur, & mihi: Quid autem intendant opportunius ſignificabo vobis, ſi quando optati colloquii copiam Deus dederit nobis. In hac igitur perſecutionis & odii ſui inflammatione cùm parùm viderent ſe proficere, contra ipſum jus naturæ laborantes (quod ſine maximo cordis dolore, ſine multis lachrymis dicere non valeo, & quia dicitur, vehementer contremiſco) filium meum Abſalon, inquam, dilectiſſimum non ſolùm contra jus armaverunt, ſed etiam tanto furore animaverunt, ut imprimis contra fidem & ſacramentum, quod ut miles Domino juraverat, regnum meum invaderet, Epiſcopos & Abbates meos deponeret, inimicos & perſecutores meos ſuſtineret: ad ultimum, quod maximè vellem taceri, aut ſi taceri non poteſt, vellem non credi; omnem affectum naturæ abjiciens, in ſalutem & animam meam intenderet: nec quicquam penſi haberet, quomodo vi & fraude ad hanc periculi & ignominiæ ſuæ ſummam aſpiraret. In hac tanta mali ſui machinatione cùm eſſem in pace & in aliqua ſalutis meæ ſecuritate in locum qui Confluentia dicitur, in ipſis Dominici Adventus Sanctiſſimis diebus, ad colloquium evocavit me, quaſi de communi ſalute & honore filius tractaturus cum patre, quem cùm vidit, illicò ex paterno affectu tactus intrinſecùs, dolore cordis mei ad pedes ſuos procidi, admonens & obteſtans per fidem, per ſalutem animæ meæ, ſi pro peccatis meis flagellandus eram à Deo, de meipſo nullam conquireret maculam honori & nomini ſuo: quia culpa patris vindicem eſſe filium nulla divinæ legis conſtituit ſanctio. At ille tam pulchrè imò miſerrimè inſtitutus ad malitiam, quaſi abominabile & execrabile ſcelus cœpit deteſtari, & procidens ipſe ad pedes meos, de præteritis cœpit veniam deprecari. In reliquum ut miles Domino, ut Patri filius cum fide & veritate per omnia ſe mihi obauditurum promiſit cum lachrymis, ſi modò ſedi Apoſtolicæ vellem reconciliari. Quod cùm promptiſſimè annuiſſem, & deliberationi ſuæ & conſilio Principum hoc tantum mancipandum promiſiſſem, in præſenti Nativitate ſe producturum me Moguntiam, & ibi de honore & reconciliatione mea quàm fideliùs poſſet acturum, & inde in pacem me reducendum promiſit, in ea veritate & fide quâ Patrem à filio honorari, & filium à Patre præcipit Deus diligi. Hac promiſſione, quæ & gentili obſervanda eſt, ſecurus ibam, & filius meus aliquantulum me præceſſerat: Et ecce quidem fideles me deceptum affirmabant & proditum ſub falſa pacis & fidei ſponſione. Revocatus autem filius meus, & iterum ad me inſtantiſſimè admonitus ſub ejuſdem fidei & ſacramenti obteſtatione animam ſuam pro anima ſua fore promiſit ſecundâ vice. Cùm ergò ad locum qui Binga vocatur perveniſſem,

niſſem, jam exiſtente die veneris ante Nativitatem, numerus armatorum ſuorum jam ſatis augebatur; jam fraus ipſa de ſe detegebatur, & filius ad me: Pater nobis, inquit, *ſecedendum eſt in vicinum Caſtellum, quia ibi Moguntinus Epiſcopus in ſuam civitatem non admittet vos, quamdiù in banno eritis, nec vos impacatum & irreconciliatum audeo ingerere inimicis veſtris: Illic Nativitatem cum honore & pace agatis: quoſcumque placuerit vobis, vobiſcum habeatis: Ego interim quantò inſtantius, quantò fidelius potero, pro nobis utriſque laborabo, quia cauſam veſtram meam exiſtimo eſſe. At ego, mi, inquam, fili, judex & teſtis ſermonum & fidei ſit inter nos hodiè Deus, quomodo te in virum & hæredem meum produxerim: quantis tribulationibus meis honori tuo inſervierim: quot & quantas inimicitias pro te habuerim & habeam, ſolus conſcius es. Ille autem tertiò ſub ejuſdem fidei & ſacramenti atteſtatione, ſi ingrueret occaſio periculi, caput ſuum pro capite meo fore mihi promiſit. Sed poſtquam clauſit me in eodem Caſtello, quo omnia animo & corde fuerit locutus, manifeſtè rei oſtendit eventus. Ex omnibus meis quartus ego ſum incluſus, nec quilibet alius admitti potuit: Cuſtodes deputati qui vitæ meæ atroces erant inimici (benedictus per omnia Deus) exaltandi & humiliandi quæ voluerit Rex potentiſſimus. Cùm ergo ipſo Sacratiſſimo die Nativitatis ſuæ, omnibus redemptis ſuis, ille Sanctus Sanctorum puer fuiſſet natus, mihi ſoli filius ille non eſt datus. Nam ut taceam opprobria, injurias, minas, gladios in cervicem meam exertos, niſi omnia imperata facerem: præterea famem & ſitim quam perferebam ab illis quos injuria erat videre & audire. Ut etiam taceam, quod eſt gravius, me olim ſatis felicem fuiſſe: illud numquam obliviſcar: illud numquam deſinam omnibus Chriſtianis conqueri, quod illis Sanctiſſimis diebus ſine omni Chriſtiana communione in carcere illo fui. In illis pœnitentiæ & tribulationis meæ diebus, à filio meo miſſus venit quidam Princeps Wigbertus, dicens nullum vitæ meæ eſſe conſilium, niſi ſine ulla contradictione omnia Regni inſignia redderem ex voluntate & imperio Principum. At ego; & ſi omnis terra quantum inhabitatur, mei Regni terminus eſſet, nollem Regno vitam commutare: quia vellem nollem, ſic agendum, & ſicut definitum intelligebam, coronam, ſceptrum, crucem, gladium miſi Moguntiam. Tunc communicato conſilio cum inimicis meis, meus filius egrediens, relictis ibidem fidelibus & amicis meis, quaſi me eò adducturus ſub multâ frequentiâ armatorum ſuorum, me adductum ad villam quæ dicitur Ingelheim, fecit me ad ſe adduci; ubi maximam inimicorum meorum multitudinem collectam inveni, nec ipſum filium cæteris mihi meliorem reperi. Et quia firmius & ſtabilius videbatur*

Digitized by Google

debatur eis eſſe, ſi propriâ manu cogerent me Regnum & omnia regalia exfeſtucare: Similimodo & ipſi omnes minabantur mihi, niſi imperata facerem, nullum vitæ meæ conſilium fieri poſſe. Tunc ego, inquam, quia de ſola mea vita agitur, qua nihil pretioſius habeo, ut ſaltem vivens pœnitentiam exhibeam Deo: quicquid imperatis, faciam. Cumque inquirerem, ſi ſaltem ſic de vita mea certus eſſem, Apoſtolicæ ſedis Legatus, qui ibi erat (non dico qui omnia hæc audierat) reſpondit me nullo modo eripi poſſe, niſi publicè confiterer me injuſtè Hildebrandum perſecutum eſſe: Guitbertum ei injuſtè ſuperpoſuiſſe, & injuſtam perſecutionem in Apoſtolicam ſedem & omnem Eccleſiam hactenus exercuiſſe. Tunc cum magnâ contritione animi proſtratus cœpi per Deum, per ipſam conſcientiam orare, ut locus & tempus mihi daretur, ubi in præſentia omnium Principum, cum innocens eſſem, vellem ex judicio omnium me expurgare: & in quo culpabilem me recognoſcerent, ex conſilio omnium ſanioris ſententiæ pœnitentiam & ſatisfactionem, quo ordine juberent, quærere, & in Principibus Regni, de fidelibus noſtris quoſcumque obſides vellent, dare. At idem Legatus locum & diem mihi abnegavit, dicens aut totum debere ibi terminari, aut nulla ſpes eſſet mihi evadendi. In tanto tribulationis articulo, cùm interrogarem, ſi confiterer omnia quæ imperabantur, an confeſſio mea, ut juſtum eſt, veniam & abſolutionem conſequeretur? Ibi Legatus dixit non eſſe juris ſui me abſolvere: ſi vellem, inquit, abſolvi, Romam irem ſatisfacere Apoſtolicæ ſedi; ſic deſolatum & ſpoliatum (nam & Caſtella & patrimonia, & quicquid in Regno conquiſieram, eadem vi & arte ſuâ extorſerant à me) in eadem villa reliquerunt me, in qua cum aliquo tempore commoratus eſſem, & filius meus ex eodem fraudis ſuæ conſilio demandaſſet, ut ibidem eum expectarem; ſuperveniens quorumdam fidelium meorum Legatio præmonuit, ut ſi quidem ibi ad monitum remanerem, fore aut in perpetuam raperer captivitatem, aut in eodem decollarer. Quo nuncio ſatis tunc meæ vitæ diffiſus, illicò aufugiens, fugiendo Coloniam veni, & ibi aliquot diebus commoratus, poſteà Leodium veni, in quibus locis fideles viros & in fide Regni conſtantes ſemper inveni. Horum cæterorumque Regni fidelium conſilio uſus, vobis fiducialius & honeſtius habeo deplorare has omnes meas miſerias: fiducialius quidem propter mutuum conſanguinitatis & antiquæ amicitiæ debitum: honeſtius autem propter tanti regni nomen glorioſum. Vos igitur per fidem, per amicitiam rogo in tantis tribulationibus meis ac injuriis, propinquo & amico conſulatis: Quæ fidei & amicitiæ vincula etſi inter nos non eſſent, veſtrâ tamen & omnium Regum terræ intereſſet injuriam & contemptum, non vindicare, & tam nefariæ proditionis & malitiæ exem-

Digitized by Google

plum de ſuperficie terræ extirpare. Hucuſque Epiſtola Henrici qui eodem tempore ſcripſit litteras ad filium, quibus eum accuſat perfidiæ; quòdque ab eo vi & timore mortis omnia inſignia Regalia & Imperialia extorſerit, vix relictâ ipſamet vitâ. Aliquantò poſt litteris ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, Duces & Comites, cæteroſque Imperii Principes miſſis *proteſtatur quòd ſi Henricus filius ab armis, ſeque patrem proſequi ceſſare noluerit, proclamationem inde faciet, ut ſemper fecit Deo, Sanctæ Mariæ, Beato Petro patrono ſuo, & omnibus Sanctis & omnibus Chriſtianis, ipſique filio ſuo, quem omni devotione precatur ut ceſſet: appellatque tertiò Dominum Pontificem Paſchalem, & Sanctam univerſalem ſedem Romanam, ſeque committit Deo omnipotenti Patri & Filio, Sanctoque Spiritui paracleto, & Beatæ Mariæ perpetuæ Virgini, & Beatis Petro & Paulo, Sanctoque Lamberto, omnibuſque Sanctis, ut divina miſeratio, omniumque Sanctorum interceſſio humilitatem ſuam reſpicere, ſeque contra tantum tamque injurioſum imperium defendere dignetur, Amen.* Aliquantò poſt moritur Henricus, & cùm ab Epiſcopo & Clero Leodienſi mandatus fuiſſet ſepulturæ. *Dehinc Leodienſis Epiſcopus cæterique Coëpiſcopales inter cætera recipiuntur in communionem pœnitentiæ, hac conditione, quòd cadaver Henrici excommunicati, quod pridie in Monaſterio tumulaverant, effoderent & abſque ulla ſepultura & exequiarum communione in loco non conſecrato deponerent: Comprobantibus his qui aderant Archiepiſcopis & Epiſcopis,inquit Baronius, ex Abbate Veſperienſi: quare corpus Henrici eſt in Spirenſem civitatem in ſarcophago lapideo Henrici filii conſenſu delatum, atque ibidem per quinquennium extra Eccleſiam manſit inhumatum.* Porrò Henricus filius, qui ut Curiæ Romanæ gratiam aucuparetur, arma in proprium parentem diſtrinxerat, juſto Dei judicio nihilo feliciore ſucceſſu, quàm ejus parens uſus eſt: quoniam ubi opes & Regalia Imperii in libertatem aſſerere voluit, ei Paſchalis II. atque alii ſucceſſores tantùm faceſſerunt negotii, quantùm ipſe Gregorius VII. atque Urbanus II. Henrico IV. parenti creaverant. Quare poſt multas clades acceptas, creberrimis cenſuris verberatus, tandem ſine liberis vitam finivit. Suprà oſtendi Deum & Sacerdotio & Regno iratiſſimum has clades ad peccata hominum plectenda immiſiſſe. Petrus Damianus Cardinalis R. E. qui Gregorio VII. erat contemporaneus lib. 4. Epiſt. 9. ad Oldericum Firmanum Epiſcopum ſatis cauſas, propter quas Deus eſſet Clericis infenſiſſimus, refe-rat. Nimirum quia multò potiorem rerum ſæcularium & bellicarum, quàm

Digitized by Google

quàm ſpiritualium curam gererent. Quâ ex re tot tantaque ſchiſmata, hæreſes, morum corruptelæ & populorum ſtrages. Argumentum verò quod Ordo Benedictinorum, atque aliorum Religioſorum terminos ſuæ regulæ longè latèque pridem exceſſiſſent, eſt quod Gregorii VII. ſæculo Ordo Ciſtercienſium ad Ordinis S. Benedicti; & Præmonſtratenſium ad regulæ S. Auguſtini reformationem inſtitutus fuerit. Onuphrius in vita Gregorii VII. de qua paulò poſt: fructum qui ex bellis ab Hildebrando concitatis adversùs Imperium in Romanam Eccleſiam redundavit, ſic enarrat: *Uni Gregorio*, ait, *cum omnes Latinæ Eccleſiæ, tum præcipuè Romana acceptum referre debet; quòd libera ſit, & ab Imperatorum manu eruta; quòd tot divitiis, opibus & profanâ ditione locupletata; quòd Regibus, Imperatoribus & omnibus Chriſtianis Principibus ſit præfecta: à quo poſtremò, ut omnia uno verbo complectar, maximus ille eximiusque ſtatus, in quo Eccleſia Romana eſt omnium Chriſtianorum Domina, cùm antea tanquam vilis ancilla non ab Imperatoribus modò, ſed à quovis Principe Romani Imperatoris præſidiis fulto, premeretur, & ab hoc maximè illius & omni ſæculo tremendæ venerandæque Romani Pontificis & infinitæ penè poteſtatis jus manavit. Nam etſi antea Romani Pontifices tanquam Religionis Chriſtianæ capita, Chriſtique Vicarii & Petri ſucceſſores colerentur; non tamen eorum auctoritas ultrà protendebatur, quàm in fidei dogmatibus vel aſſerendis vel tuendis. Cæterum Imperatoribus ſuberant: ad eorum nutum omnia fiebant: ab eis creabantur: de eis judicare vel quicquam decernere non audebat Papa Roman. Primus omnium Romanorum Pontificum Gregorius VII. armis Romanorum fretus, opibus Comitiſſæ Mathildis mulieris per Italiam potentiſſimæ confiſus, diſcordiâque Germanorum Principum bello civili laborantium inflammatus, præter majorum morem, contemptâ Imperatoris auctoritate & poteſtate cùm ſummum Pontificatum obtinuiſſet, Cæſarem ipſum, à quo ſi non electus, ſaltem confirmatus fuerat, non dico excommunicare, ſed etiam Regno, Imperioque privare auſus eſt. Res ante ea ſæcula inaudita.* Quâ in Collectione Onuphrius non obſcurè Gregorio VII. ſummam ingratitudinem objicit, ſicut & Otho Friſingenſis jam editus ſuprà ex prologo libri 7. Chronicorum. *Regni quippè viribus & beneficentiâ Regum exaltatam & dilatatam nemo ambigit Eccleſiam, conſtatque non prius eam in tantum Regnum humiliare potuiſſe, quàm ipſo ob amorem Sacerdotii eviſcerato ac viribus exhauſto: non ejus tantùm, id eſt ſpirituali, ſed ſuo proprio, materiali ſcilicet gladio percuſſum deſtrueretur: quod judicare vel diſcutere ſuprà noſtras vires eſt:*

 vi-

videntur tamen culpandi Sacerdotes per omnia, qui Regnum ſuo gladio, quem ipſi habent ex Regum gratiâ, ferire conantur. Secundò Onuphrius liquidò demonſtrat ante Papam Hildebrandum Pontifices ſolummodò in rebus ſpiritualibus decernendis occupari conſueviſſe. Tertiò quòd hodiernum Eccleſiæ, aut potius Curiæ Romanæ ſtatum ad ſpeciem oculorum triumphantem atque exultantem Hildebrando acceptum refert, & cum ſtatu humillimo Eccleſiæ ſub B. Gregorio Magno, atque aliis retro actis Pontificibus, qui mandato & conſenſu Imperatorum ad cathedram Apoſtolicam evehebantur comparat, nihil facilius eſt quàm ex hac comparatione videre, utrum Gregorius VII. ſuis abſolutis & imperioſis edictis plus Eccleſiæ, quàm humilitas & Chriſtiana manſuetudo B. Gregorii & aliorum Pontificum conſuluerit. Res enim, nemine loquente, ſe ipſa exclamat, faciléque à Lectore pio intelligetur, ſi modò attenderit poteſtatem Eccleſiaſticam purè putè ſpiritualem & miniſterialem eſſe, ac proinde Eccleſiam ſpiritualiter non temporaliter examinari oportere, juxta ea quæ ſunt à me uberiùs diſputata de cauſis eſſentialibus poteſtatis Eccleſiaſticæ libro 3. Equidem quantùm de prophanâ ditione accrevit Eccleſiæ (non ego hîc de rebus ad decentem ſtatum Eccleſiaſticorum neceſſariis loquor) tantùm & de illo primo Apoſtolico zelo, charitate, ~~& vitæ integritate remiſſum eſt : ut proinde~~ à S. Bernardo, aut alio quopiam verè uſurpatum ſit: Majorum pietatem atque nuditatem opes & divitias peperiſſe Eccleſiæ, ſed partum matrem impiè inſtar viperarum ſuffocaſſe: quod procul dubio notius eſt quàm ut probatione indigeat. Nam ubi hæc Gregorii VII. placita in uſum tranſierunt, Eccleſia Romana ad inſtar Regni temporalis effecta & gubernata eſt, Curiaque Imperatorum in Romanam Curiam degeneravit: hæcque numquam rebus ſuis optimè conſultum putavit, quoad Imperatores totâ Italiâ exturbaſſet: hancque provinciam olim mundi Dominam, in plurimos imbelles & inglorios principatus quos nutu ſuo circumageret, diſpartiretur, hujus inquam proloquii obſervantiſſima: *Divide imperabis.* His enim artibus ad eam quam intuemur amplitudinem accrevit: atque ab eo die Turcicum & Diabolicum Imperium de Chriſtianis triumphavit.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Google